BULLAE CRUCIATAE ABSOLUTISSIMA DILUCIDATIO DIUISA IN...

Carolus Latius




NAZIONALE
VITT. EMANUELE
13
9 D
9




LATIVS
IN
BVLLAM
CRVCIATAE.

BVLLÆ
CRVCIATAE
ABSOLVTISSIMA
DILVCIDATIO
DIVISA IN TREDECIM DISPVTATIONES,

Ac Quinquaginta Quæstiones, in quibus Difficultates DXXII. distinctè, ac dilucidè enodantur.

AVCTORE

A. R. D.
D. CAROLO LATIO
S. THEOL. PROFESSORE SICVLO ALCAMENSE.





PANORMI,
Ex Typographia Petri de'Isola, M. DC. LVII. Cum Priuilegio.

Impr. Abbas Gel. V. G. Impr. pro Ill. R. De Greg. Prſ. Hieronymus la Chiana è Soc. Ieſu

EMINENTISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO DOMINO

FR. DON MARTINO DE REDIN

ILLVSTRISSIMÆ S. IOANNIS MILITIÆ, Sacrique Ordinis Equitum Hierosolymitanorum

MAGNO MAGISTRO

OMNIVM CONSENSV, PLAVSVQVE MERITISSIMO, TERQVE MAXIMO.


MELITÆ, RHODI, TRIPOLIS, ETC. POTENTISSIMO PRINCIPI, Et in hoc Regno Siciliæ pro Sua Catholica Maiestate Proregi Inuictissimo.

DON CAROLVS LATIVS D.

CELSISSIMIS Regibus, Principumque ter Maximis, Vectigales non nisi, ac stipẽdiarios Reges dicare, par est; Eccumq; tibi Eminentissimo Principi, artuum Principem, Cor, quod sub Bullæ nomine, tibi satis adaperire, ac deuouere volui. Quid enim aliud Bullæ assonat nomen, quam triumphantiũ, ac laureatorum insigne, cordis exprimens figuram, hoc igitur gentilitio Crucis stemmate signatum, me tuo sub numine, ac nomine tibi mancipio datum, & acceptum sanè ostentat. Iam verò in Chryso bullam amplissimis ditatã priuilegijs, aureisq; distinctam indultorum gemmis, Christi ergo expeditionem suscipientibus affatim concessam, qui tuus animus esse debeat, non nemo non ignorat. Omnibus quidẽ, sed vobis maxime, virtute, victorijsq; insignibus ante omnes œcumenica Synodus, pleraque concilia, sũmique Antistites, adamussim excusam voluere; qui verò Christi albo adscripti certum, ni magis incertum in Christiades impetũ

 fa-

facientes, arma capessentes, viriliter repressuri, omni noxarum mulcta amplissima indulgentia abolita, Cruce insigniti muniebantur, quam sub nigro suffusam colore, Theutonicorum equites, puniceo verò qui Vulgò Templarij dicti sunt, vos verò, qui maximo, ac summo Reipublicæ Christianæ tempore, huc vsq, vel summo rerum vestrarum discrimine adiutores professi estis, olo. rinam fœliciter nacti estis; cuius ergò sub fœlicioribus auspiciis infensum Saracenorum agmen, innumerum hospitum numerũ vbique terrarum palantem, qui solymis Dei hominis aureum vi. serent conditorium, quam plurimis afficiens molestiis, fortiter expugnantes, triumphum nobilius egistis, binæque peregrinantium domui, ac Xenodochio, Nosocomio nobilius superaddito, summo vbi studio diligentiaque morbo detenti, curarentur, humaniterq; exciperentur. Te verò, qui tam præexcelso, & in paucis eximio ordini nobilius modò præis & generis claritate, longaque cognatione Regiæ stirpi nexu, dignitatumq; serie de maiori benemeritus amplitudine ad tãtum mox euectus fastigium, quod optabilius ad immortalitatem gloriæ, atque ad memoriam tui nominis sempiternam, facili supercilio inspecturum, ac magnopere suffragaturum autumo. Teque Demum cum maxime in renascentis iterum orbi, tui nominis, ac famæ primordiis sub natalitio Magni Magistratus prærogatiuæ sidere, fausto prodeat alite, ad æquitatem, ac facilitatem, illã relaturum equidem non despero. Hoc ergò nouo adauctus honore, solio ex illustri, Phœbeoque ab essedo ingenioli mei primigenium in tenebris delitescentem illustra, ac irradia, bullæque aureis minus inoculatæ bullis, proprium decus ascribe, & venustatem.



ANONI-

ANONIMI S. I.

In laudem Amplissimi, ac Nobilissimi D. D. Caroli Latij Auctoris.

EPIGRAMMA.

Quisquis es, implicitus noxis, depone timorem
Ad Latium citius confuge, tutus eris.
Si potis! huc gnati Patrem euasisse furores;
Ipse latens, flammas vindicis effugies.
Proh mirum! Diuo numquam quis lumine raptus?
Numinis ex oculis, ipse latere potes?

Eiusdem Anonimi S. I. in laudem Auctoris.

ODE.

Qualis refracto lubricus aggere
Erumpit amnis, diuite ab alueo,
Aurumque sudans fronte, gemmas
Euomit è stomacho nitentes,

Raucoque lambens murmure margines
Illimis, agro culta, nec ambitu
Excurrit vndæ, vitreoque
Fert speculo, simulacra rerum.

Doctrina sacro è vertice nobilis
Auroque prægnans ditior effluit,
Cuius fluentis mox solutis,
Arva beas. Latius latina.

Hinc are summo pressius obruti;
Aurique post vortice, pauperes,
Summo data mercede Regi
Tænario redimuntur orco

Qui latus vndas ebibis aureas
Venale Cælum est; summa palatia
Mercare Cæli, nec Charonti
Ipse referre numisma debes.

Vos frustra hydaspis fluminis accolæ
Iactatis aurum, diuite turgidi
Vena, qua agellos, roscidasque
Labitur, & sine honore ripas.

APPRO-

APPROBATIO.

Vidi de mandato Reuerendiſs. D. D. Ioannis Antonij Geluſo Vicarij Generalis Illuſtriſſimi, & Reuerendiſsimi D.D. Petri Martinez Rubio Archiepiſcopi Panormitani, necnon ex iuſſu Illuſtriſſimi Regentis D. Petri de Gregorio Præſidis M.R.C. huius Regni Siciliæ librum, cui titulus, *Latius in Bullam Cruciatæ*. Et quia nihil contra fidem, aut bonos mores, vel contra Regiam iuriſdictionem continere, & magno labore elucubratum, variaq; refertum eruditione reperi, vtilemque fore legentibus cenſui: dignum duxi, qui typis mandari poſſit. In quorum fidem preſentem feci manu mea ſubſcriptam die 8. Octobris 1657.


Hieronymus la Chiana e Societate Ieſu Deputatus.




AVCTOR

AVCTOR BENEVOLO LECTORI.

Accipe amice Lector mei ingenioli primigenium, in quo nudam ipsam veritatem ante omnium oculos exponere conatus sum, haud neotericas ostẽtare subtilitates. stylus, ad omnium ferè captum efformatus, si tuo genio non arriserit, fortassis pro tua benignitate, ac gratia nõ dedignaberis breuitatem, qua adhùc difficillimas Quæstiones, & implicatissimas Difficultates, quoad fieri potuit, paucis cõplexus sum. quo quidem methodo reliquas omnes Theologicas materias tàm scholasticas, quàm morales, Deo dante, tibi promitto, hactenùs in septendecim Volumina quoquo modo digestas, præter alia opuscula, quæ tum ad omne aufugiendum otium, quo in hoc dulci nido patrio satis superquè abundo: tum etiam ad exhilarandum quandoque animum his grauibus Quæstionibus defatigatum, ex grauioribus Auctoribus, instar apis matutinæ, pomeridianis tamen mihi temporibus, tibi efformaui, in quibus siquid boni inueneris, omnium bonorum largitorem Lauda, ac Vale.





INDEX DISPVTATIONVM, QVÆSTIONVM, ET DIFFICVLTATVM HVIVS OPERIS.



annus

DISPVT. II.

De priuilegiis, quæ pro tempore Interdicti per Bullam Cruciatæ conceduntur.

Q. 1. De poteſtate celebrandi Officia Diuina etiam tempore Interdicti.

Q. 1. De Sacramentorum vsu, qui virtute Cruciatæ tẽpore Interdicti conceditur.

Q.3. De sacra sepultura, quæ vi Bullæ tempore interdicti conceditur.

DISPVT. III.

De priuilegijs circa cibos prohibitos, quæ virtute Cruciatæ cōceduntur.

Q.1. De priuilegio comedendi carnes diebus prohibitis.

An

Q.5. De lacticinijs in particulari.

DISPVT. IV.

De Indulgentijs, ac Bonorum operum participatione, quę per Cruciatam conceduntur.

Q.1. De Indulgentijs in Communi.

Q.2. De Indulgentijs partialibus, ac Stationum, quæ per Cruciatã conceduntur.

*
* *

Q. 5.

DISPVT. V.

De Potestate eligendi Confessarium.

Q. 2. De Eligibilitate Parochi in Confessarium vi bullæ Cruciatæ.

* * *

Q.3. De Eligibilitate Regularium in Confessarius vi bullæ Cruciatæ.

DISPVT. VI.

De Potestate, quam habet Confessarius vi bullæ electus absoluendi à peccatis etiam reseruatis.

Q.1. De Absolutione à peccatis reseruatis in communi.

Q. 2. De Absolutione ab Hæresi.

DISPVT. VII.

De Potestate, quam habet Confessarius vi bullæ electus absoluendi à Censuris etiam reseruatis.

Q. 1 De Absolutione à Censuris in communi.

DISPVT. VIII.

De Priuilegio commutandi Vota, quod virtute cruciatæ conceditur.

Q. 1.

Q.1. De commutatione Votorum, vi Cruciatæ in Genere.

Q.2. De Commutatione Votorum reseruatorum in communi.

Q. 3. De Commutatione Voti Vltramarini.

An

Q. 4. De Commutatione Voti Castitatis.

Q. 5. De Commutatione Voti Religionis.

An

DISP. IX.

De Potestate, ac Iurisdictione Commissarij Generalis Bullæ Cruciatæ.

Q. 1. de Potestate Commissarij Generalis suprà Indulgentias, & gratias extra Bullam concessas.

Q. 2. de Potestate Commissarij Generalis Cruciatæ circa Irregularitatem.

Q. 3. de Potestate Cõmissarij Cruciatæ ad validandũ matrimonium irritum, ac prolem legitimãdam.

An

Q.4. de Potestate Commissarij Cruciatæ circa horam celebrandi.

DISP. X.

De Bulla Compositionis.

Q.1. De Bulla Compositionis in communi.

Q.2. de bulla Compositionis in Particulari.

DISP. XI.

De Personis, ac Locis, quibus Cruciatæ priuilegia conceduntur.

Q.1. de Iis. qui Sacram Expeditionem petunt, vel ad illam alios mittunt.

Q.2.de Fidelibus Baptizatis, qui neq;eunt neq; alios ad Sacram Expeditionem mittunt.

Q.3.De Regularibus.

DISP. XII.

De Conditionibus, sub quibus Cruciatæ priuilegia conceduntur.

Q. 4. de Conseruatione Bullæ.

DISP. VLT.

De Bulla Defunctorum.

Q. 1. De Purgatorio.

Q.2. de Suffragijs in communi.


Q.3. De suffragijs in particulari.

†††† *possit*

FINIS.



DISPV-



DISPVTATIO PRIMA

DE ESSENTIA, CONCESSIONE, AC DVRATIONE BVLLÆ CRVCIATÆ.

Antequam explicationem gratiarum, & priuilegiorum, quæ tam liberaliter per Bullam Cruciatæ fidelibus conceduntur, singillatim aggrediamur, aliqua de eiusdem Cruciatæ Essentia, Cōcessione, ac temporis Duratione præmittere visum est.

QVÆSTIO PRIMA

De Essentia Bullæ Cruciatæ.

DIFFICVLTAS I.

Quid sit Bulla Cruciata, & vndè dicatur.

1 *VLLA Cruciata est Diploma à Sum. Pōtificibus cōcessum, varias cōtinens gratias, & priuilegia pro vtilitate Fidelium dantium certam eleemosynam in subsidiū belli contrà Infideles, & Hæreticos.* quam quidem definitionē, seu potiùs descriptionem huius Bullæ esse bonam, patet ex sufficienti habitudine ad omnia quatuor caussarum genera.

2 Caussa igitur efficiens ipsius Bullæ est Sum. Pontifex, qui vt ecclesiasticorum bonorū prudens dispensator addit caussam motiuam, seu finalem intrinsecam concessionis, nempè spiritualem Fidelium vtilitatem, ad quam ipsa Bulla primariò dirigitur gratiæ verò, & priuilegia per eandem Bullam concessa, se habent vt caussa materialis; denùm forma, seù modus, siue onera, sub quibus dictæ gratiæ, ac priuilegia conceduntur, possunt se habere vt caussa formalis. subsidium autèm belli contrà Infideles, & Hæreticos, se habet solùm, vt caussa finalis extrinseca, vnde pro temporū va-

varietate, æquè benè variari poterit, vt de facto Leo X. omnes Cruciatæ eleemosynas pro fabrica D. Petri tunc applicauit.

3 Quoad nomen autèm, *Bulla*, secundùm propriam ac primæuam sui significationem est inanis ille tumor, qui in ebulliente aqua, seu feruenti musto orbiculatur, vixquè natus euanescit, quo satis aptè ad exprimendam humani æui breuitatem, ac inanitatem Homo *Bulla* à primis sapientibus apprimè dictus est. hinc etiam per quamdam analogiam omne circularis figuræ gestamen, omnisque sigilli impressio præferentis gentilitia familiæ, tùm honoris ac dominij, tùm dedecoris caussa *Bulla* nomen sortiuntur. quapropter & sigillum illud plumbeum, quod huic Bullæ Cruciatæ, quibusue alijs Pōtificeis litteris adnectitur, & in quo SS. Apostolorum Petri, & Pauli impressa capita conspiciuntur, meritò Bulla dicitur, vnde & ipsæmet litteræ Pontificiæ, Bullæ dicūtur, satisq; distingūtur à reliquis Sum. Pōtificum litteris, tali plumbeo sigillo carētibus, quæ breuia appellantur.

4 Dicitur autèm *Cruciata*, ex eo quia omnes Indulgētiæ, gratiæ, ac priuilegia, quæ virtute præsētis Diplomatis concedūtur, sunt ferè eadem, quæ olim, & in Conc. Lateranensi sub Innocentio III. concedebantur omnibus pro liberatione Terræ Sanctæ prælia̅tibus, qui vt à reliquis distinguerentur signum Crucis in vestibus gestabāt, vnde & Cruciati dicti sunt.



DIFFICVLTAS II.

An Cruciata Priuilegia sint amplè, an verò strictè interpretanda?

5 Rodriq. S. 9. n. 39. Sanch. to. 3. de mat. l. 8. D. 2. n. 7. Salas de leg. D. 17. se. 6. Coninch. de mat. D. 33. d. 2. Et alij absolutè asserunt Cruciatæ priuilegia esse odiosa, & cōsequentèr strictè interpretanda; quorū ratio est quia priuilegia particularibus personis cōcessa, cuiusmodi sunt hæc Cruciatæ priuilegia sunt strictè interpretanda, nihil enim est magis odiosum in communitatibus, quàm singularitas, per quam aliquis vult se eximere à lege communi. *Rodriq.* *Sanchez* *Salas* *Coninch.*

6 *At. Lopez p. 2. instr. de Clauib. 6. 9. Palaus to. 1. oper. Mor. tr. 3. D. 4. p. 11. Suar. to. 2. de leg. l. 6. c. 8. Bonac to. 2. de leg. D. 1. q. 3. p. 7. Villalob. tom. 1. sum. tr. 27. n. 7. Meroll. to. 2. D. 4. c. 6. d. 2.* Et alij absolutè volunt Cruciatæ priuilegia esse fauorabilia, & consequenter amplè esse interpretanda. quorum ratio est, quia Cruciatæ priuilegia sunt beneficia Principis, [illegible] alius tertij præiudicio concessa neq; contrà ius commune, sed ad summum suprà, seù vltrà ius, ergò nulli sunt odiosa, atquè adeo amplè erunt interpretanda. *Lopes.* *Palaus.* *Suarez* *Bonac.* *Villalob.* *Merolla.*

7 Media autem via incedunt alij quos sequitur *Bardi p. p. tr. 1. 6. 9. à n. 3.* nēpè Cruciatæ priuilegia, quæ sunt contra Ius cōmune, & inuoluunt actualem dispensationem, seù relaxationem ipsius Iuris communis, strictè esse interpretanda; priuilegia verò, quæ non sunt contrà Ius commune, vel solùm continent potestatem relaxandi quæ *Bardi.*

sunt

sunt contrà dictũ Ius cõmune, esse amplè interpræt anda.

Auctor 8 Ac meritò; & quidem quod priuilegium contrà Ius cõmune vt est facultas comedendi cibos prohibitos, liber vsus Sacramẽtorum, assistentia Diuinis Officijs, ac sepeliri in loco sacro tẽpore interdicti, & huiusmodi esse strictè interpretandũ, apertè statuitur in *c.1.de Filijs presbyter in 6* vti etiam huius rei assignatur ratio, nempè quia dispensatio exorbitans à Iure veluti odiosa restringi debet. Cõfirmatur, nam si lex æqualiter omnes respiciens, si tamen lædat Ius commune, est restringenda, vt communitèr docent DD. ex c. *Cum Dilectus de consuetud.* Multò magis restringi debet dispensatio concessa particularibus personis contrà Ius commune, inducens in personã priuilegiatam singularitatem, qua nihil odibilius in communitatibus, vt asserit prima opinio, vnde talis dispensatio dici solet Vulnus Iuris, & sic omninò restringi debet.

9 Quod autèm priuilegiũ nullo modo lædens Ius commune debeat amplè interprætari, vt est concessio Indulgentiarum, Votorum commutatio, bonorum incertorum compositio, & huiusmodi, probatur eadem ratione, qua vtuntur DD. secũdæ opinionis, nam tunc huiusmodi priuilegium est absolutè Principis beneficium, absquè vllius tertij præiudicio, & consequentèr ex nullo capite odiosum, sed totalitèr fauorabile, & sic amplè interprætandum.

10 Similitèr dicendum de Cruciatæ priuilegijs, quæ solùm cõtinent potestatem relaxãdi ea, quæ tunc contrà ius commune, vt est potestas commutandi vota, absoluendi à reseruatis, applicandi Indulgentiam Plenariam, & huiusmodi, quibus Ius non læditur, nullique præiudicium affertur, nisi fortè soli Principi cõcedenti partem, vel totam suam Iurisditionem; atq; adeò absolutè erit Principis beneficium, & consequentèr amplè interprætandum. ex quibus satis patet ad rationem tùm primæ, tùm secundæ opinionis, & meliùs patebit cum de singulis Cruciatæ priuilegijs in suis proprijs locis dicemus.

DIFFICVLTAS III.

An Cruciatæ priuilegia sint localia, an verò personalia?

11 R*Odriq.§.1.D. 3.Gomez. 6. 3.q.16.n.2.lud.à Cruc.D. 1.6.9.d.2.n.3.Trullen.l. 1.§.1.n. 1.* Et alij docent Cruciatæ priuilegia esse omninò personalia. probari autẽ potest, ex eo quia priuilegia localia sunt ita loco addicta, vt extrà talem locum nemo possit illis frui; vt si Rex eximeret à Gabellis v.g. Panormum, vtiquè eo ipso quod quis à Panormo discederet, non ampliùs tali immunitate gauderet; sumens autèm Bullam non solùm illius priuilegijs fruitur dũ in loco per Bullam priuilegiato inuenitur, verùm etiam si ad alia loca non priuilegiata accedat, ergò dicta Bullæ priuilegia sunt personalia. *Rodriq; Gomez. Lud. à Cruc. Trullen.*

12 Aliquibus autèm videri poterunt localia, primò quia determinatis locis conceduntur, nẽpè Hispaniarum Regnis, Sardiniæ, Siciliæ, ac Insulis dictis regnis adiacentibus. Secundò

quià priuilegium personale afficit immediatè solam personã, & consequẽtèr si Bulla hæc cõtineret priuilegium personale, vtiq; posset cuicunque applicari, atq; adeo Italus v. g. posset frui priuilegijs Cruciatæ, si hæc illi à Sicilia ab aliquo transmittatur, quod nemo cõcedit, ergò Cruciatæ priuilegia sunt localia hinc.

Nuñus Bardi. 13 *Nuñus in add. ad 3. p. §. 1. & Bardi p. 1. tr. 2. 6. 3. n. 7.* volunt, Cruciatæ priuilegia esse mixta, hoc est participare aliquid de personalibus, aliquid verò de priuilegijs localibus. & meritò, *Auctor.* nã ex vna parte priuilegia Cruciatę non sunt omninò personalia, vt rectè probat secunda opinio, nam priuilegia personalia absolutè sunt quę afficiunt personam indepẽdenter ab omni loco, vt est priuilegium non soluendi Decimas non recitandi Horas canonicas, nõ ieiunandi, & his similia; nemo autem independentèr ab omni loco frui poterit Cruciatę priuilegijs vt probatum etiam est in dicta secunda opinione, atque adeo Cruciatę priuilegia de priuilegijs localibus participant.

14 Ex altera verò parte Cruciatę priuilegia neque sunt omninò localia, nam priuilegia absolutè localia sunt ita addicta loco, vt extra talem locum nemo possit illis frui, vt rectè asserit prima opinio, cuiusmodi sunt illa, quę habent aliquę Ecclesię, seu altaria ad lucrandas aliquas Indulgentias, quas extrà tales Ecclesias, & altaria nemo potest lucrari; Cruciatę autèm priuilegijs poterit quis frui etiam extrà regna priuilegiata, vt dictum est in eadem prima opinione, atquè adeo Cruciatę priuilegia de priuilegijs personalibus participant, ac proinde à primo ad vltimum Cruciatę priuilegia nequè erunt absolutè personalia, nequè absolutè localia, sed mixta prout tertia opinio asserit Quę meliùs infrà patebunt cum de personis, ac locis per Cruciatam priuilegiatis in particulari dicemus.

QVÆSTIO II.

De Concessione Bullæ Cruciatæ.

VIdẽdum erit in pręsenti quęstione qui nam primus Bullã Cruciatę instituerit, quiue primus illam Regi Catholico concesserit, & qui possint hanc Bullam concedere.

DIFFICVLTAS I.

Quinam primus Bullam Cruciatæ instituerit?

1 COnueniunt Scriptores Vrbanum II. primò Bullam Cruciatę instituisse anno Domini 1095. volens enim dictus Sum. Pontifex expeditionem transmarinam contrà Christianorũ hostes, quam Gregorius VII. eius prędecessor solùm designauerat, iam perficere, indixit Concilium Claromontanum, in quo tam viuidè, tantoque animi ardore præ oculis illius dignissimi cetus proposuit iniurias, quas ab infidelibus fideles sacrum sepulchrum frequentantes in dies patiebantur, vt breui ex omnibus prouincijs, ac regnis ad sexcentamillia in dicta sacra expeditione adscripti fuerint, quos idem Vrbanus crucis

crucis ex rubro panno confecto super dexteram militum scapulam posito decorauit, ac tunc temporis primò præsens Bulla tanquam prætiosissima Margarita è communi Ecclesiæ Thesauro prodijt.

2 Quamuis enim ab ipso nascẽtis Ecclesiæ exordio mos semper fuerit, eritque Indulgentias concedere, sub hac tamen forma, ac tam plena manu (vt videbimus) dictus Vrbanus II. prout dictum est, primus omnium illas concessit.

DIFFICVLTAS II.

Qui nam primus, & quo tempore concesserit Regi Hispaniarum Cruciatam?

Perez. 3 PErez de Lara *l. 1. Comp. trium grat.* testatur ex quibusdam libris ipsius Catholicæ Maiestatis, Iulium II. anno D. 1509. cõcessisse Regi Hispaniarum Cruciatam, videlicet Ferdinando tunc contrà Turcas, & Mauros proficiscenti vt refert *Zurita to. 6. Hist. l. 8. c. 4.* quod quidem bellum feliciter dictum Regem Catholicum gessisse, testatur. *Sandoual to. 1. Hist. Caroli V. Imp. l. 1. §. 30.* deinde vero an. D 1519. à Leone X. alijsq; Sum. Pontificibus sequentibus vsquè ad hæc nostra tempora, quamuis cum aliquali interruptione Hispaniarum Regibus dictã Cruciatam concessam fuisse. Zurita. Sandou.

Pirri. 4 *At Abbas Pirri l. 3. Episc. Siciliæ Not. 5. n. 30.* affert in mediũ quoddam Breue datum Romæ an. D. 1497. ab Alexãdro VI. qui ante Iulium II. rexit Ecclesiam, in quo quidẽ Breui dictus Alexander constituit Commissariũ Generalem Cruciatæ in hoc Siciliæ Regno, & Insulis adiacentibus F. Rainaldum de Montoro Ordinis Prædicatorum Episcopum tũc Cephaleditanum.

5 Hinc quamuis non certò inferatur dictum Alexandrum primò concessisse Regi Catholico Cruciatam, clarè tamen infertur, dictum Iulium II. nõ fuisse primum, qui Regi Hispaniarum dictam Cruciatam cõcesserit. Ceterùm ante dictum Alexandrum inueni neminẽ, qui nostro Regi hanc Cruciatam cõcesserit, quarè satis probabilitèr crediderim, Alexandrum VI. primò Regi Catholico Cruciatam concessisse.

DIFFICVLTAS III.

An Sum. Pontifex omninò teneatur concedere Regi Catholico Cruciatam?

6 AFfirmat *Cutel. in Patro. pro regia iurisdictione n. 206.* & 207. docetque hanc obligationem esse ex iustitia, ex eo quia Sum. Pontifex, ait, est pater ergò ex iustitia tenetur dare filijs cibum in tẽpore, quod quidem nihil aliud est, nisi Indulgentijs fideles cumulare. Cutelli.

7 Negat tamen per se loquendo *Bardi p. 1. tr. 2. c. 6. à n. 133.* & meritò, nam quamuis Sum. Pontifex sit pater, atquè adeo debeat distribuere in filios, hoc est in Fideles cibum in tempore, nempe pabulum doctrinæ tempore congruo, atquè & Indulgentijs illos adiuuare: attamèn talem obligationem dico, esse ex charitate, non autèm ex iustitia, vt clarè patebit per omnes tres iustitiæ species discurrenti; ac proinde per se loquendo non grauiter peccabit Bardi. Auctor.

Sum-

Sum. Pontifex Cruciatam non concedendo, vel illam iam cōcessam reuocando, nam alioquin tanquam iniusti dannandi forent tot Sum. Pontifices, qui absolutè Cruciatam non concesserunt, vel illam iam concessam reuocauerunt.

8 Iam, verò quia charitas non semper, seu per se loquendo obligat, nisi per accidens, hoc est in quibusdam tantùm circūstantijs magnæ necessitatis, hinc consequentèr dicimus, Sum. Pontificem per se loquendo nō teneri Cruciatam concedere, posse tamē per accidens ad hoc teneri, ex eo quia possunt tales circumstantiæ occurrere, vt secundum prudentum hominum existimationem teneatur Sum. Pontifex ex lege charitatis (vt dictum est) Principibus Christianis contr infideles, & præsertim Regi Catholico vt totius Christianæ reip. benemerentissimo, saltem hoc Cruciatæ subsidio subuenire. ex quibus satis patet ad rationem in contrariū *Cutelli* confundentis obligatione iustitiæ.

DIFFICVLTAS IV.

An alius Sum. Pontifice inferior possit Bullam Cruciatæ concedere?

9 PRæsens Difficultas nō procedit quod omnia, quæ in Bulla Cruciatæ includuntur cū satis constet, multa illius priuilegia à solo Sum. Pontifice concedendi posse, vt est facultas absoluendi à casibus & censuris ipsi soli Pontifici reseruatis: cōmutatio quorumdam votorum similitèr reseruatorum: administratio aliquorum Sacramentorum tempore interdicti: Indulgentia plenaria, & alia huiusmodi, vt videbimus. nempe loquimur de Principibus sæcularibus, sed de solis Ecclesiasticis, non Cruciatæ priuilegia cū directè tendant in bonum spirituale animarum, nequeunt à Principe sæculari emanare.

10 Quærimus ergò hic, An Archiepiscopus, vel Episcopus possit pro sua tantùm Diœcesi instituere Bullam aliquam cōtinētem aliqua priuilegia, quæ dignitatem episcopalem non excedant, vt est priuilegium absoluendi à casibus, & censuris ipsi soli Episcopo reseruatis: priuilegium dispensandi in votis & iuramentis Sum. Pontifici non reseruatis: potestas lucrandi aliquas indulgentias non quidem plenarias sed quę ab ordinarijs, concedi possunt, & his similia, itaùt, qui velit ex proprijs subditis huiusmodi Bulla frui tenentur aliquam eleemosynam soluere.

11 Negat absolutè *Nauar. 6. 5. de pan & remiss. cons. 18. n. 5.* ex eo quia potestas absoluendi à peccatis, & censuris, potestas etiam dispensandi in votis & iuramentis est quid spirituale, vt patet; res autem spiritualis nequit conferri cum pacto antecedente recipiendi aliquid temporale absquè peccato Simoniæ, vt constat ex *c. ex multis 1. q. 3. & 1. quam pio q. 2.* *Nauarr.*

12 Affirmat autē absolutè *Herriq. l. 7. de Indul. c. 31. n. 1.* ex eo quia de facto ita pratticari in Regnis Hispaniarum, ipse testetur. quam opinionem cum triplici limitatione indiuisibiliter sumpta sequitur *Trullen. in q proæm. D. 2.* Cruciatam nō cōcesserit; vel si aliqua vrgeat neces- *Herriq.* *Trullen.*

necessitas, & pecunia pro concessione, talis Bullæ collecta a pijs tantùm operibus applicetur.

Bardi. 13 At *Bardi tr.1.c.4.* media via incedere videtur, videlicèt non posse Episcopum huiusmodi Bullam propria auctoritate instituere, posse tamen ex Sum. Pontificis licentia. Sed pace tanti viri etiam simplex clericus, imò & laicus (vt infrà dicemus) nedùm Episcopus poterit de licentia Sum. Pontificis dictas Bullas concedere, cum hoc sit solius iurisdictionis actus, nō autèm Ordinis. Quod autèm in præsenti quærimus est, An Episcopus ratione sui officij, ac Potestatis, seu ex vi suę Episcopalis dignitatis, & iurisdictonis possit huiusmodi Bullas concedere.

Auctor. 14 Dicendum igitùr primò, per se loquendo, hoc est spectata vi sui officij, ac Episcopalis Iurisdictionis posse huiusmodi Bullam pro sua tātùm Diœcesi statuere; primò quia Episcopi ex sui tantùm officij, & iurisdictionis & absquè vlla Sum. Pontificis licentia possunt, & solent in quibusdam votis ac iuramentis dispensare cum onere erogandi certam aliquam eleemosynam pauperibus, vel alijs pijs operibus, absquè vlla simonię nota, vt

Lessius. docet *Less.l.2.c.36.D. 9.* & communiter DD. iam totū id, quod potest Episcopus oretenus, vtiquè ęquè benè (nisi aliqua prohibitione à Superiore impediatur) poterit etiam per rescriptū quod quidèm formalitèr est, Bullam, de qua loquimur, statuere.

15 Probatur secundò à priori, quia Episcopus ex vi sui officij est plenè, ac perfectè Pastor, & Princeps in sua Diœcesi, ergò habet plenam, ac perfectā potestatem condendi leges in sua Diœcesi, & statuendi, ac concedendi, quidquid saluti spirituali suorum subditorum expedire cognouerit, vt est dispensare in votis, seu iuramentis; largire Indulgentias, & huiusmodi, quod autèm hoc faciat vel oretenùs, vel per rescriptum: cum aliquo onere, vel omninò gratis, se habet solùm per accidens. quam quidem potestatem Episcopus nō accipit à Sum. Pontifice, sed ex vi suę ordinationis, & consequenter immediatè à Christo, quamuis eidem Sum. Pontifici subordinatam, ob quod potest ab eodem Sum. Pontifice in partem, seu in totum impediri, seu modificari. hinc.

16 Dicendum secundò prędictam potestatem Episcoporū quoad modum illa vtendi, nēpè per rescriptum, esse iam impeditam, vt patet ex *c. Ad nostram, de simonia* & ex *c. vlt. de pactis*, & nouissimè ex *Trid sess. 22.* & alibi. in quo sensu, nempè per accidens, benè prima opinio *Nauarri* procedit. quarè si alicubi etiam per rescriptum hoc fiat ab Episcopis, vtique fit ex tacita, vel expressa Pontificis licentia, vel potiùs nunc ex immemorabili consuetudine, quę habet vim abrogandi Ius positiuum.

17 Cognitis iam personis, quę Cruciatam concedere possunt, consequentèr esset agendum de personis, ac locis, quibus dicta Cruciata conceditur; attamèn quia de his post discussionem omnium ipsius Cruciatę priuilegiorum commodiùs agere videtur, ideo de sola Cru-

Cruciatę duratione hic agemus.

QVÆSTIO III.

De Duratione Bullæ Cruciatæ.

COgnita essẽtia, & natura Bullę Cruciatę, eiusq; concessione, de ipsius Duratione, quę est eius veluti proprietas, hic agere visum est, vt sic deinceps expeditiùs ad huius Bullę mirabiles effectus, deueniamus.

DIFFICVLTAS I.

Quonam tempore incipiat Bulla habere valorem.

1 COnueniũt primò DD. Bullę valorem, eiusque efficaciam incipere à die, quo solemniter publicatur, & promulgatur, ita enim expresśè in ipsamet Bulla statuitur, in qua assignatis personis, ac locis in particulari, quibus huius Bullę priuilegia conceduntur, hęc verba adduntur: *Qui intrà annum à die publicationis præsentium in singulis locis prædictis faciendæ, inchoandum &c.*

2 Conueniunt secundò DD. dictam Bullę publicationem non consistere in publicatione quę fit per concionatorem, à Commissario ad hoc munus electum, sed in solemni, ac publica processione, quę pro publicanda hac Bulla in quolibet etiam paruo Oppido solemnitèr instituitur. et meritò, quià talis processio est quædã ipsius Bullę publica, seu communi nomine acceptatio; vnde communitèr Fideles facta dicta Processione etiam ante concionẽ accipiunt Bullas à Depositarijs, & absq; vllo dubio, imò communi consensu Cruciata vtuntur.

3 Dubitari tamen hic posset, An Bulla intelligatur sufficienter publicata in tota Diœcesi, eo ipso quod in Metropoli modo dicto publicatur?

4 Et quidem ratio dubitandi pro parte affirmatiua est, quià omnis lex eo ipso quod publicatur in Metropoli, quę est veluti caput totius Diœcesis publicata etiã sufficienter intelligitur in reliquis eiusdẽ Diœcesis locis, quę consequenter ad talem legem obligat obseruandam, ita etiam de Bulla videtur dicendum.

5 Negant tamen communitèr DD. & meritò, cum expresśè in eadẽ Bulla dicatur. *A die publicationis præsentium in singulis locis*; ergo non sufficit publicatio in sola Metropoli, vt dictũ est. ex quibus patet disparitas ad rationem dubitandi in contrarium, nam dicta conditio non apponitur in publicatione legum, & consequenter eo ipso quod in Metropoli, vt in capite publicantur leges, statim & reliqua loca, vt illius minora mẽbra benè obligare censẽtur. *Auctor.*

DIFFICVLTAS II.

An Annus Durationis Bullæ possit enumerari etiam à die acceptionis?

6 AFfirmãt aliqui, quos tacito nomine laudat *Lud. à Cr. D. 1. c. 10. d. 1. n. 3.* atquè adeo si Bulla v. g. publicetur primo Ianuarij, aliquis verò illam sumat primo Maij, volunt ij DD. *Ludou. à Cruc.*

DD. annum durationis bullæ susceptę respectu huius enumerādū esse à primò die Maij, & cōsequenter pro tali suscipiēte dictam bullam duraturam vsquè ad primum diem Maij anni sequentis.

Lud. à cr. 7 Negant tamen ipse *Lud. à. Cr.* cit. qui oppositum vocat errorē tolerabilem, *Bardi. p. p. tr. 2. c. 6. n. 7.* qui opinionem contrariam appellat falsam, & communiter *Bardi.* DD. ac meritò, nam cum apertissimè in eadem bulla dicatur, *Auctor.* Annum durationis bullæ à die publicationis incipere (vt superiori Diff. dictum est) sanè asserere, quod dictus annus possit etiam incipere à die acceptationis, est apertè contradicere verbis eiusdem bullæ. quarè si quis bullam accipiat in medio anno à die publicationis nō poterit illa vti, nisi pro alia medietate anni, quà transacta statim bulla expirabit; atq; adeo negligentia acceptantis nequit facere vt bulla vltrà annum duret.

8 Annua igitùr duratio bullæ Cruciatæ non per ordinem ad fideles illam suscipientes mensuranda erit, sed tantùm per ordinē ad ipsammet bullā, omninò prescindendo ab acceptatione, vel nō acceptatione, adeout si à nemine accipiatur, tempus acceptationis bullę nullo modo suspendatur, sed semper currat ac proinde sicuti nemo ante diem publicationis bullę potest frui priuilegijs bullę, ita nequè trāsacto anno à die eiusdem publicationis. an verò dictus annus sit ecclesiasticus, an verò naturalis, dicetur infrà.

DIFFICVLTAS III.

An si quis sumeret Bullā paucis horis antequam illa publicetur, possit is tali bulla vti etiam pro ijs horis?

9 QVamuis Depositarij bullarū soleāt distribuere bullas post sollemnē processionem, qua bulla publicatur (vt Diff. prima dictum est) potest tamen contingere, vt quis eodem die, quo publicanda erit bulla, illam de facto sumat, antequam ipsa bulla actu publicetur; v.g. hora decima quarta sumatur bulla, Processio autèm deinde fiat hora vigesima, eiusdem tamen diei sex videlicet horas ante actualem publicationem bullę. Quęrimus igitùr in tali casu, An pro illis etiam paucis horis pręcedentibus publicationem bullę, vtilis sit talis bullæ susceptio?

10 Et quidem ratio dubitandi affirmatiua est, quia ex vna parte valor, seu efficacia bullę (vt suprà Diff. prima dictum est) incipit à die quo solemnitèr ipsa bulla publicatur, ac proinde nō ab hora ipsius actualis publicationis; ex altera vero parte totum illud temporis spatium sex horarum ante actualē bullę publicatione, cum non sit extrà ipsum diem publicationis (vt patet) consequenter etiam admisso ipso valore bullę pro dictis horis ante ipsius publicationem adhuc verificatur, valorem bullę non incipere, nisi à die publicationis eiusdem bullę. Adde parum, pręsertim in moralibus, pro nihilo reputari.

11 Negandum tamen omninò eſt, nam valor, ſeu efficacia bullę taliter procedit ab ipſius bullæ publicatione (vt ſuprà n. 1. dictum eſt) & conſequenter publicatio bullæ ſe habet vt adæquata cauſſa reſpectu dicti valoris, ac proinde pro nullo paruo etiam tempore ante talē publicationem poterit haberi valor eiuſdem bullæ aliter haberetur effectus abſq; ſua cauſſa. Verùm tamen eſt, quod in ipſo proceſſionis initio, exiſtimo, ſatis bullā publicatam haberi, totam autèm ipſam proceſſionem adæquatè ſumptam, eſſe veluti extenſionē dictæ publicationis. *Auctor.*

12 Ad rationem autèm dubitandi in contrarium dico, quod valor bullæ dicitur incipere à die publicationis largè, hoc eſt pro hora indeterminatè ſumpta; eo modo quo obligatio recitandi horas canonicas dicitur ſimilitèr incipere à die ſumptionis ordinis ſacri, cum tamen certū omninò ſit non incipere, niſi ab ipſamet hora dictæ Ordinationis.

13 Ad confirmationem autèm reſpondeo, parum pro nihilo reputari, quoties res indeterminatè conceditur, nō autē quando ipſi rei conceſſe præſcribuntur termini determinati, prout determinari terminos tàm inceptioni, quàm deſitioni durationis bullæ iam ſatis dictum eſt, & infrà etiam dicetur.



DIFFICVLTAS IV.

An Annus durationis bullæ ſit naturalis, an verò Eccleſiaſticus?

14 Annus naturalis conſiſtit in ſpatio trecentorum ſexaginta quinque dierum cum aliquibus horis, qui dicitur etiā ſolaris, quatenus per hoc temporis ſpatium ſol ſuum perficit curſum. Annus verò Eccleſiaſticus incipit ab aliquo termino & durat vſquè ad alium ſimilem terminum, qui in præſenti materia eſt publicatio bullæ, inter quam ac ſequentem bullæ publicationem poterit intercedere maius, vel minus ſpatiū 365. dierum. vt ſæpè contingit.

15 Quærimus ergò in præſenti, an bulla duret ex vna publicatione vſquè ad ſequentem proximam publicationem, an verò per dies 365. tātùm, nequè plures, nequè pauciores.

16 *Rodriq. §. 5. n. 2. Sanch. l. 8. de matr. D. 15. n. 19. Lopez t. 2. inſtr. tr. de Clau. c. 6.* aliiq; docent, bullam durare per annum naturalem, ſeu ſolarem; primò quia verba priuilegiorum ſumi debent eo modo quo communitèr ſumi ſolent; iam nomine anni communiter intelligitur ſpatium 365. dierum, ergò ſic in hac materia ſumi debet. Secundò quia ſaltem multa bullæ priuilegia ſunt ſtricti Iuris, ergò etiam ſtrictè ſumenda eſt illorū duratio. Tertiò quia ſi quis elapſo anno naturali vellet virtute bullæ abſolui ab aliquo reſeruato poſt dictum annum commiſſo, fortaſſis ſe exponeret pe- *Rodriq. Sanch. Lopez.*

riùs erit dicere annum durationis Bullæ esse naturalem, non autèm ecclesiasticum.

17 At *Herriq. l.7. c.20.n.2. Lud. à Cruc.D.1.c.10.d.2.n.3.Trullen. l.1.§. 1.d.11.n.3.Io.Sanc.in selec. D.55.Villal.t.1.sum. tr.27.clauf. 4.n.8.Bardi p.1.tr. 2.c. 6.n.11.*& longè communiùs DD.asserunt, annum durationis Bullę esse ecclesiasticum, nempè spatium totum illud dierum, quod currit intèr vnam Bullæ publicationẽ, & alteram, ac meritò, primò quia fideles sumentes hanc Bullam satis communiter existimãt durare. vsque ad publicatonem nouæ Bullæ (nisi noua publicatio non sit sequutura, vel diù differenda (vt infrà Diff. 8 dicetur.) Secundò quia res ecclesiasticas, ecclesiastica mensura metiri debemus: sic sufficienter satis fit Ecclesiæ præcepto de annua confessione dùm quis ex vno Paschatè in aliud Pascha differat confessionẽ, etiamsi plures dies quam 365. intèr vnum, & aliud Pascha fluant. Similiter sacro ordine initiatus tenetur singulis diebus recitare horas Canonicas, & tamen huiusmodi dies non sumitur mathematicè, & secundùm cursum naturalem, nempè 24. horarum, sed artificialiter, & longior, nempè à Vespere diei præcedẽtis, vsquè ad mediam noctem diei sequẽtis. idem etiam patet in aliquibus alijs Ecclesiæ statutis, nisi expressè aliud in cõtrarium habeatur, ergò idem dicẽdum erit de annua duratione Bullæ.

Herriq. *Lud.à cr.* *Trullen.* *Io.Sanc.* *Villalob.* *Bardi.*

Auctor.

18 Ad primã autèm rationẽ AA. in contrarium dico, quod nomine anni, & præsertim in rebus Ecclesiasticis, venit etiam spatium aliquanto maius 365. dierum. Ad secundam Dico, nõ amplè dictum annum interpretamur eo modo, quo in præceptis Iuris communis sumitur, vt dictum est. Ad tertiam autèm nego sequelam nulli enim periculo se exponit, qui iuxtà præcepta Iuris communis, ac tot grauium DD. interprætationẽ operatur.

DIFFICVLTAS V.

An quando Annus Ecclesiasticus est breuior anno naturali, possit priuilegiatus vti eadem Bulla, donec cõpleatur annus naturalis?

19 Affirmant *Rodriq.§.5.n.2. Io.Sanc. in selec. D.55.n. 4. nonnulliq;* alij, ex eo quia annus ecclesiasticus introductus sit à Sum. Pontificibus, & DD. ad augendum annum naturalẽ, nõ autèm ad illum destruendũ; quarè secundum hanc opinionẽ si hoc anno publicetur Bulla primo Februarij v.g. anno verò sequenti publicetur primo Ianuarij, vtiquè in tali casu, nõ obstãte publicatione nouæ Bullæ poterit illa Bulla valere, vsque dũ compleatur annus naturalis, nempè vsquè ad primũ diem Februarij. *Rodriq.* *Io. Sanc.*

20 Negant tamen *Trullen l.1. §. 1.D.11.n.4.Gomez. clauf. 5.n. 1. Villalob. to.1.sum.tr.27.clauf. 4. n.11.Bardi tr.2.c.6.n.*16.& communiter DD.& meritò, nam per quamlibet nouam publicationẽ subsequẽtium Bullarum suspẽduntur omnes gratiæ tum similes, tum dissimiles iam concessæ, vt in qualibet Bulla expressè habetur, & nos infrà dicemus, ergò publicata noua Bulla cessat valor antecedentis Bullæ. *Trullen.* *Gomez.* *Villalob.* *Bardi.* *Auctor.*

neque dicas hoc esse fraudare fideles Bullam sumentes, nam talis defectus aliquo alio anno cōpensabitur, & præsertim quod ipsis cōstare debeat annū ecclesiasticum, pro quo conceditur Bulla aliquando maiorem, aliquando verò minorem fore anno naturali.

21 Ad rationem autèm in contrarium dico annū ecclesiasticū non esse quidem introductum ad destruendum annum naturalem, sed ad determinandum, seu modificādum quonam modo sit ille computandus, quam quidem cōputationem, seu modificationem ipsa praxis, seu cōsuetudo fidelium declarat vt dictum est. quarè cum dictus annus ecclesiasticus in reliquis rebus nunc maior, nunc minor sit anno naturali, idem consequenter in præsenti materia dicendum erit.

DIFFICVLTAS VI.

An annus Bullæ computandus sit per ordinem ad publicationem factā vbi Bulla accipitur, an verò per ordinem ad publicationem factā vbi priuilegiatus inuenitur?

22 DIximus suprà Diff. 4. annū durationis Bullæ computari ab vna in aliam Bullæ publicationem. Iam verò publicetur Bulla v. g. Valētiæ primo Ianuarij, ibiq; Titius Bullam sumat, deinde verò is se conferat v. g. Panormum, vbi primo Februarij, ponamus, Bullam publicari: quærimus ergò in tali casu; An dicta Bulla duret vsq; ad nouam publicationem Valentiæ faciendam, an verò vsquè ad publicationem faciendam Panormi, vbi Titius inuenitur.

23 *Io. Sanct. D. 5. ci. n. 9.* docet, dictam Bullam tunc durare vsque ad publicationem nouæ Bullæ faciēdam in loco, vbi Titius, qui dictam Bullam sumpsit, inuenitur; cuius ratio est, quia aliter priuilegiatus priuaretur absque sua culpa tot Bullæ priuilegijs per spatium totius mensis Ianuarij (ni velit iterū Valentiā redire) quod æquū minimè videtur. Adde, iuxtà cōmunissimā opinionē, posse peregrinū gaudere priuilegijs loci, in quo inuenitur, sic si quis v. g. inueniatur hodie hic vbi nō ieiunatur vtiq; poterit nō ieiunare, quamuis in sua patria hodie ieiunetur &c. ita & in casu nostro, dum Titius Panormi inuenitur, vbi adhuc durat prior Bulla; quamuis Valentiæ expirauerit, poterit tamen se conformare cum fidelibus loci, & consequenter adhuc per totum mēsem Ianuarij veteri Bulla vti. *Io. Sanc.*

24 At *Trull. l. p. 5. 1. D. 11. n. 5. & Bardi ci. n. 22.* docent in tali casu Bullam illā solùm vsque ad publicationem nouæ Bullæ faciendam in loco vbi illa Bulla sumpta fuit, & sic non posse Titium iuxtà casum positum illa vti mēse Ianuarij. & meritò, nam duratio Bullæ quamuis per accidens possit enumerari etiam per ordinem ad personam sumentē, & cui applicatur, quam respicit tanquam forma moralis vt suum subiectum, vnde hoc cessante, nempe mortua persona cui fuit Bulla applicata, cessat & ipsa Bulla neque consequenter poterit ea Bulla alteri applicari; attamen primò, & per se nequit duratio Bullæ enumerari per ordinem ad personam sumentem, aliter *Trullen. Bardi. Auctor.*

durante

durante subiecto, adhuc & ipsa Bulla semper duraret, quod est Bullæ duratio, primò, & per se loquendo per ordinem ad sui publicationem, quæ vtiquè facta fuit in loco illo in quo ipsa Bulla sumpsit valorem; & consequenter quamuis persona per varia loca vagetur, ipsa tamen Bulla semper respiciet publicationem eiusdem loci tanquam mensuram sui valoris, seu durationis, quę quidem duratio (in casu posito) cum cesset, & expiret per publicationē nouę Bullę factam Valentię primo Ianuarij nequit per vagationem personę sumentis reuiuiscere.

25 Ad rationem autē incontrarium dico primò, non esse tam graue damnum priuare aliquē per aliquot dies, ac per accidēs priuilegijs Bullę. Dico secundò, hoc non esse absolutè priuare, & multò minus fraudare, cum iam impletus sit annus, pro quo vsus talis Bullę fuit ei concessus. Ad confirmationem autèm, nego paritatem, nam doctrina allata valet pro solis priuilegijs omninò localibus, & veluti loco affinis, qualia non sunt priuilegia Bullę, vt suprà diximus Q.1.D.3.

26 Adde istam Confirmationē multū probare si quid probaret, probaret enim nō sumentes Bullam; vt se conforment cum fidelibus illam sumentibus, posse similiter gaudere priuilegijs eiusdem Bullę, quod est apertè falsum.



DIFFICVLTAS VII.

An transacto anno publicationis Bullæ, possit priuilegiatus vti veteri Bulla saltem per aliquot dies?

27 Conueniunt DD. per publicationem nouę bullę per se loquendo veterem Bullā statim expirare, neque vllius amplius esse valoris. Difficultas igitur solùm procedit in aliquo casu per accidens, quando quis se absque sua culpa nequit nisi post aliquot dies Bullam sumere, siuè ob pupuli numerositatē, siue ob negligentiam seu malitiam Distribuitoris Bullarum, vel quid simile, An scilicet is in huiusmodi casibus per accidens possit vti veteri Bulla pro illis paucis diebus, antequam de facto nouam Bullam sumat.

28 Affirmat *Villalob. tom. 1. sum. tr. 27. clausᵭ. 5. n. 8. Io. Sanc. D. 9. ci. n. 5. Lud. à Cruc. D. 1. c. 10. d. 2. n. 6.* nonnullique alij; ex eo quia præsumendum est, nolle Sum. Pontificem in dictis, & similibus casibus per accidens priuare fideles priuilegijs bullę absq; vlla illorum culpa, & cōsequenter velle per illos paucos sex vel octo dies, adhuc veterem Bullam durare. *Villalob. Io. Sanc. Lud à cr.*

29 Negant tamen *Bardi p. 1. tr. 2. c. 6. n. 28.* alijque, & meritò, nam quoties statuitur tempus, quo aliquod priuilegium durare debet, eo tempore elapso statim tale priuilegium absolutè expirabit, vt communiter DD. concedunt; cum igitur in eadem Bulla expresè statuatur, priuilegia Cruciatę non durare nisi intrà annū publicationis, cōsequēter facta nouę bullę publicatione *Bardi. Auctor.*

tione statim priuilegia prioris Bullæ expirare necesse est. Quomodo autē intelligatur durare p causis inceptis, infrà dicetur.

30 Ad rationem autem AA. in contrarium, dico ex eo quod quis in dictis casibus priuetur Bullæ priuilegijs per paucos tantùm dies, non esse rationem sufficientem ad statuendum aliquod ex sola præsumpta Sum. Pontificis volũtate contrà idipsum quod expressè ab eodem Sum. Pontifice statuitur circa durationem Bullæ prout dictũ est.

DIFFICVLTAS VIII.

An si quis sit certus, quod transacto anno publicationis susceptæ Bullæ non sit noua Bulla publicanda, vel eius publicatio sit nimiùm differenda possit is adhuc veteri Bulla uti?

Trullen. Bardi. 31 PVblicetur hoc annuo Bulla primo Ianuarij v.g. adueniente autem primo Ianuarij anni sequentis, nolit Sum. Pontifex ampliùs Cruciatam concedere vel iubeat, publicationem nouæ Bullæ ad multum tempus differri, v.g. ad sex vel octo mẽses, vel ad annum, &c. quærimus in vtroque casu, an vetus Bulla statim expiret ipso dicto primo die Ianuarij anni sequentis an verò vltrà prodesse poterit, saltẽ per aliquot dies ipsius mensis Ianuarij.

32 *Trullen. l. 1. §. 1. D. 11. n. 4. & Bardi ci. c. 6. §. 5.* docent, veterem Bullam in vtroque casu statim dicto primo Ianuarij sequentis anni expirasse, nequè ampliùs vtilem fore. Quorum ratio est, quia in vtroque casu posito, annua duratio Bullæ necessario terminanda erit anno naturali; nam Bulla cum ad annum concedatur, nequit semper durare; cum igitur in dictis casibus nequeat annus durationis Bullæ claudi termino ecclesiastico, nempe noua Bullæ publicatione, claudendus consequenter erit termino naturali, seu solari videlicet die trecẽtesimo sexagesimo quinto, ac proinde iuxtà casum positũ, nequit vetus Bulla prodesse vltrà primum diem Ianuarij anni sequentis ab illius sumptione.

33 Dicendum tamen puto, in vtroque casu posito veterem Bullam vtilem fore saltem per aliquod breue dierum spatium, vltrà spatium dierum anni naturalis. Probatur, nam posito quod annus durationis Bullæ sit ecclesiasticus, (vt supra n. 17. dictum est) vtiquè non videremur consequenter discurrere, si nunc, vt difficultatem effugiamus, ad annum naturalem recurramus, sed deficiente termino ecclesiastico, nempe nouæ Bullæ publicatione, (vt cõtingit in allatis casibus) quã dictus annus Ecclesiasticus clauditur, tũc benè recurrere possumus ad terminum moralem, consistentem in prudentum hominum iudicio, vt communiter fit in rebus moralibus, ac priuilegijs cõcessis pro aliquibus tantum diebus indeterminatè sumptis. *Auctor.*

34 In vtroque igitur casu posito, cõpleto iam anno naturali 365. dierum à Bullæ publicatione, addendum erit aliud dierũ spatium, quod suprà dies 365. benè poterit enumerari intrà spatiũ anni Ecclesiastici; & quidem mini-

minimũ quoad priuilegia odiosa, nempe decem dierum: maximum verò quoad priuilegia fauorabilia, nempe triginta quinque dierum, facta proportione cum extensione anni ecclesiastici in ordine ad præceptum annuæ cõmunionis seu confessionis, qui quidem annus constare poterit 400. diebus, non autem pluribus, nam Pascha nequit esse ante 22. diem Martij, & vltrà 25. diem Aprilis inclusiuè. ad quod fauet *Bardi ci.n.32.* loquẽdo in casu quo nouæ bullæ publicatio sit ad longum tempus differenda; sed reuera non tam cohærẽter ad sua principia. Ad rationem autèm AA. in contrarium, patet ex dictis.

DIFFICVLTAS IX.

An confessio vi bullæ incepta tempore habili, possit vi eiusdem bullæ perfici transacto anno publicationis, etiãsi malitiosè non fuerit talis confessio completa?

35 CONueniunt DD. cõfessionem virtute bullæ inceptam tempore habili, posse vi eiusdem bullæ perfici, & cõpleri adhuc transacto anno eius publicationis, quoties ex aliquo legitimo impedimento talis cõfessio compleri non potuit. Et meritò, primò quia hoc expressè habetur in bulla plumbea his verbis: *Item declarant, quod expirante anno, omnes prædictæ facultates, gratiæ, & indulta expirent, tantùmque poterunt caussæ pendẽtes ad finem perduci.* Secundò quia de iure communi habemus, iurisdictionem, quam habet Delegatus, nunquam expirare quoad caussas semel tempore habili inceptas, nisi vsquedum totaliter finiantur, vt omnes concedunt. quarè etiãsi hoc in bulla expressè non apponeretur, adhuc intelligi deberet. quamuis igitur annus publicationis bullæ sit transactus, & per consequens & ipsa bulla spirare per se deberet, per accidens tamen, nempè in ordine ad complẽdam eam confessionem iam tẽpore habili inceptam, adhuc durare censetur. idemque asserendum est de reliquis bullæ priuilegijs, quæ diuisibiliter, ac per partes incipi, & finiri patiuntur.

36 Dubitare tamen quis posset, An idem asserendum sit quando pænitens, non ex aliquo legitimo impedimento, nequè ex cõfessarij consilio differt confessionem complere vltrà annum durationis bullæ sed ex sola malitia noluerit suam confessionẽ tempore habili complere.

37 Affirmat tamen *Bardi p. 1. tr. 2. c. 6. n. 44.* & meritò, nam ex quacunque malitia differatur confessionis complementum, (dummodo ea confessio ritè, ac validè tempore habili incipiatur) semper tamen verum erit dicere, caussam hanc confessionis non esse integram, sed pendentem elapso anno publicationis, atquè adeo idem confessarius virtute eiusdem bullæ electus poterit eandem ante ipsum iam tempore habili inceptam, ad finẽ perducere, adhuc elapso anno publicationis, pro vt supra dictum est. Dixi *dummodo ea confessio validè tempore habili incipiatur*, nam de confessione inualidè incepta dicetur infrà Diff. 11. pro qua, & præsenti etiã Difficultate statuendũ est, quinã requi- *Bardi.* *Auctor.*

quiratur adhoc vt confessio verè, & absolutè dicatur incepta.

DIFFICVLTAS X.

Quando nam cōfessio dici possit absolutè incepta itaut cōpleri possit adhuc transacto anno durationis Bullæ?

Bardi. 38 BArdi *p. 1. tr. 2. c. 6. n. 35.* docet, quodlibet signum, quod fieri solet ante peccatorū enarrationem, vt est Genuflexio ante Confessarium, signum Crucis, prolatio confessionis generalis, nempè Confiteor Deo, & tibi Pater &c. percussio pectoris, vel aliud huiusmodi signum sufficere ad hoc vt quælibet confessio dicatur sacramentaliter incepta; tribus tamen positis conditionibus. prima est, vt pænitens eligat confessarium vi bullæ: secunda vt eidem confessario electo manifestet, se velle confiteri & ab illo absolui: tertia vt intercedat aliqua rationabilis caussa sufficiens ad differendam cōfessionem vltrà annum durationis bullæ, idquè fiat cum licentia eiusdem confessarij. His positis sic probat suam opinionem: supradicta signa sunt, seù possunt esse sufficiens materia sacramenti pœnitentiæ, vt satis patet. in mutis & moribundis, qui ore nequeunt peccata proferre, quarè positis ijs signis, vtiquè sufficienter, & absolutè dici poterit, esse iam confessionem sacramentaliter inceptam.

39 Alij tamen asserunt, numquā dici posse absolutè confessionē esse sacramentaliter inceptam, nisi saltem aliquod peccatum confessario exprimatur. Et meritò, nam supradicta signa vt signa, quamuis sint quædam præuia dispositio ad sacramentalē confessionē, nullo tamen pacto sunt pars per se integrans ipsam confessionem: patet, quia confessio sacramentalis potest esse integra & perfecta, absquè eo, quod nullū ex dictis signis præcesserit, ergo quibuslibet ex dictis signis positis, adhuc verum erit dicere confessionem sacramentalem esse integram, & non adhuc inceptam, nisi vsquedum aliquod peccatum exprimatur. *Auctor.*

40 Dixi signa *vt signa* reduplicatiuè, ex eo quia talia signa possunt quidem esse, sed per accidens, pars integrans confessionem mutorum, aliorumque, qui loqui nequeunt, sed tunc nego esse mera signa in ordine ad huiusmodi confessiones, sed dico esse verā, ac formalem peccatorum expressionem; vnde vltrò concedo. quodlibet ex dictis signis sufficere ad inchoandā cōfessione illorum, qui loqui nequeunt, nego tamen sufficere per se & absolutè, nempè in ordine ad confessionem illorū qui loqui possunt.

41 Hinc patet rationem *Bardi* esse meram æquiuocationem, & fallaciam à secundùm quid, ad simpliciter; ex eo enim quod huiusmodi signa sufficiant per accidens ad inchoandam confessionē mutorum & huiusmodi nequè quidem vt simpliciter signa (vt dictum est) sed vt veræ, ac formales suo modo peccatorum expressiones, infert eadem signa vt sic, & absolutè sufficere ad inchoandam cuiusuis confessionem.

42 Imo dicta ratio *Bardi*. si quid probaret, probaret etiam, quod absolutè, & per se loquēdo, posset pænitens sufficienter suam inchoare confessionem, si manum confessarij tantū stringat,

cum

cum hoc, vel quid simile sit etiã sufficiens materia pro moribundi confessione, ac multò magis si diceret, *volo confiteri*. Similiter communiter DD. docent, posse à confessario absolui sensibus omninò destitutum, si quis tamen ex circumstantibus testetur, illum antea contritionis signa dedisse: iam ex ratione hac *Bardi*, possem ego similiter incipere meam confessionem, quod est satis absurdum; aliud igitur est, esse materiam per se confessionis aliud verò esse materiam per accidens.

43 Similiter supradictæ tres cõditiones à *Bardi* requisitæ pro firmanda sua opinione, neque vllius sunt momenti; nam satis sufficiẽter pœnitens manifestat se velle confiteri, & absolui consequenter, dum ad pedes confessarij genuflectitur, vel signat se signo crucis, &c. Neque est, cur tam idem *Bardi* laboret indagando rationabilem caussam pro differenda confessione vltrà annum durationis bullæ, cum hoc, ex eodem *Bardi* supra n. 37. docuerimus, fieri posse etiã ex malitia ipsius pœnitentis. Nisi igitur pœnitens tempore habili manifestet sacramentaliter confessario aliquod suum peccatum, nõ poterit ampliùs elapso anno durationis bullæ vi eiusdem bullæ absolui.

DIFFICVLTAS XI.

An confessio vi Bullæ tempore habili incepta, sed inualidè, possit hoc nõ obstante, vi eiusdem bullæ perfici, transacto anno publicationis?

44 Contingere potest, vt incipiat quis vi bullæ tempore habili confessionem, sed inualidè quidem, vel ob defectum propositi non ampliùs peccandi vel ob actualẽ affectum ad peccatum, vel quid simile, videndũ nunc ergò est in tali casu, An is virtute eiusdem bullæ poterit suam confessionem ita inualidè inceptam complere elapso iam anno eius durationis, eo modo quo suprà diximus de confessione ritè incepta.

45 Respõdeo affirmatiuè, dummodo huiusmodi confessio verè dici possit incepta, iuxta dicta in superiori Diff. vt scilicet per se loquendo, aliquod peccatum fuerit confessario expressum. Probatur, nam talis confessio ex vna parte transacto anno durationis bullæ, non inuenitur integra, sed pendens: ex altera verò parte de Iure communi habemus, iurisdictionẽ Delegati non expirare quoad caussas semel tempore habili inceptas, nisi vsque dum illæ finiantur, & hoc etiamsi in talis caussæ inceptione non fuerit in aliquo Iuris ordo seruatus, aliter litiqbus aperiretur aditus; atq; adeò quamuis inualidè, modo dicto, ex parte pœnitentis incepta fuerit cõfessio, benè tamen poterit secundùm omnes reliquas sui partes perfici, etiã elapso anno durationis eiusdem bullæ. *Auctor.*

46 Secùs autem dicendum si cõfessio fuerit inualidè incepta ex defectu culpabili cõfessarij, vt si v.g. Sacerdos facultatem non habeat excipiendi confessionem illã & fingat talẽ facultatẽ habere, decipiẽdo pœnitentẽ & ratio, est quia caussa incepta tũc põt perfici, quãdo fuerit incepta corã legitimo Iudice; at in tali casu, dictus Sacerdos nõ est respectù talis cõfessionis legitimus

Iudex, vt patet, ac proinde talis confessio nequit dici absolutè incepta, nisi æquiuocè, nam sacramentalis confessio non est quælibet peccatorum manifestatio, sed est accusatio sui corã legitimo Iudice, atquè à Deo semper integra remanebit.

DIFFICVLTAS XII.

An si deficiat Confessarius, cum quo incepta est confessio tempore habili, possit vi eiusdem bullæ alius cõfessarius eligi, etiã transacto anno publicationis?

47 Contingere potest, vt transacto anno publicationis bullæ, moriatur, seu in partes longinquas proficiscatur confessarius, cum quo tempore habili pœnitens suam incipit confessionem, Querimus in tali casu, An possit dictus pœnitens vi eiusdem veteris bullę alteri confessario confiteri?

48 Et quidem ratio dubitandi pro parte negatiua est, quia caussæ inceptæ, seu pendentes finiri debent coram eodem Iudice, apud quem inceptæ fuerunt, vt decisũ est in *c. P. G. de Off. Deleg.*

Bardi. 49 Affirmat tamen *Bardi ci. c. 6. n. 60.* Et meritò, quia in eadem bulla absolutè habetur, caussas

Auctor. pendentes posse ad finem perduci, etiam elapso anno publicationis eiusdem bullæ, vt supra n. 35. dictum est. iam defectio dicti confessarij, apud quẽ incepta fuit confessio, non tollit, quin ea confessio adhuc pẽdens, & inchoata perseueret, & per consequens eadem bulla vetus, quoad hanc confessionẽ in particulari non censetur expirasse, ac proinde poterit absolutè apud quẽlibet alium confessarium finiri.

50 Ad rationem autèm dubitandi in cõtrarium dico dispositionem illam in *c. P. G. de Off. Deleg.* expressè esse in ordine ad forũ exteriorem, de quo quidem satis optimè sic sancitũ est aliàs ad fraudes, ac lites satis pateret aditus; nos autèm in præsenti loquimur pro foro interno, & in conscientia. An autèm hoc ipsũ absolutè fieri possit, etiãsi pœnitens post transactum annum publicationis bullæ, in aliquem nouũ casũ reseruatũ inciderit, in sequenti Diff. dicemus.

DIFFICVLTAS XIII.

An si pœnitens ante completam confessionem incidat in casum reseruatum, transacto anno publicationis possit vi prioris bullæ confessionem perficere, & absolui?

51 Potest quis incipere suam confessionem tempore habili, illam tamẽ completurus vltrà annum durationis bullæ, vt dictum est; verùm antequam illam compleat, incidat is in nouum casum reseruatum, transacto iam dicto anno publicationis: quærimus in tali casu an is non obstante nouo peccato reseruato, possit vi eiusdem prioris bullæ absolui.

52 Et quidem ratio dubitandi pro parte affirmatiua esse potest quia quamuis bulla antiqua absolutè expirauerit, stante tamen prorogatione facta quoad casus etiam reseruatos, cẽsetur adhuc eius annus publicationis perseuerare, tam pro tali determinato pœnitente, quam pro tali determinato confessario

cum

cum quo cōplenda erit inchoata confessio, ac proinde vi eiusdem prioris *Bullæ* poterit absolui peccatum etiam reseruatum, adhuc transacto anno publicationis bullæ commissum.

53 Negat tamen *Bardi.ci.n.52.*& meritò, cum expresè in eadem Bulla statuatur experire omnes gratias, facultates, & indulta, expirante anno durationis, caussis pendentibus tantùm acceptis. iam peccatum reseruatum commissum post elapsum annũ durationis est quidem noua caussa, & consequenter nõ incepta, cum tempore habili non extiterit, vt patet, ergò nequit vi prioris bullæ absolui, atque adeo cùm nõ posit vnum peccatum absolui, alterum verò nõ, consequenter, sed per accidens, neque poterunt reliqua peccata absolui, sed absolutè indigebit noua bulla. an verò idem in simili casu dicēdum sit in ordine ad Iubilæum, iurè exagitat idem *Bardi ci.* sed nos alibi, Deo dante. *Bardi.* *Auctor.*

54 Ad rationem autèm dubitandi in contrarium dico, priorem bullam elapso eius anno durationis absolutè expirare etiam pro tali determinato pænitente, ac similiter pro tali determinato cõfessario, ac etiam quoad omnia absolutè; solis tamē caussis pendentibus exceptis, prout in eadem bulla apertè statuitur (vt etiam dictum est) cuiusmodi non est peccatum reseruatũ commissum post elapsum annũ durationis bullæ, vt iam probatum est; ac proinde quoad talē casum nihil vetus bulla prodesse poterit, sicuti neque quoad reliqua priuilegia, quæ elapso anno durationis integra inueniuntur.

DIFFICVLTAS XIV.

An Cruciatæ priuilegia per cõcessionem Iubilæi reuocentur?

55 Affirmãt *Nauar.§. in leuit. D.1.notab.33.n.3. Lopez. to. 2. instr. c. 10. nonnulliq; alij primò quia in Extrauag. Quemadmodum Sixti IV. de pænit. & remis.* per concesionem Iubilæi suspenduntur omnes aliæ facultates concesse Ecclesijs, Monasterijs, Hospitalibus, ac ceteris locis circa Indulgentias, cõmutationes votorum, compositionem super malè ablata, electione confessarij, & absolutionem à reseruatis. Similiter per concesionem Iubilæi Gregorij XIII. suspenduntur facultates etiam singularibus personis cõcessæ; & quod magis est, per Iubileum Clementis VIII. suspenduntur facultates quomodocũque ad instantiam Regum concessæ, vnde videntur directè reuocari hęc Cruciatæ priuilegia, quæ ad instantiam Regis catholici concedũtur: ex quibus probatur secundò dicta opinio, ex eo quia per concesionem Iubilæi absolutè, & absquè vlla exceptione omnes aliæ facultates reuocantur, ac proinde non est vnde Cruciatæ priuilegia excipiantur. *Nauarr.* *Lopez.*

56 Negant tamen *Rodriq. §. 12. n.13. Herriq.l.7.sum. c. 12. n. 3. Sanch.l.8.mat.D.33.n.10. Bonac. de leg.D.1.q.3.p.8.Salas ibi. D. 2. se. co. Palaus to.1.tr.3. D.4.p.21. Trullen. l. 1. §. 1.d.12.n.2.Lud.à cruc.D.1.c. 9.d. 6. Villalob. to.1. sum.tr.27.claus.12.n.8.Bardi p.1 tr.2. c. 6. n. 71.* alijq; DD. communiter; & meritò, primò quia *Rodriq.* *Herriq.* *Sanch.* *Bonac.* *Salas.* *Palaus.* *Trullen.* *Lud à cr.* *Villalob.* *Bardi.* *Auctor.*

iam Sum. Pontifex scit, Cruciatam ex sua licentia quotannis publicari, ac proinde si per cōcessionem Iubilei intenderet reuocare priuilegia eiusdē Cruciatæ, vtiquè esset sibimet contrarius. secundò quia priuilegia Cruciatæ nō cōceduntur omninò gratuitè; sed per modum contractus onerosi, nempe sub onere soluēdi aliquam eleemosynam, atquè adeo sunt difficilioris reuocationis, & cōsequēter nisi in concessione Iubilei, & huiusmodi dicatur expresse: *Priuilegia omnia, etiam onerosa reuocari*, nunquā Cruciatæ priuilegia, aliaque huiusmodi intelliguntur per generales reuocationes reuocari.

57 Ad rationes autèm AA. in contrarium satis patet ex dictis, cum in nullo Iubileo ex allatis fiat mentio de priuilegijs onerosis, & quæ in præiudicium tertij resultant. Adde plures Sum. Pontifices declarasse (vt videre est apud DD. pro nostra opinione citatos) per suos Iubileos nō reuocari Cruciatæ priuilegia. quod quidem intelligi debet tā de Iubileo quindecim dierum, quam de Iubileo, quod quolibet 25. anno conceditur. quæ nostra opinio sequenti Diff. roborabitur.

DIFFICVLTAS XV.

An per promulgationem Bullæ Cœnæ reuocetur facultas per Cruciatam concessa ad absoluendos casus in eadem Bulla Cœnæ reseruatos?

58 Affirmant *Philiarchus de Off. Sacerd. tom. 1. de pœn. c. 24. Garzia de benef. p. 11. c. 10. n.* 115. alijq; nōnulli. primò quia per clausulam non obstantibus &c. in Bulla cœnæ oppositam, apertè reuocantur quæcumque priuilegia opposita etiam per viam cōtractus concessa, cuiusmodi sunt Cruciatæ priuilegia. Secundò quia per bullam cœnæ reuocatur facultas à Tridentino concessa Episcopis ad absoluendam Heresim occultam, ergò idem dicendum erit de eadē facultate per Cruciatam concessa.

59 Negant tamen *Rodriq. §. 9. n. 69. Riccius in add. §. 12. n. 4. Herriq. l. 7. c. 21. n. 2. Fernād. p. 3. exam c. 9. se. 11. n. 5. Sanch. to. p. Decal. l. 2. & 11. n. 27. Duard. l. 3. §. 2. q. 11. n. 41. Villalo. t. 1. sum. tr. 27. claus. 4. n. 11. Trullen. l. 1. §. 1. d. 13. Acosta q. 35. Fagund. in Eccl. præcep. l. 8. c. 8. n. 33 Lud. à cruc. D. 1. c. 10 d. 4. Diana res. 96. Bardi p. 1. tr. 2. c. 6. n. 78.* & communiter DD. & meritò, primò quia si Sum. Pontifex per promulgationem bullę Cœnę intenderet reuocare aliquod priuilegium per Cruciatam ab eodem Pontifice concessum, vtiquè sibi ipsi esset contrarius (vt superiori Diff. dictum est de Iubileo) quod de magno Principe, nedum de Sum. Pontifice, minimè asserendum est.

Rodriq. Riccius. Herriq. Fernand. Sanch. Duard. Villalob. Trullen. Acosta. Fagund. Lud. à cr. Diana. Bardi.

Auctor.

60 Probatur secundò à priori, nam priuilegia onerosa, cuiusmodi sunt Cruciatę priuilegia, cum sint difficilioris reuocationis, vt patet, nunquam consequenter per generales reuocationes reuocata intelliguntur (vt supra n. 56. etiam dictum est) nisi in clausula reuocatoria expressè dicatur reuocari etiam omnia & singula priuilegia *adhuc per modū contractus, & onerosè concessa.* sicuti habens generalem

ralem facultatẽ absoluendi peccata, nequit reseruata absoluere, nisi expressè eidem concedatur facultas etiam reseruata absoluendi; ex eo quia per reseruationem, difficilioris fiunt absolutionis. eadem similiter ratione, vi generalis facultatis absoluendi etiã reseruata, nequeunt absolui casus in bulla Cœnę contenti, ex eo quia hi habent specialiorem reseruationem suprà communem reseruationem aliorum casuum etiam reseruatorum.

61 Iam verò in dicta bulla cœnæ duę inueniuntur Clausulę principaliter derogatoriæ, prima incipit: *Ceterùm à prædictis sententijs*, secunda verò incipit: *Non obstantibus*. in prima igitur Clausula reuocantur quidem omnes facultates quibuscunque personis concessæ absoluendi à casibus reseruatis per eandem bullam cœnæ, nulla tamen fit mentio de facultatibus, & priuilegijs per modum contractus, seu onerosè concessis, ergò per dictam clausulam derogatoriam nullum absolutè priuilegium Cruciatæ reuocatur.

62 In secunda verò clausula derogatoria reuocantur quidem omnes facultates, etiam per modum contractus concessæ, sed ibi sermo est de illis facultatibus concessis tantùm quibusdam personis, ne valeant excommunicari à sede Apostolica: huiusmodi autem facultas non conceditur per Cruciatam, atquè adeò per nullam clausulam derogatoriam Bullæ Cœnæ derogatur priuilegijs Cruciatæ. vndè etiam patet ad primam rationem AA. in contrarium.

63 Ad secundam autèm nego paritatem, nam dicta clausula *Ceterum à prædictis*, apertè reuocantur omnes facultates cõtrariæ, etiam cuiusuis Concilij decreto concessæ, & sic sufficienter videtur reuocata dicta facultas à Tridentino Episcopis cõcessa, &c. at nulla in eadem bulla Cœnæ reperitur derogatio priuilegiorum per modum contractus, cuiusmodi sunt Cruciatæ priuilegia, atque adeo nõ est par ratio. Adde aliquos DD. similitèr negare vi bullæ Cœnæ reuocari facultatem Episcopis à Tridentino concessam absoluendi ab Hæresi occultata.

DIFFICVLTAS XVI.

An Bulla Cruciata expiret ob mortem Sum. Pontificis illam concedentis?

64 PRiuilegia Cruciatæ, quæ nullo modo dependent ab alterius voluntate, vt sunt consequutio Indulgentiarum visitando Ecclesias, seu Altaria, vel ieiunando, siue orando: facultas comedendi lacticinia: sacramẽtorum vsus tempore interdicti, & huiusmodi, quorum omnium fruitio à sola priuilegiati voluntate dependet, certum est per omnes, non spirare ob mortem Pontificis illa concedentis, quia absolutè sunt gratiæ factæ, quæ adhuc mortuo concedente, suã tamen retinent efficaciam; sunt enim absolutè omnibus sumentibus bullam concessa, & absq; vlla dependentia.

65 Et solum aliqua difficultas circa Cruciatæ priuilegia, quæ non absolutè conceduntur sumentibus bullam, sed cum quadam depẽdentia ab alterius voluntate, vt est commutatio votorũ: Indulgẽtia acquirenda semel



mel in vita, & semel in articulo mortis: absolutio à reseruatis, & huiusmodi, quæ omnia non ab ipso priuilegiato facienda sunt, sed à confessario virtute bullæ electo, cui delegatur à Sum. Pontifice potestas commutandi priuilegiati Vota: applicandi dictam Indulgentiam semel in vita, & semel in articulo mortis: absoluendi à reseruatis, &c. vnde videntur potius gratiæ faciendæ, quam factæ, & consequenter mortuo Sum. Pōtifice illas concedente, debent etiam, & ipsæ spirare.

Suar. Cordub. Herriq. Lud. à cr. Sanch. Pontius. Trullen. Bardi.

66 Negant tamen *Suar. l. 8. de leg. c. 31. n. 10. Cordub. de Indul. q. 36. Herriq. l. 7. c. 21. n. 4. Lud. à cr. D. 1. c. 10. d. 3. Sanch. l. 3. mat. D. 28. n. 93. Pontius de mat. l. 8. c. 19. §. 1. n. 9. Trullen. l. 1. §. 1. d. 13. n. 3. Bardi p. 1. tr. 2. c. 6. n. 114.* & communiter DD. & meritò, nam etiam huiusmodi priuilegia cōceduntur directè non quidem confessario, sed ijs, qui bullam sumunt, quibus datur facultas eligendi quemlibet confessariū ab ordinario approbatum, vt eorumdem vota commutet, eisdem Indulgentiam illam applicet, eosdem à reseruatis absoluat, &c. atquè adeo absolutè sunt gratiæ factæ, non autèm faciendæ, & consequenter non spirant morte concedentis, vt similiter de alijs Cruciatæ priuilegijs n. 64. dictum est. Ex quibus patet ad rationem, quæ in contrarium videtur?

Auctor.



DIFFICVLTAS XVII.

An Sum. Pontifex licitè possit reuocare Bullam non transacto tempore concessionis?

67 CONueniunt DD. non posse Sum. Pontificem, durante tempore concessionis, absq; vlla legitima caussa, licitè reuocare Cruciatam. & meritò, nam *in c. Suggestum, de decimis &c. Decet, de reg. iur. in 6.* apertè dicitur, *Decens esse, beneficium à Principe concessum esse permansurum*, ergò illud reuocare erit indecens, & sic illicitum; cuius ratio est, quia stantibus eijsdem motiuis, quibus Sum. Pontifex ductus fuit ad concedendum priuilegium, nullaq; circumstātia ad illud reuocandum sit variata, vtiquè illud reuocare, erit absolutè quidam abusus Ecclesiasticæ potestatis, atq; adeo indecens, & illicitum.

68 Conueniunt similiter DD. huiusmodi reuocationem, per se loquendo, & ex ipsius rei natura, non excedere culpam venialem. & meritò, nam Cruciatæ priuilegia totaliter depēdent à volūtate ipsius Sum. Pōtificis, suntque omninò gratuita (vt hic suppono) ergò illa reuocare absquè vlla caussa, erit solùm quædam leuitas, & incōstantia, quæ ex genere suo non est nisi peccatum veniale, nisi etiam alia mala circumstantia grauetur.

69 Dixi, esse culpam solùm venialem, *per se loquendo*, nam per accidens huiusmodi reuocatio poterit esse culpa mortalis, ex eo quia ex tali reuocatione sequi poterunt aliquando grauia scandala,

ſcandala, inimicitiæ, graue damnum in rebus tẽporalibus, vniuerſaliter loquendo; & quoad præſentem caſum, contingere poteſt, vt Rex Catholicus ſpe lucrandi magnam pecuniarum ſummam ex Cruciatę cõceſsione, magnas faciat expenſas ad ineundum bellum contrà Hæreticos, aliosuè Infideles, alioqui non facturus dictas expenſas, niſi Cruciatæ lucrum ſperaret; vtiquè in hoc, vel alio ſimili caſu ratione grauis damni erit peccatum mortale, ſed per accidens, vt dictum eſt.

70 *Durãte* igitur ſexſennio (pro quo temporis ſpatio hodie regi Catholico cõcedi ſolet Cruciata) nequit Sum. Pontifex abſquè vlla ſufficienti, ac legitima cauſſa licitè, modo dicto, Cruciatã reuocare. Et idem dicendum erit durante anno publicationis pro quo fidelibus vſus dictæ Cruciatæ conceduntur; ſecus autem ſi ex legitima cauſa fiat. Remanet tamen videre, an hoc ipſum inualidè etiam fiat.

DIFFICVLTAS XVIII.

An Sum. Pontifex poſſit validè reuocare bullam nõ adhuc tranſacto tempore conceſſionis?

71 POſſe Sum. Pontificem validè reuocare Cruciatam, non adhùc elapſo tempore conceſsionis, ſiue anno publicationis, ſi legitima ſubſit cauſa ad illam reuocandam, certum omninò eſſe debet. primò quia, ſi reuocare Cruciatam ex legitima cauſa eſt licitum, vt dictum eſt, erit multò magis validum; ſecũdò quia ſi illam reuocare abſq; vlla cauſa erit validum, vt infrà dicemus, multò magis valide reuocabitur, ſufficienti cauſſa interueniẽte, prout de facto Pius V. an. D. 1563. Cruciatam abſolutè reuocauit.

72 Ratio autem eſt, quia priuilegium gratis cõceſſum, præſertim ſubdito, poteſt abſolute reuocari tàm ab ipſo concedente, quàm ab ipſius ſucceſſoribus, ſi legitima cauſſa interueniat, vt communiter DD. concedunt; iã bulla Cruciatæ omninò gratis à Pontifice conceditur Hiſpaniarum Regi, qui licèt nõ ſit in temporalibus directè ſubditus ipſi Pontifici, directè tamẽ ſubditur in ſpiritualibus eidem Põtifici, vt reliqui Fideles Baptizati, vt expreſsè habetur in *c. Inquiſitionem, de ſent. excom.* conceſſio. igitur Cruciatæ, cum ſit in materia ſpirituali, ad ſolã conſequenter iuriſdictionem ſpiritualem ſpectabit, ac proinde interueniẽte ſaltem ſufficiẽti cauſſa, poterit Sum. Pontifex, & licitè, & validè illam reuocare, non elapſo adhuc tempore illius conceſſionis, nempè ſexennio, pro quo temporis ſpatio hodie Regi Catholico Cruciata conceditur.

73 Similiter dicendum eſt, poſſe Sum. Pontificem validè Cruciatam reuocare, non adhuc elapſo anno publicationis, ſi aliqua legitima cauſſa, publicam vtilitatẽ concernens, interueniat. Probatur, nam quamuis bulla Cruciatæ comparata cum perſonis particularibus, quæ illam ſumpſerunt, & eleemoſynam erogarunt, ſit ſpecies contractus oneroſi, *Do, vt Des*, attamen bonum publicum, cum ſit omninò preferendum bono priuato, quoties ambo concurrunt, & ſimul haberi nequeũt, cõſequẽter ſi ſic

si sic bono publico concernerit, vtiquè Pontifex poterit absolutè reuocare Cruciatam, nō obstante damno priuato illorum, qui pro suscipienda bulla eleemosynam erogarunt, prout de alijs priuilegijs docent communiter DD.

74 Aliqua tamen difficultas est, An absquè vlla caussa possit Sum. Pontifex validè reuocare Cruciatam, nō adhuc elapso tēpore concessionis, seu publicationis. Et quidem negant aliqui Recētiores cū *Cutelli in Patroc. pro reg. Maiest. n. 207. in fine*, vbi absolutè concludit, non posse Sum. Pontificem Cruciatam reuocare, quod cum non possit intelligi quādo aliqua sufficiens caussa occurrat, necesse est loqui si absquè vlla caussa reuocetur. Ratio autem poterit esse, quia priuilegiatus eo ipso quod acceptat priuilegium, statim acquirit ius ad illud, præsertim si fuerit sub onere concessū, prout de facto sub onere eleemosynæ particularibus Cruciata conceditur, ergò nequit absquè caussa illo expoliari.

Cutelli.

75 Affirmant tamen *Riccius in add. ad §. 12. n. 5. & Bardi p. 1. tr. 2. c. 6. n. 122. & n. 161.* ac meritò, nam Sum. Pontifex dum concedit facultates in Cruciata contentas operandi aliquid contrà seu præter Ius, vtiquè non abdicat à se, nequè minuit supremam suam iurisdictionem, quā habet in omnes & singulos Christi fideles, atquè adeò sicuti potest obligare priuilegiatos ad noua onera; ita similiter, ac pro suo libito poterit ad eadē onera, à quibus priuilegiatos exemit, iterùm & de nouo illos obligare.

Riccius. Bardi. Auctor.

76 Ad rationem autèm in contrarium Dico, ius, à priuilegiato acquisitum in priuilegium non esse absolutum, sed semper cum dependentia essentialiter imbibita à voluntate Superioris alioquin etiam renuente Sum. Pontifice, poterit quis absolui à reseruatis &c. quod est satis absurdum. An verò in tali casu teneatur Sum. Pontifex, siue Rex Catholicus resarcire fidelibus, qui eleemosynam pro bulla erogarunt, aliquid pro rata, dicetur Diff. sequenti.

DIFFICVLTAS XIX.

An Sum. Pontifex reuocando absque caussa bullam, non adhuc transacto tempore cōcessionis teneatur ad aliquid Regi Catholico compensandum?

77 RAtio dubitandi pro parte affirmatiua est, quia priuilegiatus acquirit ius in priuilegium concessum, ne absquè legitima caussa ab illo priuetur, ac proinde si absquè caussa reuocetur, vtiquè eius ius lædetur, & per consequens ius læsum ex iustitia compensari debet.

78 Negant tamen *Pontius l. 8. de matr. c. 19. §. 2. n. 13. & Bardi ci. n. 154.* & meritò, nam Cruciata (vt dictum est) conceditur Regi Catholico omninò gratis, nequè consistit in donatione aliqua, sed veluti in quadam delegatione omninò dependenter à voluntate ipsius Pontificis concedentis, atquè adeo præsumēdum non est, voluisse Pontificē se obligare ex rigore iustitiæ ad compensationem in casu reuocationis.

Pontius. Bardi. Auctor.

79 Ad rationem autèm dubitandi in contrarium, nego assumptum

tum, nam in priuilegijs per modum delegationis, vt est concessio hæc Cruciatæ respectù Regis Catholici, vt dictum est, & omninò gratis, cum nullum ius concedatur, nullum consequenter ius acquiritur, ac proinde si reuocetur, nulla quidem iniuria infertur, & sic non datur locus compensationis. An verò Sum. Pontifex teneatur resarcire aliquid personis particularibus, qui bullam sumpserunt, in casu quo dictam bullam reuocaret. durante adhuc anno publicationis, dicetur in sequenti Difficultate.

DIFFICVLTAS XX.

An Sum. Pontifex teneatur resarcire aliquid pro rata personis particularibus, qui bullam sumpserunt si illam reuocaret durãte anno publicationis?

80 VIdentur conuenire DD. ad nihil teneri Principem reuocantem ex aliqua iusta caussa priuilegium etiam sub aliquo onere concessum & meritò nam talis reuocabilitas ex iusta caussa est veluti imbibita in ipsamet priuilegij cõcessione. nequè obstat onus præstitum pro obtinendo tali priuilegio, nam Princeps, interueniente aliqua iusta caussa præsertim publica, potest absolutè compellere subditum ad præstandum aliquod opus, absq; vlla spe recompensationis, & priuilegij; atquè adeo in casu nostro, si Sum. Pontifex reuocaret ex iusta caussa Cruciatam, adhuc non transacto anno publicationis, ad nihil teneretur.

81 Difficultas ergò est, si nulla interueniat caussa, an tunc Sum. Pontifex teneretur ex iustitia restituere particularibus pro rata tẽporis id quod pro sumptione ipsius bullæ soluerunt.

82 Affirmant *Sanch. l. 8. de mat. D. 3. n. 3. Bard. p. 1. tr. 2. C. 6. n. 164.* & communiter DD. ac meritò, nam per se loquendo, hoc est extrà casum necessitatis, solus Deus, & nullus alius est absolutus Dominus rei alienæ, & cõsequenter quamuis Sum. Pontifex validè (vt dictum est) possit reuocare Cruciatam adhuc non transacto anno publicationis, ac rescindere contractum onerosum, tenetur tamen omnia in pristinum reducere, restituendo personis particularibus id, quod ex parte sua posuerũt pro continuatione, & fruitione talis contractus, aliter erit in iustitia manifesta, vt patet. *Sanch. Bardi. Auctor*

83 Quomodo autèm talis restitutio esset facienda, pertinet ad materiam de restitutione, vbi in particulari traditur modus, quo facienda sit restitutio pluribus personis alicuius communitatis. An verò idem dicendũ sit de Rege Catholico, dicetur Diff. sequenti.

DIFFICVLTAS XXI.

An si Sum. Pontifex reuocaret Bullã non transacto anno publicationis, teneatur Rex Catholicus eleemosynas acceptas restituere?

84 NEgat *Bardi ci. n. 160.* & meritò, nã personæ particulares dum bullam sumunt, & eleemosynam erogant, non ineunt cum Rege contractum illum innominatum, *Do, vt des*, sed cum ipso Sum. Pontifice, ex cuius iussu applicatur Regi eleemosyna *Bardi. Auctor.*

mosyna accepta, atquè adeo Rex cum nullũ contractũ ineat cum illis, qui bullam sumunt, nõ tenebitur nequè ad defendendum ipsum contractũ, casu quo ex parte Sum. Pontificis claudicabit, neq; ad aliquod damnum inde emergens resarciendum.

85 Agè iam in casu posito, vel Rex consumpsit pecuniam ex eleemosynis bullarum acceptã, & ditior non inuenitur: vel talem pecuniam non consumpsit, ac ditior inuenitur: si primum, apertè constat, nõ teneri ratione rei acceptæ, cum iam supponatur consumpta: nequè ratione iniustæ acceptionis, quia iam iustè, ac licitè pecuniam recepit nequè ratione contractus, cum nullum ipse Rex contractum celebrauerit cum personis particularibus (vt dictum est) ergò absolutè ad nihil tũc teneretur.

86 Si secundum, iam Rex titulo omninò iustò, nempè donationis, illam pecuniam receperat à Pontifice, qui poterat absolutè illam alienare, atq; adeo cum nulla remaneat hypoteca in dicta pecunia, cum legitimè translata fuerit in dominium ipsius Regis, cõsequenter Rex ad nihil absolutè ex iustitia teneretur.



DISPV-

DISPVTATIO SECVNDA

DE PRIVILEGIIS, QVÆ PRO TEMPORE INTERDICTI PER BVLLAM CRVCIATÆ CONCEDVNTVR.

A'§.IX.incipit Sum.Pontifex proponere priuilegia, quæ hanc Bullam suscipientibus conceduntur, Et quidem primò initium sumit à priuilegijs pro tempore Interdicti de quibus & nos in præsenti Disputatione primùm omnium, Deo dante agemus.

QVÆSTIO PRIMA

De Potestate celebrandi Diuina Officia etiam tempore Interdicti.

TRia præcipuè virtute Cruciatæ tempore Interdicti conceduntur, videlicet Potestas Officia diuina celebrandi, Vsus Sacramentorum liber, ac posse tunc temporis in Ecclesiastica sepultura sepeliri, quæ totidem Quæstionibus absoluemus.

DIFFICVLTAS I.

Quid & quotuplex sit Interdictum?

1 

VT clariùs dignoscamus, quidnã per bullã Cruciatæ tempore Interdicti cõcedatur, breuiter dicendum erit priùs, quid, & quotuplex sit interdictum, vt sic innotescat quidnam per interdictum interdicatur, ac prohibeatur.

2 Interdictum ergò est censura, seu pœna ecclesiastica, per quam prohibentur aliqua, quæ licèt limitari possint, attamen si interdictũ absolutè, & absquè vlla limitatione feratur, tria de iure prohibentur. primò diuinorum officiorum publica celebratio: Secundò aliqua sacramenta, præsertim eorum susceptio: ac tertiò sacra, seu ecclesiastica sepultura, vt constat ex *c. Si sententia, 16. c. si Ciuitas, 17. c. Alma mater, 24. de sẽten. excom. in 6. & ex c. Quod in te 11. de pœnit. & remiss.*

3 Hoc autem interdictum potest esse vel personale, vel locale, vel mixtum. Et quidem Personale, est quoties immediatè, ac directè prohibetur personis participatio Diuinorum in omni loco; locale verò est quoties immediatè, ac directè prohibetur, ne in tali, ac tali loco Diuina fiant, & indirectè consequẽter personis, quatenùs in tali loco interdicto reperiũtur. Mixtum autèm coalescit, seu conflatur ex interdicto tum perso-

pali, tum locali, quoties scilicet tam locus, quam personæ eiusdem loci interdicuntur.

4 Iam verò interdictum tum locale, tum personale, & consequẽter Mixtum, pot est esse duplex, alterum Generale, alterum verò Speciale, seu Particulare; interdictum personale generale est, quando interdicitur aliqua communitas, quatenus constitùit vnum corpus, vt Populus, & exercitus, quo interdicto (exceptis Episcopis) omnes & singuli quandiù fuerint membra illius communitatis, erunt in omni loco interdicti; interdictum verò Personale particulare est, quando vna seu plures, vt personæ tamen particulares, interdicuntur, hoc est, quoties vel proprio nomine in interdicto nominantur, vel ratione delicti commissi exprimuntur, vt si dicatur v.g. *Interdicuntur omnes, qui tale furtum fecerint vel fecerunt*.

5 Interdictum autem locale generale est, quando interdicitur locus, qui à communitate occupatur, vt Prouincia, Ciuitas, Castrum, Villa, & huiusmodi. interdictum verò locale particulare est, quando interdicitur signanter vnus locus, vt vna Ecclesia, vt particularis tamen Ecclesia est, non autem prout membrum est alicuius loci, seu communitatis, nempè Prouinciæ, Ciuitatis, & huiusmodi, eo modo quo diximus de interdicto personali particulari

His positis, ad priuilegia Cruciatæ pro dicto tẽpore interdicti concessa, accedamus.

DIFFICVLTAS II.

Quid virtute Cruciatæ conceditur circa Diuina Officia celebranda tempore Interdicti?

6 PRimus effectus Interdicti integri (vt suprà innuimus) est prohibitio celebrandi, seu audiendi Officia Diuina. ea autem dicuntur Officia Diuina, quæ nomine Ecclesiæ, seu à Clericis vt ministris publicis fieri solent quorum præcipuum est Missæ sacrificium, deinde horarũ canonicarum dictio, seu recitatio Benedictiones Nuptiales, aut aliarum rerum, & huiusmodi. verum ne deficeret infirmis SS. Eucharistiæ iuge Viaticum in *c. Permittimus, 57. de sent. excom.* permittebatur solis clericis Pastoribus tempore interdicti localis generalis, semel in hebdomada Missam celebrare; & in *c. Quod in te, 11. de pœn. & remiss.* concedebatur Clericis in Ecclesijs conuentualibus horas canonicas legere, non autem cantare, neque pluribus, quam tribus simul.

7 Quia verò ex carentia Missarum, aliorumq; diuinorum Officiorum, maximum damnum spirituale, aliaq; incommoda experiebantur fideles temporis progressu, idcircò Bonifacius VIII. in *c. Alma mater ci.* temperauit supradicti interdicti rigorem, & concessit, vt omnes Ecclesiæ ministri non personaliter interdicti, possent tempore interdicti localis generalis missas quotidie celebrare in Ecclesijs etiam Hospitalium, & Monasterijs, aliaq; Diuina officia etiã celebrare, ac si nullum adesset inter-

interdictum, ianuis tamen clausis, ac priùs exclusis excommunicatis & interdictis, & campanis nō pulsatis, submissaque voce, itaut extra Ecclesiam audiri non possint.

8 Priuilegium autē bullæ Cruciatæ longè ampliùs extenditur nam quilibet, etiamsi non sit Pastor, nequè Ecclesiæ minister potest primò virtute bullæ per seipsum, siue per alium, in sua tamen præsentia Missam celebrare tēpore interdicti, & hoc non solùm in Ecclesijs, verùm etiā in priuatis oratorijs, quod non conceditur de Iure cōmuni. Secundò dicta missa poterit vi bullæ celebrari per horam antequam illucescat (iuxtà infrà dicenda D.9.Q.4.) atq; etiam per horam post meridiem. Tertiò similiter priuilegiatus poterit reliqua Diuina Officia tàm per seipsum, quam per alios celebrare. Quartò demùm non solùm ipse principaliter priuilegiatus, sed etiam ipsius Familiares, Domestici, atque consanguinei poterūt Diuinis Officijs interesse per participationem ipsius principalis priuilegiati.

9 Hæc tamen Priuilegia non absolutè conceduntur, sed sub aliquibus conditionibus, seu limitationibus tum ex parte loci, in quo dicta diuina Officia celebranda erunt, tum ex parte personæ; quarè de ijs omnibus breuiter erit dicendum.

DIFFICVLTAS III.

In quonam interdicto vim habeant Priuilegia Bulla?

10 CONueniunt communiter DD. supradicta bullæ priuilegia, per se loquēdo, solū habere vim in interdicto locali generali. & meritò, nā in ipsamet bulla, dum hæc priuilegia conceduntur, de solo interdicto locali fit mentio, ergò nequeunt ista priuilegia extendi ad interdictū personale, præsertim si talia priuilegia supponātur odiosa, prout D.1.Q.1. n.8. diximus: atquè adeò cum nihil hic disponatur de interdicto personali, remanebit consequēter quoad hoc in suo robore Ius commune, per quod disponitur, non posse personas interdicto innodatas, siue generali, siue speciali missam celebrare, nequè alijs Diuinis Officijs interesse. Quomodo autem in aliquo casu per accidens, vim habeant etiam pro interdicto locali particulari, dicetur infrà.

11 Probatur etiam quoad secundam partem ex eadem bulla, vt pote quæ expresè admonet, prædicta priuilegia intelligi debere de Ecclesijs, in quibus aliàs Diuina Officia, durante interdicto quomodolibet permissum sit celebrare; in Ecclesijs autem specialiter interdictis, nullo modo permittitur Diuina Officia celebrare, sed solùm in interdicto locali generali, atq; adeo hæc bullæ priuilegia solùm habebunt vim pro tempore solius interdicti localis generalis; & quidem in tota sua latitudine, hoc est, siue tale interdictum fuerit Papale, siue Episcopale, siue sit per modum Cēsuræ, siue per modum puræ pœnæ, nam dum in ipsa bulla nulla fit exceptio, consequenter eius verba vniuersaliter pro quolibet interdicto locali generali sumēda sunt.

12 Omnes igitur sumentes bullā poterunt tempore cuiuscumq; inter-

interdicti localis generalis missam celebrare, aliaque Diuina Officia, vel illis interesse in Ecclesijs tamen generaliter interdictis, non autem specialiter interdictis. idemq; dicendum erit de priuatis Oratorijs, ex eo, quia si conditio illa: *Vt in illis aliquo modo permissum sit, durante interdicto, Diuina officia celebrare*, requiritur à bulla pro Ecclesijs, quæ de iure communi sunt proprius locus celebrãdi Diuina, ad hoc vt vim habeant dicta eiusdẽ bullę priuilegia, sanè multò magis requiri debet pro Oratorijs priuatis; quæ de solo iure particulari ad Diuina Officia deputantur.

DIFFICVLTAS IV.

An in Oratorio specialiter interdicto possit saltem semel in hebdomada, vi bullæ missa celebrari?

13 ORatorium, prout hic sumitur vt cõtradistinctũ ab Ecclesia, est locus Deo dicatus priuatus, ille scilicet, qui est in domibus prophanis, in quo ex speciali priuilegio Pontificis missa celebratur, exceptis tñ aliquibus diebus festiuis solemnioribus. è contra verò Ecclesia est locus auctoritate Episcopi erectus, ac Deo similiter dicatus, sed publicus, nempe omnibus expositus, etiamsi paruus sit, & vnicum altare habeat.

14 Iam verò, in superiori Diff. dictum est, non posse in huiusmodi Oratorijs absolutè celebrari, si fuerint specialiter interdicta, dicendum nunc erit, An saltem semel in hebdomada possit vi bullæ in illis missa celebrari, si fuerint specialiter interdicta. Ratio autem dubitandi pro parte affirmatiua est, quia non obstante interdicto locali speciali, potest in Ecclesijs semel in hebdomada missa celebrari, vt habetur in *c. Permittimus. 57. de sent. excom.* ergò hoc ipsum videtur dicendum de Oratorijs virtute Cruciatæ.

15 Negant tamen communiter DD. & meritò, nam dicta permissio pro Ecclesijs specialiter interdictis est solum ob necessitatem reficiendi, & conseruãdi sacram Eucharistiam pro viatico infirmorum, quæ quidem ratio nõ habet locum in priuatis Oratorijs, vt patet. quarè præsens Cruciatæ priuilegium absolutè non valet neque pro Oratorijs si fuerint specialiter interdicta, neque pro Ecclesijs similiter specialiter interdictis, nisi in casu per accidens, nempe quando in aliquo Oppido, vnica tantùm inueniretur Ecclesia, ex eo quia tunc tale interdictũ locale speciale ęquiualet interdicto locali generali; vel etiam in casu, quo omnes Ciuitatis Ecclesię essent specialiter interdictę. *Auctor.*

DIFFICVLTAS V.

An dictum Oratorium debeat esse necessariò ab Ordinario approbatum ad hoc vt in ipso celebretur?

16 EXpressè in eadem bulla requiritur, vt tale oratorium sit ab ordinario visitatum & ab eodem ad Diuinum cultũ dumtaxàt deputatum; quarè per se loquendo, absolutè non licet celebrare in Oratorio non approbato ab ordinario. imo si postquam fuerit ab ordinario deputa-

deputatum Oratorium ad diuinum cultum, si postea deseruiret vsibus prophanis, tunc non licebit ampliùs in illo celebrare, nisi iterùm ab ordinario similiter deputetur, vt benè aduertit *Lud. à Cruc. D. 1. c. 5. d. 1. n. 2.* nam per contrarium, & longum vsũ moraliter censetur amisisse primam deputationẽ, atque adeo indigebit noua deputatione, vt in eodem celebretur. (Lud. à cr.)

17 Difficultas igitur solùm procedit in casu per accidens, quãdo scilicet Ordinarius, per manifestam iniustitiam, non vult approbare, & designare pro Oratorio locum alioqui aptum, & decentem; An in tali casu nõ obstante tali Ordinarij non approbatione, possit vi bullæ priuilegiatus in tali loco celebrare, vel per se, vel per alios?

18 Affirmant *Lud. à cruc. ci. n. 5. & Diana p. 5. tr. 10. ref. 76.* ex eo, quia Ordinarius nequit defraudare, & priuare subditum priuilegio à Sum. Pontifice sibi concesso, de habendo domi Oratorium, priuaret autèm denegando licentiam. (Lud. à cr. Diana.)

19 Negant tamen *Trullen. l. 1. §. 3. d. 4. & Bardi p. 2. tr. 2. C. 2. n. 11.* & meritò, nam priuilegia non operantur vltrà concessionem factam, vt est cõmunis doctrina; cum igitur in bulla nullibi concedatur talis facultas, sed oppositum expresè habeatur, nempè quod habens bullam vti possit Oratorio, habita priùs designatione, & approbatione Ordinarij, consequenter nõ poterit priuilegiatus in nullo prorsus casu propria auctoritate hoc facere. Quod si grauari intendat, ad superiorem ipsius Ordinarij recurrat. Verùm à quonam Ordinario huiusmodi approbatio fieri debeat, dicetur Diff. sequenti. (Trullen. Bardi. Auctor.)

DIFFICVLTAS VI.

An dicta Oratorij Approbatio necessariò fieri debeat ab Ordinario illius Diœcesis, in qua Oratorium reperitur?

20 Negãt *Lud. à cruc. D. 1. C. 5. d. 1. n. 4. Trullen. l. 1. §. 3. d. 4. & Diana p. 5. tr. 10. ref. 76.* putant enim cuiuslibet Ordinarij approbationem, seu designationem ad hoc sufficere. Quorum ratio est, quia Cõfessarius à quocunque Ordinario approbatus, est virtute bullæ per totum orbem in confessarium eligibilis, ergò similiter in Oratorio per quemlibet Ordinarium approbato, seu designato, poterit virtute eiusdem bullæ celebrari. (Lud. à cr. Trullen. Diana.)

21 Affirmat tamen *Bardi ci. n. 6.* Et meritò, nam talis designatio & visitatio est actus iurisdictionis pertinẽs ad forum externũ, & iudiciale, ergò nequit esse nisi ab Episcopo propriæ Diœcesis, vel ab alio, de eiusdem tamen Diœcesani licentia; atquè adeò quacunque alterius Diœcesani approbatio nulla erit, & inualida. (Bardi. Auctor.)

22 Ad rationem autẽ AA. in cõtrarium multi negant assumptũ, vt infrà suo loco dicemus: quo etiam dato, nego paritatem; nã approbatio ad confessiones cum sit personalis, vtiquè persona approbanda poterit spontè se subijcere examini cuiuscunque Episcopi etiam extra Diœcesim sui proprij Ordinarij, approbatio autem Oratorij est localis, & consequẽter annexa loco, qui de se necessariò est addictus iurisdictioni Episcopi illius Diœcesis

cessis, in qua ipsum Oratorium extruitur.

DIFFICVLTAS VII.

Quinam propriè sint Familiares, & Domestici?

23 NOn solùm Diuina celebrare tempore interdicti conceditur ei, qui bullam sumit (vt hactenus dictum est) sed etiam per participationem omnibus Familiaribus, Domesticis, & consanguineis eiusdem principaliter priuilegiati conceditur idem priuilegium Diuinis assistendi. Quia verò nomina hæc Familiaris, Domestici & consanguinei pluribus conueniunt, ideo videndũ erit, An de omnibus bulla in præsenti priuilegio loquatur. Sed priùs hic dicendum erit, quinam propriè sint familiares, ac domestici.

24 Quamuis Familiares cum domesticis etiam in Iure sæpè confundantur, atquè adeò vtraq; nomina pro eodem vsurpentur, nempè ad significandos omnes quomodocunque in eadem domo degentes; propriè tamen, ac rigorosè loquendo (prout circa præsens bullæ priuilegium loquendum esse, suprà diximus) non idem sonat Familiaris, ac Domesticus: familia enim vndè Familiaris, quamuis plura significet, vt passim videre est apud Iuristas, propriè tamen, familia, prout facit ad rem nostram, significat societatem plurium sub vno capite degentium; vnde aggregatio plurium, quamuis simul degentium, si absquè aliquo capite, hoc est, non sub dominio, ac potestate vnius non poterit dici propriè, Familia, sed quædam aggregatio per accidens.

25 Iam verò dicta potestas vnius in alios, potest esse vel Patria vel Dominatiua. Et quidem ratione Patriæ potestatis dicuntur de Familia Filij, Nepotes, Pronepotes, & huiusmodi per lineam rectam, descendentes, sub regimine tamen Parentum, seu Auorum, & huiusmodi manentes; Ratione autem Dominatiuæ potestatis dicuntur etiã de familia serui, ac famuli omnesque, qui ratione præstiti obsequij aluntur à Domino, etiãsi extrà domum, & Palatium Domini habitent, vnde familiaris dicitur constitui Corpore, & Dẽte, atque adeo Familiaris oriri videtur à *Fame*, & *Alo*. Dixi, intuitù obsequiorum, nam si intuitù solius amicitiæ, & beneuolentiæ alerentur, non dicerentur propriè Familiares.

26 Domestici autèm, qui à Domo dicuntur, sunt quidem ijdẽ Familiares, sed ij qui in eadem domo, seu Palatio Domini simul cum ipsorum Capite, ac Domino cohabitãt, ita dicti quasi Domui adstantes. notant tamen cõmuniter DD. ad hoc vt quis dicatur propriè, domesticus, non sufficere solam, ac veluti materialem in eadem domo cohabitationẽ verùm etiam requiri alterutram ex dictis subiectionẽ vnius ad alium, vel ratione Patriæ, vel dominatiuæ potestatis. His positis videamus iam de quibus hic bulla loquatur.



DIF-

DIFFICVLTAS VIII.

De quibusnam Familiaribus, & Domesticis hîc bulla loquatur?

Rodriq. Nauar. Auila. Sotus. Hurtad. Coninb.

27 RODRIQ. *§.5. n. 5. Nauar. in man. C.27. n.180. Auila de Censp.5.D.4.se.2.d.7. Sotus in 4.D.22.q.3.ar.3. Hurtad. de Inter.d.17. Coninb. D.17.* & alij volunt, per Familiares hic, & Domesticos non intelligi Vxorem, neque Filios, & multò minus Nepotes, imò neque omnes famulos, aut seruos, sed eos tantùm, qui priuilegiatum comitari solent; ex eò quia putant, bullã in hoc se conformari cum *C. licet, 11. de Priuil. in 6.* vbi nomine Familiarium, ac Domesticorum, eos solos putant intelligi, qui priuilegiatum solent comitari; & hoc nõ aliundè probant, nisi ex præsumpta Põtificis voluntate.

Lud. à cr. Bardi.

28 At *Lud. à Cruc. D. 1. C. 5 d. 3. n. 3. Bardi tr. 2. C. 3. n.* 14. alijque quamuis concedant sub nomine familiarium, & domesticorum compræhendi à bulla Vxores Filios, Nepotes; ac reliquos omnes, qui propriè sub ijs terminis continerentur, loquendo de celebratione, seu auditione Missæ in Oratorijs, ex eo quià non sit maior ratio de vno, quã de alio: negant tamen loquendo de celebratione, seu auditione missæ in Ecclesijs, & sic quoad hoc adhærent primæ sententiæ.

Angel.

29 *Angelus* verò *in Sum. V. inter. di. 6.* alijq; docent, in hoc bullæ priuilegio absolutè compræhẽdi omnes qui propriè sub nomine familiarium, & Domesticorum veniunt, iuxtà supradicta superioris Difficultatis, tum in ordine ad Oratoria, tum in ordine ad Ecclesias. Et meritò nam ex vna parte sub nomine familiarium, & Domesticorum veniunt in omni rigore omnes, qui ab ipso priuilegiato ratione obsequij aluntur, vt suprà dictũ est; ex altera verò parte bulla hic absolutè, & absquè vlla limitatione vtitur dictis terminis *Familiaris et Domestici* in ordine ad celebrandam, siue audiendã missam &c. tempore interdicti, tàm in Ecclesijs, quàm in Oratorijs, ergò non est, cur hoc bullæ priuilegium, ad solos Domesticos, & Familiares priuilegiatum comitantes, coarctetur, prout asserit prima opinio: neque ad sola Oratoria, vt vult secunda opinio. paritas autem ex *C. licet ei.* non facit ad rem, sunt .n. priuilegia omninò disparata, & non subordinata. Auctor.

30 Ex dictis sequitur, non solùm famulos & domesticos, qui ante latum interdictum aluntur actù à principali priuilegiato, gaudere præsenti priuilegio, sed etiam qui post latum interdictum ab eodem principaliter priuilegiato ad suum obsequium similiter assumuntur, etiamsi maiorem familiarium, & Domesticorum numerum tunc assumere cõtingat; dummodò in fraudem bullæ nequoquam absumantur.

DIFFICVLTAS XI.

An Sacerdos per bullam priuilegiatus tempore interdicti possit Laicum eligere vt missæ inseruiat?

31 AFFIRMAT *Couarr. in C. Alma mater, p.2.§.4.n.5.* cum Couarr.

E sequen-

ſequenti tamē limitatione, quādo ſcilicet talis miniſter receptus fuerit antè, non autèm poſt latum interdictum. Verùm talis limitatio eſt abſquè vllo prorſus fundamento.

Auila. Armilla. Viuald.

32 At *Auilaci. ſe.2.d.7. Armilla V. interd.n.58. Viuald. in Candel. eodem tit.§.3.n.24.* alijq; quamuis hoc admittant de tali miniſtro tàm ante, quàm poſt latum interdictum electo aliam tamen apponunt limitationem, ſi ſcilicèt Sacerdos non inueniat tunc miniſtrum habentem priuilegiū aſſiſtendi Diuinis tempore interdicti, ſecùs autèm quando miniſtrum priuilegiatum facile reperiret.

Suarez. Bardi. Author.

33 Abſolutè tamèn affirmāt *Suar. l.8. de leg. C.11.n.7. Bardi p.2. tr.2.C.3.n.18.* alijque, & meritò, nam quod inueniatur tunc vel non ſocius ſimiliter priuilegiatus aſſiſtendi Diuinis tempore interdicti, eſt merè per accidēs, vt patet; omne autem priuilegium per ſe, & ex natura ſua debet eſſe efficax ad conſequendū ſuum effectum, ac proinde non dependet à caſu per accidens; hinc ex communi DD. conſenſu, qui abſolutè aliquod concedit priuilegium, abſolutè etiam, & in omni rigore cenſetur ſimiliter concedere ea omnia, quę ad vſum talis priuilegij ſunt acceſſoria, quoties à voluntate eiuſdē concedentis dependent, vt colligitur ex *c. Præterea, de Off. Iud. deleg.* Cum igitur per bullam abſolutè concedatur Sacerdoti poſſe celebrare tempore Interdicti, ſimiliter etiam concedi (cenſendum eſt) quæ ad celebrandum requiruntur, inter quæ eſt Miniſter aſſiſtens.

34 Confirmatur à pari, nam qui habet priuilegium recitandi matutinum v. g. diei ſequentis paulò poſt meridiem, vtiquè is, ex eadem ſupradicta doctrina, abſolutè poterit, vt adiuuetur in recitatione, aſſumere quemlibet alium ſocium in ſacris conſtitutum, qui ratione talis ſocietatis gaudebit eodem priuilegio, & tamen recitare officium cum ſocio eſt ſolùm decens, & magis conforme Choro eccleſiaſtico, ergò multò magis in noſtro caſu idē dicendum eſt, in quo miniſter ad inſeruiendum Miſſæ eſt omninò neceſſarius. Sacerdos igitur per bullam priuilegiatus, ſi velit tempore interdicti celebrare miſſam, poterit abſolutè eligere in miniſtrum etiam Laicum, qui neque ſit eius familiaris, nequè Conſanguineus, nequè aliunde priuilegiatus.

DIFFICVLTAS X.

An omnes Conſanguinei principalis Priuilegiati participent præſens bulla priuilegium?

35 NOn ſolùm Familiares, & Domeſtici principalis Priuilegiati gaudent præſenti priuilegio (vt dictum eſt) verùm etiam eiuſdem Conſanguinei, qui cum ſint in diuerſis gradibus & lineis, videndum in præſenti Difficultate erit, An omnibus Conſanguineis bulla loquatur.

36 *Herriq. l.7. ſum. C.13. n.3.* putat ſub nomine Cōſanguineorū ſolam Vxorem, & ſolos conſanguineos in primo gradu contineri, non autem reliquos, ex eo quia ipſe exiſtimat hanc eſſe inten-

intentionem Sum. Pontificis, quatenus sola Vxor soleat gaudere nobilitate, ac priuilegiis viri, soliq; consanguinei in primo gradu tantùm.

Rodriq. *Trullen.* *Auila.* *Villalob.*

37 At *Rodriq. §.5.nu.5. Trullen. d.3.n.5. Auila de Cens. p. 5. D. 4. se.2.d.7. Villalob. tr. 27. clauf. 4. nu.16.* & communiter DD. docent, sub nomine cōsanguineorum in præsenti Bullæ priuilegio venire tum Vxorem principalis priuilegiati, tum omnes reliquos sibi cōsanguineos vsq; ad quartum gradum inclusiuè.

Auctor.

Et meritò, nam cum bulla absolutè, & absq; vlla limitatione loquatur de Consanguineis, vtiquè malè à nobis apponeretur limitatio. cum igitùr sub nomine Consanguinei, de iure nouo Tridentini, absolutè prolati, veniant omnes Consanguinei tàm lineæ directæ, quàm collateralis vsquè ad quartum gradum inclusiuè, & non vltrà, cōsequenter presens bullæ priuilegium vsquè ad quartum gradū cōsanguineorum ampliandum erit, & non vltrà.

38 Quod autèm hic sub nomine consanguinei comprehendatur etiam vxor principalis priuilegiati, probatur ex maiori connexione, quam habet cum viro suprà reliquos consanguineos etiam in primo gradu, quatenus coniuges inter se sunt vna caro, ac proinde inter illos est potiùs identitas, quam cognatio.

39 Nequè ad hoc, vt vxor gaudeat hoc mariti priuilegio (& idem dico de marito respectù priuilegij vxoris) necesse est, vt cum marito in eadem domo cohabitet, sicuti nequè ipsi consanguinei, sed sufficit solus, & merus titulus consanguinitatis. & ratio est, quia ab eadem bulla non requiritur dicta cohabitatio; quod siquis ex istis cum principaliter priuilegiato cohabitabit, tunc duplici titulo, hoc priuilegio gaudebit, nempe vt Consanguineus, & vt Domesticus.

40 Præsumptio autē *Herriquez* de mente, & intentione Sum. Pontificis nullo nititur fundamento. Videndum autèm nunc erit, An Affines sub nomine cōsanguineorum similiter in hoc priuilegio comprehendantur.

DIFFICVLTAS XI.

An præsens Bulla priuilegium prosit Affinibus principalis priuilegiati?

41 Ratio dubitandi pro parte affirmatiua est, primò quia in bulla Italica dicitur: *e de' suoi parenti*. similiter in bulla Hispana, *Y de sus parientes*, isti autem termini vtriusque idiomatis, comprehēdunt ex æquo tam Consanguineos, quam Affines. Secundò quia sæpe lex de vno casu extenditur ad alium in eadem lege non comprehensū, quoties inter vtrumq; casū eadē militat ratio (vt cōmuniter docent DD. atquè adeo idem dici poterit de priuilegio, quod est lex priuati, seu lex particularis.

42 Iam verò, ratio qua motus est Sum. Pontifex ad includendos consanguineos in hoc priuilegio, videtur esse connexio, quam isti habent cum principali priuilegiato; cum igitur eandē connexionem, imò aliquando maiorem cum eodem habeant etiam Affines, vt Socrus, quæ est loco Matris, Nurus, quæ est loco filiæ, & huiusmodi Affines in primo gradu, quā Cōsāguinei in

quarto gradu, atquè adeo multò magis deberent hic includi Affines, saltem in primo gradu, quàm consanguinei in quarto gradu.

43 Negant tamen communiter DD. & meritò, nam priuilegiũ nihil operatur vltrà verborum significationem ex C. *Porrò, de Priuil.* Iam ex vna parte sub nomine consanguineorum nullo modo intelligi possunt Affines, vt patet in matrimonij impedimentis, eorundem dispensationibus, ac reliquis materijs, ex eo quia sunt termini omninò diuersi, & disparati; ex altera verò parte bulla latina originalis, quæ dicitur *Plumbea*, solos consanguineos hic nominat, & consequenter nequit hoc priuilegiũ ad Affines extendi.

Auctor.

44 Nequè obstare possunt summaria siuè Italicè, siue Hispanè edita, quia hæc siquid dubij pariunt, regulanda erunt cum originali latino, in quo cum de solis consanguineis fiat mentio, satis absq; vllo fundamento pro Affinibus extorqueretur. Ex quibus patet ad primam rationem dubitandi incontrarium.

45 Ad secundam autem rationẽ, nego paritatem; & disparitas à priori est, quia lex tota fundatur in Ratione, quę dicitur *Anima legis*; at Priuilegium in mera, ac libera voluntate concedentis. hinc iurè lex dè vno casu extenditur ad alium casum, quoties vtrobiquè eadem militat ratio. Sic quæ disponuntur contrà furantes *in l. Illud, ff. ad l. Aquil.* benè extenduntur ad inferentes graue damnum, quod non militat in priuilegijs, vt esse immunem v.g. à Gabellis, cũ hoc non ex eo, quod à Rege cõcedatur Platoni ob suam fidelitatem v.g. vel ob aliud præclarũ facinus, eo ipso intelligitur idẽ priuilegium esse similiter concessum Catoni, etiamsi hic fuerit illo fidelior, ac longè præclariora facinora pro suo Rege ediderit, & hoc quia priuilegiũ cum ex natura sua totaliter pendeat à voluntate Principis (vt dictum est) iuuat huic priuilegiare Platonem, non autẽ Catonem, quamuis in hoc eadem vel etiã maior militet ratio priuilegiandi. Hinc priuilegium nõ intelligitur concessum, nisi solis personis, quæ in ipso vel expressè nominantur, vel saltem sub nominatis virtualiter continẽtur.

46 Dicitur autèm aliquis virtualiter contineri in aliquo priuilegio, quamuis expressè non nominetur, primò si priuilegiatus nequit vti suo priuilegio absquè alio; sic in priuilegio, quod cõceditur sacerdoti dicere missam tempore interdicti, continetur virtualiter minister (vt suprà dictum est) quatenus sacerdos nequit dicere missam absquè ministro. Secundò si vocis significatio patitur ampliationem; sic priuilegium concessum regularibus alicuius Ordinis comprehendit etiã moniales eiusdem ordinis (si fuerint illo capaces) quia moniales sunt verè regulares. Tertiò demùm si à iure ita disponatur; vnde quamuis vxor non veniat sub nomine mariti, attamen quodlibet nobilitatis priuilegium cõcessum maritis, etiam nulla facta mentione de vxoribus, eas tamen comprehendit, ex eo quia in Iure ita statuatur.

47 Affines igitur cum neque specialiter, neque virtualiter contineantur in hoc bullæ priuilegio,

gio, consequenter satis immeritò ad affines extenderetur. Priuilegiatus igitur quamuis possit vi bullæ secum admittere ad audiendam missam tempore interdicti suos Familiares, Domesticos, & Consanguineos, nequibit tamen admittere Affines.

DIFFICVLTAS XII.

An Familiares, Domestici, & consanguinei principalis Priuilegiati possint tempore interdicti audire missam etiam absente ipso principali Priuilegiato?

48 NEgant *Rodriq. §. 9. n. 4. & 5. Herriq. l. 7. C. 13. n. 4. Trullen. l. 1. §. 3. d. 6. Bardi tr. 2. C. 3. n. 70.* alijque communiter DD. primò quia hoc priuilegiũ est odiosum, atquè adeo quoad fieri potest restringendum. Secũdò quia finis, & intentio Sum. Pontificis hec fuit primò, & per se suffragari ei, qui bullam sumit, alijs verò per accidens, & accessoriè, seu per ordinem ad illum, atquè adeo absente principali priuilegiato, nequeunt alij hoc frui priuilegio, alioquin omninò independenter ab ipso principali priuilegiato fruerentur dicto priuilegio, quod esset contrà mẽtem Sum. Pontificis.

Rodriq. Herriq. Trullen. Bardi.

49 Affirmatiuam tamen sententiam probabilem putant *Lud. à cruc. D. 1. C. 5. d. 3. n. 5. & Diana p. 4. tr. 4. res. 13.* absolutè tamen affirmat *Auersa q. 15. de Euch. cũ. el. 7.* & meritò, nam quando in Bulla dicitur: *Possunt in sua ac Familiarium, & Domesticorum ac consanguineorum suorum præsentia missas celebrare, si Presbyteri sint, vel celebrare facere &c.* sanè Ly *Ac*, seu *Et*, idem sonat, ac *Etiam*, vt passim, & eleganter in lingua latina sumi solet; quarè est particula extensiua priuilegij, non autem copulatiua præsentiarum; vnde sensus est, quod sumens bullam possit tempore interdicti missas celebrare vel celebrare facere non solùm in propria præsentia, verũ etiã in præsẽtia suorũ familiariũ &c.

Lud. à cr. Diana. Auersa. Auctor.

50 Quæsò iam, vnde colligunt AA. cum præsentia Familiariũ &c. debere simul coniungi Domini præsentiam, pro audiendã Missa? sicuti si Rex v. g. dicat amico, se gaudere non solùm eius præsentia, verùm etiã suorum filiorum: nonne cuiuslibet eorum præsentia per se & solitariè sumpta esset apta ad exilarandum animum Regis? sed patris quidem per se & ratione sui: filiorum autem per accidens, & ratione proprij parentis.

51 Ad primam autèm AA rationem Dico, priuilegium quomodocunque odiosum, nunquam sumi largè, dum iuxtà genuinã, naturalem, ac propriam verborum significationẽ explicatur.

52 Ad secundam verò *Dico*, satis saluari subordinationem ad principalem priuilegiatum, dum hic auctoritate propria facit Missam celebrare, eius autèm Familiares &c. ex solo iussu *Domini*, atq; adeo nullo modo independẽter ab alio isti tali fruerentur priuilegio, vt patet.

DIFFICVLTAS XIII.

Sub quibus Conditionibus conceditur vi bullæ audire missam tẽpore interdicti?

53 TRes conditiones ex parte personæ apponuntur in præsenti

præſenti priuilegio, ad hoc vt quis virtute bullæ poſſit tẽpore interdicti localis, ſcilicet, generalis (vt ſupra dictum) vel celebrare miſſam vel illam audire.

54 Et quidem Prima eſt vt ſumens bullam non dederit cauſſã interdicto. Dicitur autem dare cauſſam interdicto ex *C. licet, de Priuil. in. 6.* & *ex C. Alma mater ei.* qui vel commiſit delictum illud, per quod latum fuit interdictum, vel dedit conſilium, vel fauorem, vel auxilium, &c. ad illud delictum patrandum.

55 Secunda verò conditio eſt, vt per ipſum priuilegiatum non ſtet, quin tale interdictũ amoueatur, hoc eſt, ſi fuerit culpabilis cauſſa, ne interdictum tollatur, vtiquè in vtroque caſu nihil abſolutè quoad hoc valebit præſens bullæ priuilegium.

56 Tertia demùm conditio, eſt, vt tunc Oratorio vtentes fundant Deo preces pro vnione Chriſtianorum Principum, pro eorumdem Victoria contrà infideles, propagatione veræ Fidei, extirpatione Hæreſum, & huiuſmodi. Circa quam Orationem faciendam, cum nullus in eadẽ bulla pręſcribatur modus, ſeu forma, ſed tantùm obiectum deſignetur, pro quo orari debet idcircò diſtinctiùs videndum erit, Quęnam, & qualis debeat eſſe talis Oratio, & quomodo obliget.

DIFFICVLTAS XIV.

Quænam, & qualis debeat eſſe Oratio, adhoc vt quis vi Bullæ tempore Interdicti Miſſam in Oratorio audiat, & quomodo obliget?

57 Conueniunt primò DD. tũ qualitatem, tum quantitatem, huius Orationis eſſe abſolutè in arbitrio orantis. & meritò, nam ſub nomine Orationis vt ſic, & genericè ſumptę, venit ex ęquo tum mentalis, tũ vocalis Oratio: tum breuis, tum prolixa cum igitur bulla de tali Oratione genericè loquatur, cõſequenter qualibet Oratione huic bullę pręcepto ſatisfaciet.

58 Conueniũt ſecundò DD. talem Orationem non eſſe de eſſentia, & ſubſtantia huius priuilegij, hoc eſt, non eſſe omninò neceſſariam ad illius validitatẽ, ſed ad ſolam decentiam, ſeu cõuenientiam. Et meritò, nam talis Oratio nõ neceſsè eſt, vt fiat ante Miſſam, ſed vel in medio, vel in fine Miſſę, imõ etiãſiquis peracta miſſa dicto modo oret, ſufficienter ſuę obligationi ſatisfaciet, errò non eſt de eſſentia huius priuilegij; patet conſequentia, nam quod aduenit alicui rei iam in ſuo eſſe complete, non eſt de eſſentia talis rei, vt etiam patet: iam dum incipit miſſa, ſatis completa habetur facultas, ſeu priuilegium celebrandi illam, ergò Oratio ſubſequens, cum inueniat dictũ priuilegium in ſuo eſſe conſtitutum, non erit de illius eſſentia, ſed tantùm de decentia, ſeu congruentia,

59 Conueniunt Tertiò DD. dictam Orationem eſſe de pręcepto, non tamen obligare ſub mortali, ſed tãtũ ſub veniali. Et meritò, nam Sum. Pontifex in eadem Bulla ait: Vtentes Oratorio teneri aliquas Deo preces fundere iam ly, *Teneri*, pręceptum indicat. quod autem non obliget niſi ſub veniali, patet ex eo, quod ſit de re leui.

60 Conueniunt Quartò DD. dictum pręceptum obligare tam prin-

principalem priuilegiatũ, quam reliquos per participationem. Et meritò, primò quia bulla generaliter ait: vtentes Oratorio teneri preces Deo fũdere, ergò nemo ex vtentibus Oratorio excludi debet. Secundò quia satis æquum est, vt qui commodum sentit, sentiat & incommodum, & qui priuilegio, & honore lætatur, etiam & onera sustineat.

61 Conueniunt vltimò DD. solos in Oratorijs celebrantes, aut ibidem missam audientes teneri modo dicto orare, non autẽ si quis tempore interdicti in Ecclesijs celebraret, aut ibidem missam audiret. Et meritò nam bulla quando solùm agit de vsu præsentis priuilegij in ordine ad Oratorium, imponit obligationem orandi, non autèm quãdo loquitur de Ecclesijs, Monasterijs, alijsque publicis locis ad Diuinum cultum destinatis. quod similiter decreuit *Tridentinum ses. 22.* ex eo quia faciliùs deueniunt ad confabulationes, qui in priuatis locis audiunt Missam.

DIFFICVLTAS XV.

An qui tempore interdicti potest vi Bulla audire Missam, teneatur illam audire, si tunc dies festiuus occurrat?

Coninch. *Auila.* *Alterus.* *Llamas.*

62 Negãt *Coninch. D. 17. de interd. d. 2. n. 28. Auila de Cens. p. 5. D. 4. se. 6. d. 6. Alterus ibi D. 2. C. 3. Llamas p. 3. sum. C. 5. §. 12.* aliique. Quorũ ratio præcipua est, quia aliter Priuilegium retorqueret in damnum priuilegiati, atque adeo nullo pacto esset priuilegium, sed onus vnde *ex reg. Iur. in 6. c. Quod ob gratiã;* habemus, quod id quod in gratiam alicuius conceditur, nõ debet in eiusdem dispendium retorqueri. Cõfirmatur etiam ex *c. si de Terra, de Priuil.* vbi dicitur, posse priuilegium renunciari, vnde est cõmune illud Axioma, quod nemo tenetur vti suo priuilegio.

63 Affirmant tamen *Rodriq. §. 5. n. 6. Sotus in 4. D. 13. q. 2. ar. 1. Sanch. l. 9. sum. d. 6. n. 14. Riccius in add. §. 5. n. 18. Nauar. C. 21. n. 3. Couarr. in c. Alma mater 2. p. §. 4. nu. 3. Bonac. de Cens. D. 5. p. 4. nu. 19. Suar. to. 3 in 3. p. D. 88. se. 6. Lud. à cruc. D. 1. C. 5. d. 4. n. 5. Herriq. lib. 13. cap. 48. num. 5. Sancius in selec. D. 15. Azor. to. 1. l. 7. C. 2. q. 3. Lugo de Euch. D. 22. n. 13. Medin. 1. sum. C. 14. § 4. Palaus tr. 3. de Priuil. D. 4. p. 7. Villalob. to. 1. sum. tr. 19. n. 14. Tann. in 2. 2. D. 5. q. 6. d. 2. n. 25. Nuñus in 3 p. t. 2. q. 83. ar. 6.* alijq; cõmuniter DD.

Rodriq. *Sotus.* *Sanch.* *Riccius.* *Nauarr.* *Couarr.* *Bonac.* *Suarez.* *Lud. à cr.* *Herriq.* *Sancius* *Azorius.* *Lugo.* *Medina* *Palaus.* *Villalob.* *Tanner.* *Nuñus.*

64 Et meritò, nam quoties priuilegium aufert impedimẽtũ ad exequẽdum aliquod prçeptũ, toties obligabit priuilegiatum ad exequendum tale præceptũ, non quidem primò per se & directè, sed secundariò, per accidẽs, & indirectè, vt ex innumeris patet exẽplis. sic per omnes si detentus in carcere gratiosè die festo è carcere egrederetur, vtiquè absolutè audire missam teneretur, etiamsi pro audienda sola missa egrediatur. Similiter Episcopus habens priuilegium erigendi vbique altare ad celebrandum, si casù alicubi die festo nequeat Ecclesiæ præcepto de audienda missa satisfacere, nisi suo vtendo priuilegio, vtiq; illo vti tenetur. Si quis etiam ex priuilegio nõ teneretur soluere Gabellas, vtiquè teneretur illas non soluere, suoque vti priuilegio,

Auctor

uilegio, si illas soluendo redderetur impotens ad satisfaciendũ suis Creditoribus. Coniux etiam ex priuilegio potest non reddere debitum alteri coniugi adultero: si tamẽ coniux innocens votum castitatis emiserit, tunc omninò teneretur non reddere suoque vti priuilegio. Siquis similiter haberet à Pontifice priuilegium aperiendi sua peccata sacramentaliter cuicunque simplici sacerdoti, vtiq; si vrgeat præceptum confitendi, & non adsit, nisi simplex Sacerdos, nequibit tunc priuilegiatus omittere confessionẽ, quod est obligari suo vti priuilegio, & similibus; ergò stat habere priuilegiũ & cogi illo vti.

65. Interdictum igitùr locale nõ tollit absolutè præceptum de audienda missa, sed tantùm impedit, seu remouet laicos pro tunc ab illa in tali, vel tali loco in pœnã &c. ergò eo ipso quod per bullam aufertur tale impedimentum, statim remanet libera, & absoluta exequutio talis præcepti, atquè adeo, dum sumens bullam potest audire Missam, vtique tenebitur illam audire, sicuti absolutè illam audire, tenentur Clerici, quibus ex speciali priuilegio permittitur tempore interdicti Diuinis assistere, vnde confirmatur nostra sententia.

66 Ad præcipuam autem rationẽ AA. in contrarium Dico, quod tunc absolutè priuilegium diceretur retorqueri in damnum priuilegiati, onusque potiùs absolutè dicendum, quàm gratia; quoties priuilegium primò & per se, seu directè tenderet ad imponendum onus, non autèm quando ex ipso priuilegio secũdariò, & per accidens, seu indirectè oriretur aliquod onus, alioqui neque dici posset absolutè gratia, quando infirmus etiã miraculosè accipit à Deo sanitatem, ex qua oritur obligatio non solum audiendi missæ diebus festis, sed etiam ieiunandi, &c. Similiter nequè dici posset absolutè gratia, seu fauor, cum quis donat, aut legat omnia sua bona alteri, quoties aliquod onus ex consequutione eorum bonorũ legatario oriatur, &c. & sic vel nunquam, vel raro posset dari absolutè priuilegiũ. ex quibus patet ad *c. Quod ob gratiam, ci.*

67. Ad confirmationem autem dico, axioma illud: *Nemo cogitur vti suo priuilegio, imò potest illud renunciare*, absolutè habere locum in illis priuilegijs, quæ aliquod onus, in aliud cõmutãt: vt si Sum. Pontifex obligationẽ, quam habeo recitandi horas canonicas, mihi commutaret v.g. in tertiam partem *Rosarij*, vtiquè tunc æquè benè posem recitare vel *Rosarium*, vel ipsas horas canonicas, ità similiter se habent Votorum commutationes, & huiusmodi. similiter & reliqua omnia alia priuilegia, exceptis tantùm casibus per accidens, quando scilicèt remouent prohibens; ne aliquod præceptum impleatur, prout dictũ est in allatis exemplis.

68 *Si* festiuus igitur dies occurrat tempore interdicti, non solum tenebitur missam audire, qui bullam sumpsit, estque principaliter priuilegiatus, verùm etiã omnes ipsius Familiares, Domestici, & Consanguinei, alijque, siqui fuerint accessoriè priuilegiati, ex eo quia de his omnibus militant rationes à nobis allata.

DIF-

DIFFICVLTAS XVI.

An qui non habet Bullam teneatur illam sumere, vt missam audiat tempore interdicti, si tunc dies festiuus occurrat?

69 RAtio dubitandi pro parte affirmatiua est, quia habens Bullam tenetur illa vti ad audiendã missam, occurrente die festo tempore interdicti (vt in Superiore Diff. dictũ est) ergò similiter habens commoditatem facile sumendi bullam, videtur etiam teneri illam sumere, ad hoc vt Missam tunc audiat si festus dies tempore interdicti occurrat; præsertim quia quilibet tenetur facere moralem diligentiam, quam commodè exibere potest, adimplendũ, tàm Diuinum, quàm Ecclesiasticum præceptum.

Sotus. Herriq. Trullen. Petr Led. Cenedus. Bardi.

70 Negant tamen *Sotus in 4. D. 13. ar. 1. Herriq. l. 9. C. 25. n. 11. Trullen. l. 1. §. 3. d. 6. n. 9. Pet. Ledesm. de Euch. C. 27. concl. 16. diff. 2. Cenedus qq. can. q. 44. Bardi tr. 2. C. 3. n. 66.* & communiter DD. & meritò, nam præceptum Ecclesiæ audiendi missam solùm obligat non habentes legitimũ impedimentum, non autem obligat ad tollendum impedimẽtũ. vnde patet disparitas ad rationem dubitandi in contrarium, & meliùs infrà patebit.

Auctor.

71 Ad Confirmationem autem dico, quemlibet teneri facere moralem diligentiam pro adimplendis, tàm Diuinis, quam Ecclesiæ præceptis modo ordinario, non autem extraordinario, mediantibus scilicet priuilegijs, & huiusmodi.

DIFFICVLTAS XVII.

An hoc Bullæ priuilegium pro tempore interdicti concessum, valeat etiam pro tempore Cessationis à Diuinis?

72 RAtio dubitandi pro parte affirmatiua est, quia Cessatio à Diuinis habet quandam similitudinem cum interdicto, nam per Cessationem à Diuinis prohibetur celebratio Diuinorum Officiorum, & administratio aliquorum Sacramentorum, sicuti de interdicto dictum est. Similiter vtriusque prohibitio potest esse generalis, & particularis.

73 Hinc nonnulli DD. moderationem rigoris interdicti factam tam à iure antiquo *in c. Quod in te, de Pænit. & remiss.* quam à nouo in *C. Alma mater, ei.* extendunt etiam ad Cessationem à Diuinis, ergò similiter hoc bullæ priuilegium pro tempore interdicti concessum, extendi poterit etiam ad tempus Cessationis à Diuinis.

74 Mouentur autem dicti DD. ad faciendam istam extensionẽ, ex eo quia Bonifacius VIII. vt ipsemet Pontifex asserit in dicto *C. Alma mater*, ideò moderauit interdicti rigorem, quia ex nõ celebratione Diuinorum Officiorũ tempore interdicti, grauè dãnum spirituale fidelibus oriebatur, sed hoc ipsum sequitur ex nõ celebratione eorundem Officiorum tempore Cessationis à Diuinis, ergò rectè moderatio facta pro tẽpore interdicti extendi poterit ad tempus

Ceſſationis à Diuinis; hinc non videtur maior ratio, cur relaxatio iuris communis pro tempore interdicti poſſit commodè extendi ad Ceſſationē à Diuinis non autem relaxatio bullæ.

75 Negant tamen communiter DD. & meritò, nam ex vna parte Ceſſatio à Diuinis non eſt abſolutè interdictum, vt omnes DD. concedunt, nam interdictum directè, & per ſe ferri poteſt tàm in locum quàm in perſonas (vt ſuprà dictum eſt) Ceſſatio autem à Diuinis nunquam directè, & per ſe fertur in perſonas, ſed tantũ in locum. Rurſus violans interdictum ſiue generale, ſiue particulare, fit irregularis: violans autem Ceſſationem à Diuinis, quamuis grauiter peccet, nunquam tamen fit irregularis. Demùm prohibitio per interdictum, ſicuti & reliquæ prohibitiones aliarum Cēſurarum, eſt in pœnam alicuius commiſſi delicti, prohibitio autem per Ceſſationem a Diuinis eſt ſolùm in ſignum mæroris ob aliquam enormem iniuriã Eccleſiæ factam, eo modo quo Iſraeliticus populus quoties captiuus ducebatur, ſuſpendebat Organa, quibus laudes Deo decantabantur, vnde Ceſſatio à Diuinis neque inter Cenſuras enumeratur. *Auctor.*

76 Ex altera verò parte, bulla de ſolo tempore interdicti loquitur, nihilque addit pro tempore Ceſſationis à Diuinis, ergò malè priuilegium pro tempore interdicti conceſſum extenderetur ad tempus Ceſſationis à Diuinis. Quod autèm inter interdictum, & Ceſſationem à diuinis ſit aliqua ſimilitudo, nihil obſtat, nam maiorem vtiquè ſimilitudinem habent Cenſuræ inter ſe, & tamèn priuilegium hoc pro tempore interdicti, nequit extendi ad tempus v.g. Excommunicationis, vt patet.

77 Quod autèm additur, relaxationem Iuris communis pro tēpore interdicti extendi etiam ad tempus Ceſſationis à diuinis, nego, vt benè etiã negat *Suar. de Cenſur. D. 39. ſe. 1. n. 7.* ex cōmuni DD. conſenſu tam Theologorũ quam Canoniſtarum ſalmaticēſium, nullumq; vſquè adhuc, aſſero, factam eſſe moderationē circà prohibitionem diuinorũ Officiorum tempore Ceſſationis à diuinis, nam Iura allata de ſolo interdicto loquuntur, & ſic malè ex interdicto fieret tranſitus ad Ceſſationem à diuinis, vt dictum eſt. *Suarez.*

78 Ad rationem autèm deſumptam à fine, quo motus eſt Sum. Pontifex ad moderandum rigorem interdicti: Reſpondeo, incommoda illa in *C. Alma mater*, allata fuiſſe quidem ſufficientia ad moderandum interdictum, non autèm ad moderandã Ceſſationem à diuinis; nam totalis Ceſſatio à diuinis rarò fit, interdictum verò frequentiùs contingit, atquè adeò maximũ detrimentum ſpirituale fidelium ſequeretur ex frequēti non celebratione diuinorum Officiorum, non autem ex rara.

DIFFICVLTAS XVIII.

An ſaltèm moderatio pro aliquibus diebus ſolemnioribus tempore interdicti, valeat etiàm pro tempore Ceſſationis à Diuinis?

79 IN *C. Alma mater ci.* ſuſpēditur interdictũ generale locale in

in quatuor festiuitatibus, nempe Natalis Domini, Paschæ Resurrectionis Pentecostes, & assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, quoad Diuinorum Officiorum celebrationẽ dumtaxat non autèm quoad Sacramentorum administrationem. idem concessit Martinus V. & Eugenius IV. in festo Corporis Christi, & per totam eius Octauam, & Leo X. in festo Conceptionis B. Virginis, eiusque Octaua in regnis Hispaniarum. Incipiunt autem huiusmodi Festiuitates à primis Vesperis, vsquè ad Cõpletorium diei sequentis. Hinc nonnulli DD. meritò asserunt. licitè posse tunc Missam celebrari solemniter etiam in Vigilijs Resurrectionis, & Pentecostes, ex eo quia harum festiuitas incipiat à Vigilia.

80 Quærimus igitur in præsenti Diff. An dicta concessio pro tẽpore Interdicti quoad dictas festiuitates, valeat etiam pro tẽpore Cessationis à Diuinis.

Couarr. *Lud à cr.* 81 Affirmant *Couarr. in dicto C. Alma mater, 2.p, §.5.n.3. & Lud. à cruc. D.1. C.5. d. 8. n.4*, ex eo quia talis concessio non videtur restringi ad tempus interdicti, sed simpliciter, & absolutè in honorem talium festiuitatum conceditur publicè & solemniter Diuina Officia celebrare, quod satis congruit sanctitati illorum dierum.

Suarez. *Bardi.* 82 Negant tamen *Suar. de cens. D.39. se.n.13. Bardi* C.3.n.77. & cõmuniter DD. & meritò, nam

Auctor. falsum est dictam concessionem in C. *Alma mater*, non restringi ad tempus interdicti, vt clarè patebit legenti textum. cum igitur totus verborum tenor dirigatur ad tempus interdicti, non video quomodo vna illius pars extendi possit ad Cessationem à Diuinis, altera verò non. Ceterùm fateor sanctitatem illorum dierum esse sufficiens motiuum huius extensionis, nisi aliud obstaret. Absolutè igitur præsens bullæ priuilegium pro tempore interdicti concessum, nihil valet tempore Cessationis à Diuinis.

DIFFICVLTAS XIX.

An in Ecclesia violata, seu polluta possint Bullæ virtute Diuina Officia celebrari?

83 SEx modi cõmuniter à DD. assignantur, quibus Ecclesia violatur, seu polluitur, itaut in illa, absque noua benedictione non possint Diuina Officia ampliùs celebrari, nempè Homicidio, iniuriosa sanguinis effusione, Effusione humanis, Sepultura Excommunicati non tolerati, Sepultura infidelis nõ baptizati, ac deniq; combustione, seu destructione maioris partis ipsius Ecclesiæ de quibus communiter DD. in materia de Censuris.

84 Quærimus ergò hic, An sicuti per bullam possunt Diuina Officia celebrari in Ecclesia interdicta, ita similiter possint per eadem bullam celebrari in Ecclesia violata, seu polluta.

85 Et quidem ratio dubitandi pro parte affirmatiua est quia Ecclesiæ pollutio, seu violatio videtur species quædam interdicti localis; interdictum enim locale est quædam ineptitudo, seu indignitas loci ratione cuius nequeunt in tali loco Diuina dignè exerceri. cum igitur idẽ operetur Violatio, seu Pollutio, nõ videtur consequenter

abs re, extendere similiter ad Ecclesiam violatam, seu pollutam priuilegium bullæ concessum pro interdicto locali.

Acosta. Bardi. Auctor.

86 Negant tamẽ *Acosta q.30. & Bardi tr. 2. C. 3.n.80.* & meritò, primò quia ex vna parte Violatio, seu Pollutio Ecclesiæ non est absolutè species interdicti (vt communiter asserunt DD. in materia de Cẽsuris) primò quià Violatio semper est à Iure & nunquam ab homine, Interdictum verò potest esse etiam ab homine. Secundò quia interdictum (sicuti & aliæ Censuræ) est medicinale, imponitur .n. vt reus resipiscat, Violatio autẽ nũquam est medicinalis, sed solùm ostendit indecentiam loci pro Diuinis rebus tractandis Tertiò quia interdictum semper fundatur in peccato alicuius, at Violatio, quamuis ex culpa oriri possit, attamen absquè præcedẽte culpa haberi potest. Quartò demùm, quia violans interdictum fit irregularis, vt patet ex *C. Is cui, de sent. excom. in 6.* Siquis autem exerceret sacras functiones in Ecclesia polluta absquè vrgenti necessitate, seu Episcopi licentia, quamùis grauiter peccaret, non tamen irregularitatem incurreret, *ex C. Is qui, tit. ci.* ex quibus potiùs Violatio dici poterit species Irregularitatis, seu localis Irregularitas (vt ita dicam) quam species interdicti. quarè licèt aliquãdo etiam in iure (Satis tamen impropriè) Violatio dicatur interdictum, quatenus importat prohibitionem vt sic, verè tamẽ non est interdictum.

87 Ex altera verò parte bulla de solo interdicto loquitur, nullamque mẽtionem facit de Ecclesia polluta, ergò malè priuilegium pro interdicto cõcessũ extẽderetur ad Ecclesiam violatam; & præsertim quia præsẽs priuilegium est odiosum, vt diximus *D.1 Q.1.n.8.*

88 Secundò quia, etiam dato, quod Violatio Ecclesiæ sit interdictum locale particulare etiam propriè sumptum, attamèn cum hoc bullæ priuilegiũ non se extendat ad interdictum locale particulare (vt supra dictum est) sed tantùm ad Interdictum locale generale, consequenter nullo pacto valere poterit pro Diuinis celebrandis in Ecclesia violata, seu polluta. Vi igitùr bullæ Cruciatæ nequeunt Diuina Officia celebrari in Ecclesijs modo dicto violatis, seu pollutis.

DIFFICVLTAS XX.

An vi Bullæ Cruciatæ satisfaciat Ecclesiastico præcepto, qui extrà Interdictum in Oratorio alieno celebret, vel audiat missam?

89 MAgni principes, alijque illustriores viri, solent ex licentia Sum. Põtificis satisfacere Ecclesiæ præcepto de audienda missa in priuatis Oratorijs proprij Palatij, ab Ordinarijs tamen assignatis, & approbatis. Quærimus ergo hic, An siquis extraneus, hoc est qui neque est Familiaris, neque Consanguineus, neque Domesticus ipsius Priuilegiati, audiendo missam in huiusmodi Oratorijs satisfaciat similiter Ecclesiæ præcepto de audienda missa, vi bullæ Cruciatæ, extrà tempus interdicti.

90 Negant aliqui Recentiores, primò quià in bulla solùm conceditur

ceditur facultas celebrãdi, vel audiendi missã in priuatis Oratorijs tempore interdicti, extrà quod tempus cum nihil de hac re disponat, necessè est vt remaneat iuxtà dispositionem Iuris communis, quo absolutè prohibetur celebratio extrà Ecclesiam, nisi de Episcopi licentia, vt patet ex *c. Sicut non alij*, & *c. Si quis etiam*, *de Consecr.* Diff. 1. Secundò quià ex hoc sequeretur Ecclesiarum cultum destitui, quod esset maximum inconueniens. Tertiò quià nemo timoratæ conscientiæ videtur præsumere in talibus Oratorijs missã audire diebus festiuis, nisi habeat in hoc speciale priuilegium.

Rodriq. Riccius. Trullen. Herriq. Lud. à cr. Bardi. Auctor.

91 Affirmant tamen *Rodriq. in Add. §. 5. n. 1. Riccius ibi. n. 14. Trullen. l. 1. § 3. d. 4. à n. 10. Herriq. l. 7. C. 13. n. 4. Lu. à cr. D. 1. C. 5 d. 1. Bardi p. 2. tr. 2. C. 6. n. 8.* alijq. communiter DD. & meritò, ita .n. euidẽter deducitur ex ipsius bullæ contextu, vbi conceditur sumentibus bullam, posse in priuatis Oratorijs, *Etiam tempore interdicti* missas, & alia Diuina Officia per seipsos, si Presbyteri sint celebrare vel per alium celebrare facere. iam Ly, *Etiam tempore Interdicti*, denotat dictam facultatem esse concessam etiam pro tempore extrà interdictum idem enim est dicere, *Etiam tempore interdicti*, ac dicere, non solùm extrà tempus interdicti, sed etiàm tempore interdicti de quo poterat esse dubitatio, vt satis patet ex communi vsu loquendi: vt si dicas v.g. *Petrus benefacit etiam inimicis*; sensus quidem est, quod Petrus benefaciat non solùm amicis sed etiam inimicis, quod est magis arduum ac difficile.

92 Si igitur Sum. Pontifex intendisset concedere dictam facultatem pro solo tempore Interdicti, non apposuisset particulam, *Etiam*, quæ de natura sua ampliat, & extendit sermonem ad id, quod non exprimitur, non solùm in rebus fauorabilibus, sed etiam odiosis, vt communiter docent DD. Ex quibus patet. ad primam rationem AA. incontrarium.

93 Ad secundam autèm nego, ex hac nostra opinione sequi destitutiónem cultus Ecclesiarum primò quià paucissimis conceduntur Oratoria priuata, ac longè pauciores sunt, qui pro sola audienda missa se conferant ad domos alienas. Secundò quià concursus populi ad Ecclesias, non est solùm pro audiẽda missa, sed etiam pro audienda Concione, vel sumendis stationibus, &c.

94 Ad Tertiam dico, habentes bullam non vti hoc illius priuilegio, ex eo quia vt plurimùm illud ignorant; ceterùm hoc scientes, illo vtiquè vtũtur absq; vllo prorsus scrupulo.

DIFFICVLTAS XXI.

An virtute Bullæ Cruciatæ liceat celebrare, vel audire missam in priuatis Oratorijs, etiam in solẽnioribus Festiuitatibus?

95 VI licentiæ, quæ à Sum. Pontifice obtinetur erigendi priuatum Oratorium, & in eodem erecto, & per ordinarium approbato missam etiàm quotidie celebrandi nequaquã licet in illo celebrare aliquibus diebus solemnioribus, qui in ipsismet Breuibus Apostolicis excipi

excipi solent, vt sunt Natalis Domini, Epiphania, Paschæ Resurrectionis, ac Pentecostes. Annunciatio B. Virginis, eiusq; Assumptio. Natiuitas S. Ioannis Baptistæ, Festum SS. Petri & Pauli, & Omnium Sanctorum, vt constat ex *C. Si quis, de Conse- crat. D. 1.* & ex declaratione sacræ Cõgregat. 17. Nouẽb. *1617.* Excipi communiter etiàm solet Festum principalis Patroni illius Ciuitatis in qua Oratorium erigendum erit.

96 Quærimus ergò hic, An saltem virtute Bullæ Cruciatæ, liceat celebrare, vel audire Missam in priuatis Oratorijs, etiàm in dictis solemnibus festiuitatibus.

97 Negant aliqui Recentiores, quibus adhæret. *Riccius in Add.* §. 5. *n.* 14. quoad diem Paschatis, atque adeò secundùm istorum opinionem, si quis missam celebraret, vel illam audiret in priuato Oratorio dictis solemnioribus diebus, vel alijs exceptis in Pontificis concessione, non satisfaceret Ecclesiæ præcepto de audienda missa. Quorum ratio est, quià existimant, hoc Cruciatæ priuilegium circà priuata Oratoria, solum prodesse pro tempore interdicti, atque adeo non existente interdicto, nihil quoad hoc prodesse. & præsertim quià priuilegium de celebrãda missa in priuatis Oratorijs est odiosum, & consequẽter quoad fieri poterit strictè interprætandum.

Riccius.

98 Affirmant tamèn *Rodriq. in Add.* §. 5. *Trullen. l.* 1. §. 3. *d.* 4. *n.* 11. *Vasq. to.* 3. *in* 3. *p. D.* 279. *C.* 5. *n.* 50. *Diana p.* 4. *tr.* 4. *res.* 76. *Bardi p.* 2. *tr.* 2. *C.* 6. *n.* 20. alijque, & meritò, nã bulla absolutè, & absque vlla limitatione concedit sumẽtibus illam, vt possint etiàm in priuatis Oratorijs celebrare, si Presbyteri sint, vel celebrare facere. iam si Sum. Pontifex intendisset excipere aliquot dies solemniores, vtique talem exceptionem, seu limitationem expressè apposuisset in eadem bulla, vt de facto illam expressè opponit in breuibus particularibus, in quibus erectio Oratorij conceditur &c.

Rodriq. Trullen. Vasquez. Diana. Bardi. Auctor.

99 Nequè obstat, hoc bullæ priuilegium esse odiosum, nã verba legis, adhuc in rebus quantumuis odiosis, non sunt ita restringenda, vt à suo proprio sẽsu extorqueantur, & à naturali significatione alienentur. quarè cum omnibus bullam sumentibus, absque vlla distinctione personarum, siue temporis cõcedatur, posse in priuatis Oratorijs missam celebrare, vel illã audire, non est cur nos distinguamus, sicuti etiam diximus in superiore Diff. Ex quibus patet ad rationem AA. in contrarium Similiter exceptio *Riccij* nullo nititur fundamento.

100 Iam verò ex dictis sequitur primò, facultatem istam à bulla Cruciatæ concessam habere locum tàm in proprio, quàm in alieno Oratorio; nam per bullã cum simplicitèr, & absque vlla limitatione concedatur, posse audiri missam in Oratorio, non apparet, vnde talis concessio ad proprium tantùm Oratorium coarctetur.

101 Sequitur secundò, nõ solùm priuilegiatum virtute Cruciatæ posse per seipsum modo dicto celebrare, sed etiam posse assumere alium ad celebrandã missam ipso præsente, vel suis familiaribus, seu Domesticis, seu Cõsanguineis. Et ratio est, quia in eadem

eadem bulla expressè habetur, posse priuilegiatũ, vel per seipsum, vel per alium celebrare missam in Oratorio priuato.

102 Sequitur tertiò, virtute Cruciatæ posse non solum vnam Missam, verùm etiam plures Missas eadem die, in eodẽ Oratorio celebrari: nam quàmuis Breue Pontificium, quo priuatum Oratorium conceditur, vnam tantùm Missam quolibet die celebrari permittat, hoc tamèn non tollit, quia per aliud priuilegium (vt de facto est hoc Cruciatæ priuilegiũ, quod missarum numerum non limitat) possint plures eodem die Missæ in vno, eodemque Oratorio celebrari. Optimum tamen factũ est, in supradictis solemnioribus solemnitatibus, quoad fieri potest, in publicis Ecclesijs missam audire: tàm ad aliorum ædificationem, quàm nç saltèm aliquibus anni diebus, præsertim solemniorbus, suam, fidem Christianus publicè profiteri non erubescat.

DIFFICVLTAS XXII.

An virtute Bullæ Cruciatæ liceat in priuatis Oratorijs celebrare, seù audire Missam, etiãsi hoc ab Ordinarijs prohibeatur?

103 Contingere potest, vt Ordinarius prohibeat sub pœna etiàm excommunicationis v. g. ne aliquo magnæ solẽnitatis die, celebrentur Missæ in Oratorijs priuatis; Querimus ergò hic, An tùnc stante tali prohibitione, liceat celebrare, vel audire missam in Oratorijs priuatis virtute bullæ Cruciatę.

104 Negat *Bardi p. 2. C. 6. nu. 22.* ex eo quia putat, obtemperandum esse in tali casu Ordinarij mandatis. Bardi.

105 Affirmant tamèn *Rodriq; in Add. §. 5. n. 1. Trullen. l. 1. §. 3. d. 4. n. 12. Diana p. 4. tr. 4. res. 76.* aliique, & meritò, nam hoc bullæ priuilegium est à Sum. Pontifice independenter ab Ordinariorũ iurisdictione, nisi quoad illius approbationem, & visitationem; ergò positâ Oratorij approbatione ab Ordinario, nequit eius vsus ampliùs ab eisdem Ordinarijs impediri. quarè in tali casu (secluso semper scandalo, & ipsius Ordinarij cõtemptu) poterit celebrari, vel audiri missa in Oratorijs priuatis, non obstante ipsius Ordinarij prohibitione. Rodriq. Trullen. Diana. Auctor.

QVÆSTIO II.

De Sacramentorum vsu, qui virtute Cruciatæ tempore Interdicti conceditur.

Tempore interdicti nõ solùm Sacrificium Missæ, aliorumque Diuinorum Officiorum celebratio de Iure communi prohibetur (vt hactenùs dictum est) sed etiam aliquorum Sacramentorum vsus, qui quomodo speciali Cruciatæ priuilegio concedatur, in præsenti Quæstione dicemus.

DIF-

DIFFICVLTAS I.

Quidnam virtute Cruciatæ circà sacram Communionem tempore Interdicti concedatur?

1 CErtum est tempore Interdicti non prohiberi omnium Sacramētorum vsum, sed tantùm aliquorum, videlicet primò sacra communio more laicorum, etiam Sacerdotibus (nam de sumptione SS. Eucharistiæ, quæ fit à Sacerdotibus in sacrificio Missæ, dictum est suprà) excipiendo tamèn quæ datur, & recipitur per modum Viatici. Prohibetur secundò extrema Vnctio etiā Clericis, exceptis religiosis mendicantibus, ex priuilegio speciali. Tertiò prohibetur collatio Sacramenti Ordinis. ac Quartò demùm Benedictiones nuptiales, & secundùm aliquos etiā matrimonium. His positis:

2 Conueniunt *DD.* posse fideles virtute Cruciatæ pro eorum libito recipere sacram Eucharistiam, non obstante interdicto, sicuti suprà diximus de sacrificio missæ, aliorumque diuinorum Officiorum celebratione, & hoc non solùm in Ecclesijs, verùm etiam in priuatis Oratorijs, vt apertè constat ex ipsomet bullæ contextu, præterquam tamen in die *Paschatis*; quæ exceptio quomodo intelligenda sit, sequēti *Diff.* dicetur.



DIFFICVLTAS II.

Quid veniat nomine diei Paschæ quę per Bullam excipitur?

3 COnueniunt *DD.* diem Paschæ, in qua tantùm prohibetur per bullam sacra Communio in priuatis Oratorijs, nō intelligi solam illam diem, in qua festum Resurrectionis celebratur, sed totum illud temporis spatium, quod fidelibus conceditur pro adimplendo ecclesiastico precepto sumendi Eucharistiam, quod communiter iuxtà declarationem Eugenij IV. incipit à *D*ominica Palmarum vsque ad Dominicā in Albis inclusiuè, quamùis in aliquibus *D*iœcesibus longius spatium temporis ad hoc cōcedatur, vt suo loco dicetur.

4 Communio igitur, quæ in præsenti per bullam prohibetur in priuatis Oratorijs die Paschę est illa per quam satisfit dicto Ecclesiastico præcepto. quod quidem sano consilio factum est, vt saltē semel in anno oues à proprio Pastore cælesti pabulo reficiantur, & sic recognoscantur.

5 Solùm igitùr cōtrouertitur, An siquis v. g. Feria V. Cœnæ *D*omini Eucharistiā à proprio Pastore accipiat, & sic eadem die ecclesiastico præcepto satisfaciat, possit licitè, si velit, ex sola deuotione iterū virtute Cruciatæ Eucharistiam in priuato Oratorio sumere ipso die solemni Resurrectionis.

6 Negant *Trullen. l.* 1. §. 3. *d.* 7. alijque. primò quià hoc bullæ priuilegium est cōtrà Ius commune in quantùm derogat Iurisdictioni *P*arochorum in proprias *Trullen.*

prias

prias Oues, & consequenter odiosum, atquè adeò strictè erit explicandum; ac proindè dies Paschæ materialiter erit intelligendus, nempe pro ipso die Resurrectionis Domini. quod autem aliquis Ecclesiastico præcepto satisfecerit feria V. Cœnæ Domini, aut alio die, se habet per accidens. Secundò, quià Mendicantibus conceditur idem priuilegium communicandi fideles, excepto similiter die Paschæ; ex qua exceptione docēt quamplurimè DD. non posse fideles in ipso die Resurrectionis sumere Eucharistiam ab alieno Sacerdote, neque ex deuotione, vndè idem videtur dicendum in casu nostro.

Suarez. Coninb. Lud à cr. Fagund. Diana. Bardi.

7 Affirmant tamèn *Suar. tom. 3. in 3 p. D. 72. se. 3. Coninb. ibi. in q. 82. ar. 3. Lud. à Cru. D. 1. C. 5 d. 5. Fagund. in Eccl. præcep. lib. 1. C. 5. Dian. 2 p. 4. tr. 4. res. 81. Bardi tr. 2. C. 4. nu. 13.* & communitèr DD. & meritò, nam finis adæquatus, quo Sum. Pontifex excepit cōmunionem Paschalem, fuit, vt fideles saltem semèl in anno tēpore Paschali à proprio Pastore recognoscantur in Sacramētali refectione; quarè siquis semel feria V. Cœnæ Domini, aut alia die adimpleuit tale præceptum recipiendo Eucharistiam à proprio Parocho, in propria Parochia, vtiquè non ampliùs tenebitur ad id pro eodem anno, ac proinde si is ex deuotione sumat Eucharistiam ipso die Resurrectionis alibi, non apparet contrà quod nam præceptū agat.

Auctor.

8 Ad primam autèm AA. rationem in contrarium, concedo, hoc bullæ priuilegiū esse odiosum, & consequentèr strictè interpretandum, non ideo tamèn ità strictè interpretandum erit, vt aliquod sequatur inconueniens. & quidē si exceptio diei Paschę materialiter sumeretur, nempè pro ipsa die Resurrectionis Domini, sequeretur, quod fideles possent in priuatis Oratorijs satisfacere Ecclesiæ præcepto de sumenda Eucharistia, quod vtiquè esse maximum inconueniens, de se patet. probatur sequela, nā cū nemo teneatur satisfacere dicto præcepto ipsa die Resurrectionis Domini, poterit consequēter aliquo alio die in priuato Oratorio Eucharistiam sumere, vt sic Ecclesiæ pręcepto satisfaciat.

9 Ad rationem autèm alterā, negò primò assumptum, vt patebit ex Diff. sequēti. sed adhuc illo dato, nego paritatem, nam DD. qui materialiter explicant exceptionem diei Paschę appositam in priuilegijs mendicantium, fundantur in quibusdam Sacrę Congregationis declarationibus, quę adhuc non habentur pro hoc priuilegio Bullę.

10 Cōmunio igitùr, quę à Sum. Pontifice excipitur die Paschę, est Communio facienda ex Ecclesię pręcepto. quarè siquis antè diem Resurrectionis Domini satisfecerit tali pręcepto, sumendo in propria Parochia Eucharistiam, vel saltem habeat intentionem adimplendi tale pręceptum aliquo alio die infrà Octauam Paschę, antequā pręcepti tempus labatur, poterit vtiquè ipsa die Resurrectionis vbilibet Eucharistiam sumere.

DIFFICVLTAS III.

An quis possit ipso die Paschæ sumere Eucharistiam in Ecclesijs mendicantium, absquè proprij Parochi licentia?

11 AD pleniorem doctrinam, ac maiorem superioris Difficultatis satisfactionem, iuuat hic propositam difficultatẽ distinctiùs examinare, quæ quidem difficultas non procedit in ordine ad Aduenas, Vagabundos, & Peregrinos, nam huiusmodi cum careant proprio Parocho, propriaque Parochia, consequenter cessat in istis tota ratio prohibitionis, vt scilicèt semel saltem in anno fideles suum agnoscant Pastorem, & ab eodem inuicem recognoscãtur, atque adeò poterunt isti in Ecclesijs Mendicantium quocunque tempore, etiam ipso die Paschæ Eucharistiam sumere, tàm ex deuotione, quàm ex obligatione ecclesiastici præcepti.

12 Difficultas igitùr solùm procedit quoad reliquos fideles proprium Parochum habentes, An scilicèt ij possint ipso die Paschatis Eucharistiam sumere in Ecclesijs mendicantium.

13 Absolutè affirmant *Beia p. 4. cas. 4.* alijque, ex eo quià Iulius II. absolutè concesserit Fratribus minoribus facultatem ministrandi quibuscumq; personis Eucharistiam; cum igitùr in tali priuilegio nulla fiat exceptio nequè temporis, nequè personarum, consequentèr quicumque fideles, & quouis anni tempore poterunt in Ecclesijs Minorum, aliorumque cum ijs communicantium Eucharistiam sumere etiam die Paschæ pro adimplendo Ecclesiæ præcepto. Idem concessit Nicolaus V. Monasterio B. Mariæ de Guadalupe Ordinis D. Hieronymi, quàm concessionem postea Pius IV. & Pius V. extendere ad omnia eiusdem Ordinis Monasteria, & consequẽtèr ad reliquos Ordines Mendicantium cum illis communicantium. Secundùm hanc igitur opinionem quilibet fidelis pòterit in Ecclesijs Mendicantium satisfacere Ecclesiastico præcepto de annua Cõmunione, & validè, & licitè, absquè vlla prorsus pœnarum incursione. *Beia.*

14 Absolutè autèm negant *Nauar. C. 21. man. nu. 52. Sotus in 4. D. 18. q. 4. ar. 2. Rodriq. S. 5. n. 10. Azor. to. 1. l. 7. C. 41. q. 6. Herriq. li. 8. de Euch. C. 55. nu. 1.* & communitèr DD. primò quià *in c. Omnis vtriusquè sexus, de pœnit. & remiss.* decernitur, vt quilibet à proprio Parocho Eucharistiam in die Resurrectionis percipiat, ergò non ab alio, nisi de eiusdem Parochi licentia. Secundò quià Nicolaus V. & Sixtus IV. concedentes Minoribus facultatem ministrandi fidelibus sacram Eucharistiam quocunque tempore, & absque Parochorum licentia, semper addunt: *Præterquam in die Resurrectionis Domini.* *Nauarr. Sotus. Rodriq. Azorius Herriq.*

15 At *Suarez tom. 3. D. 72. se. 2. Vasquez to. 3. D. 219. n. 47. Filluc. to. 1. tr. 4. C. 9. n. 264. Nuñus 3. p. to. 1. q. 82. ar. 3. Bonac. D. 4. n. 9. Lud. à Cru. D. 1. C. 5. d. 6. n. 11.* alijque mediâ via incedunt, nempè posse fideles in Ecclesijs Mẽdicantium Eucharistiã sumere etiam die Paschatis, absque vlla *Suarez. Vasquez Filluc. Nuñus. Bonac. Lud. à cr.*

Pa-

Parochi licentia, ex deuotione tamen, nō autem animo implēdi Ecclesiæ præceptum. ac meritò, & quidē quoad primā partem patet ex dictis Difficultatis superioris à n. 7. vbi diximus, Communionem, quæ à Cruciata excipitur, esse Communionē ex Ecclesiæ præcepto faciendā; atque adeò de eadem Communionem loqui tàm Iura, quàm reliqua Breuia Apostolica, quotiès diem Paschatis excipiunt, similiter hic asserimus. ex quibus patet ad rationes incontrarium pro secunda opinione suprà allata. quarè si quis præceptum impleuit, quid vetat iterùm ex sola deuotione in Ecclesijs mendicantium, ipso die Resurrectionis Eucharistiā sumere?

Auctor.

16 Quoad secundam autèm partē dico, in priuilegijs Pontificū, quæ mendicantibus conceduntur, semper inueniri dictam exceptionem de die Paschatis, atque adeò Communio ex Ecclesiastico præcepto facienda, nequit fieri in Ecclesijs mendicātium, nisi tantùm communio ex sola deuotione; vt dictū est. Et si quando talis exceptio non inueniretur, semper tamèn intelligēda erit nisi expresè aliud in contrarium habeatur, nam per verba generalia nunquam Pontifices intendunt Parochorum Iurisdictioni derogare. Ex quo patet ad rationes pro prima opinione. Sed agè iam ad vsum aliorum Sacramentorum vi bullæ concessum accedamus.



DIFFICVLTAS IV.

Quisnam aliorum Sacramentorum vsus tempore Interdicti per Bullam concedatur, & an Nuptiales Benedictiones similiter permittantur?

17 Diximus suprà *Diff. 1.* non solùm sumptionem Eucharistiæ tēpore Interdicti prohiberi, sed etiam Collationem Sacramenti Ordinis, extremam Vnctionē, Benedictiones nuptiales, & secundùm aliquos etiā Sacramentum matrimonij. virtute autem Cruciatæ certum est, non solùm Eucharistiam licitè administrari, ac recipi posse tempore Interdicti localis, scilicèt generalis, verùm etiam reliqua omnia Sacramenta quātumùis de iure communi prohibita. expresè enim in eadem bulla id habetur his verbis: *Item* Eucharistiam, & alia Sacramēta, præterquam in die Paschatis, recipere conceditur. cum igitur absolutè, & absq; vlla exceptione concedatur Sacramentorum vsus, non est, cur de aliquo Sacramento fiat à nobis exceptio.

18 Dubitari solùm potest, An virtute Cruciatæ similitèr tempore Interdicti Nuptiales Benedictiones permittantur. Et quidem ratio dubitādi pro parte negatiua est, quia dictæ benedictiones nō veniunt sub nomine Sacramēti, vt patet, atquè adeò quamùis per Cruciatam absolutè permittatur omnium Sacramentorum vsus (vt dictū est) non indè tamen sequitur, permitti etiam vsum nuptialiū Benedictionum.

19 Conueniunt tamen DD. virtute

tute bullæ Cruciatæ etiam dictæ nuptiales benedictiones permitti. & meritò, nam dictæ benedictiones veniunt sub nomine Diuinorum Officiorum; fiunt enim nomine Ecclesiæ, seu à Clericis vt Ecclesiæ publicis ministris: cum igitur per bullam concedantur Diuina Officia, cõcessæ etiam & dictæ benedictiones tunc similiter intelliguntur; & hoc nõ solùm in Eccesijs, verùm etiam in priuatis Oratoriis, ex eò quia eadem bulla quoad hoc indifferenter loquatur de Ecclesia, & Oratorio.

20 Solùm igitur videndum restat, sub quibusnam conditionibus, seu limitationibus dictus Sacramentorum vsus tempore interdicti virtute bullæ Cruciatæ concedatur.

DIFFICVLTAS V.

Sub quibus Conditionibus, & limitationibus conceditur vi bullæ Sacramentorum vsus tẽpore Interdicti?

21 COnueniunt DD. dictũ Sacramẽtorũ vsum vi Cruciatæ cõcedi sub ijsdem prorsus cõditionibus, & limitationibus, sub quibus suprà dictum est, cõcedi ab eadem Cruciata Diuinorum Officiorum celebrationẽ, tàm ex parte personæ, quàm ex parte loci. Et quidem ex parte personæ requiritur primò, vt non sit personaliter interdicta, nequè excommunicata, neque vllo alio Canonico impedimento affecta. Secundò vt non dederit caussã interdicto. Et Tertiò vt per ipsam non stet, quin Interdictum tollatur, prout supra Q. 1. declaratum est. Ex parte autèm loci requiritur primò, vt neq; sit specialiter interdictus. Secundò, si erit Oratoriũ, debet esse necessariò, ab Ordinario loci designatum, & approbatum.

22 Dubitatur solùm, An qui Eucharistiam sumit in Oratorio, teneatur similiter orare, eo modo quo suprà diximus teneri eũ qui in ipso Oratorio celebrat, seu missam audit, aut alias sacras functiones ibidem peragit virtute bullæ eodem tempore interdicti.

23 Ratio autèm dubitandi pro parte negatiua est, quia post impositum onus orãdi pro supradictis functionibus peragendis, Sum. Pontifex concedit Eucharistiæ vsum, atquè adeò sumentes Eucharistiam in Oratorio vi bullæ, non videntur obligati ad illam orationem fundẽdam.

24 Affirmat tamen *Bardi tr. 2. C. 4. n. 7.* Et meritò, nam quamuis Pontifex priùs imponat onus orandi pro Diuinis Officijs celebrandis, & deinde loquatur de Eucharistiæ sumptione, attamẽ quia dicta Eucharistię sumptio cõceditur sub particula illa, *Itẽ* quę de natura sua est continuatiua, & repetitiua præcedẽtium qualitatũ, & conditionũ, consequenter dictus Eucharistiæ vsus in priuato Oratorio tempore interdicti intelligitur cõcessus sub ijsdem conditionibus, sub quibus concessa fuerant supradicta priuilegia pro Diuinis Officijs celebrandis. *Bardi. Auctor.*

DIFFICVLTAS VI.

An virtute Bullæ Cruciatæ possit Eucharistia à quolibet Sacerdote sumi absquè proprij Parochi licentia?

25 DIfficultas hæc non procedit de sacra Cõmunione quam

quã ex Ecclesiæ præcepto omnes fideles tempore Paschali facere tenentur, sed solùm de alijs sacris Cõmunionibus, quæ ex mera deuotione fiunt. quę quidem Difficultas oritur ex eo quia de Iure cõmuni nequeunt laici à quolibet sacerdote Eucharistiam accipere, sed solùm à proprio Parocho, cuius est suarum Ouium pro tanto cibo recognoscere dispositionem, vel ab alio ex eiusdem tamen Parochi commissione, vt communiter notant DD. ex *Conc. Carthag. 1. c. 7. & Conc. Mileuit. c. 18. & ex C. Omnis vtriusque sexus, de Pœn. & remiss.* idemque dicendũ erit de Sacerdotibus, si velint extrà missæ sacrificium, more laicorum Eucharistiam sumere.

26 Quęrimus ergò, hic, An saltẽ virtute bullę Cruciatę concedatur libera facultas suscipiendi sacram Eucharistiam à quolibet Sacerdote, absquè proprij Parochi licentia?

Vasquez. *Diana.* 27 Affirmant *Vasquez to. 3. in 3. p. D. 279 C. 5. n. 47. & Diana p. 1. tr. 11. ref. 20.* quorum ratio est, quia absolutè, & absquè vlla limitatione conceditur sumentibus bullam facultas recipiendi Eucharistiam, & alia Sacramenta etiam tẽpore interdicti, pręterquam in die Paschatis. Cum igitùr dicta facultas non restringatur ad proprium Parochum, consequenter poterit virtute Cruciatæ Eucharistia recipi à quolibet Sacerdote, & quocũque tempore, excepto tamen die Paschatis.

Suarez. Nuñus. Rodriq. Herriq. Trullen. Lugo. Auila. Bardi. 28 Negant tamèn *Suarez to. 3. in 3. p. D. 27 se. 2 Nuñus ibi. q. 82. ar. 3. Rodriq. in add. §. 5. n. 9. Herriq. l. 7. C. 13. n. 4. Trullen. l. 1. §. 7. d. 8. n. 4. Lugo de Euch. D. 18 se. 2. Auila de cons. p. 5. D. 4. se. 1. d. 8. Bardi p. 2. tr. 2. C. 6. n. 40.* & communiter DD. & meritò, nam facultas *Auctor.* per bullam absolutè cõcessa recipiendi Eucharistiam, & reliqua Sacramenta pro quocunque tempore etiam interdicti, non se extendit ad quemcũque ministrum: patet, nam alioqui sumens bullam pro suo libito posset non solùm à quocunque Sacerdote Eucharistiam recipere absquè proprij Parochi licentia, sed etiam reliqua omnia alia Sacramenta, atque adeò vi bullæ posset recipere à quocunque Sacerdote Extremam Vnctionem: à quocunque Episcopo Sacramentum Ordinis, & Confirmationis: coram quocunque Parocho celebrare matrimonium: ac demùm (quod maius absurdum est) posset à quolibet simplici Sacerdote sacramentaliter absolui, & per consequens frustra apponeretur in eadem bulla priuilegium eligendi sibi Confessarium approbatum &c. Quæ omnia esse valdè absurda, de se patent.

29 Sequela autẽ nostri absumpti probatur: nam sub eodem tenore, imò sub ijsdem formalissimis verbis absolutè & absque vlla limitatione conceditur virtute bullæ liber vsus Eucharistiæ, & reliquorum Sacramentorum, ergò non est maior ratio, cur per bullam detur libertas quoad ministrum Eucharistiæ, non autem quoad ministros aliorũ Sacramentorum. frustrà igitùr conatur *Vasquez* excipere ministros illorum Sacramentorum, quæ vsum Pontificalium requirunt, nam cum vna, & eadem sit ratio de omnibus Sacramentis, non habet vndè aliquos ministros Sacramentorum excipiat, aliquos verò non.

Facultas

30 Facultas ergò recipiendi sacramenta virtute bullæ est tantùm pro substantia, ac temporis circumstantia, non autèm pro ministris, atque adeò omnia sacramenta, etiam tempore interdicti, administranda sunt ab illis, quibus extrà interdictum competit de Iure illa administrare, nisi quoad hoc fiat mentio specialis. quod sanè fit, vt cuiuscunque iurisdictio seruetur illæsa. Ex quibus patet ad rationem AA. in contrarium; & ratio à priori est quia Pontifex numquam per generales concessiones intendit derogare Iurisdictioni Tertij, & in præsenti casu, Parochorum, nisi expressis verbis derogetur.

QVÆSTIO III.

De Sacra Sepultura, quæ vì Bullæ tempore Interdicti conceditur.

TEmpore interdicti nō solùm Diuina Officia, & aliquorum Sacramentorum vsus (vt dictū est) prohibentur, verùm etiam sacra, seu ecclesiastica sepultura, quæ An, & quomodo virtute Cruciatę tunc etiam temporis concedatur, in pręsenti Quęstione dicendum erit.

DIFFICVLTAS I.

An, & in quo Interdicto conceditur virtute Bullæ sepeliri in loco sacro?

1 VLtimus effectus Interdicti integri est priuare cadauera sepultura sacra, seu Ecclesiastica, (non tamen non sacra, seu non Ecclesiastica) vt constat ex *c. Quod in te ci.* Verū tamen est, quod si semel sepeliatur interdictus in loco sacro, nō erit ampliùs exhumandus. è contrà verò, siquis ob interdictum sepultus sit in loco non sacro ablato interdicto erit exhumendus, & in loco sacro sepeliendus.

2 Virtute autem Cruciatę, non obstante interdicto, certum est, posse omnes illā sumentes sepeliri in loco sacro, dummodo excommunicati non discesserint: sic apertè habetur in §. XI. eiusdem bullę his verbis: *Item mortuorum corpora, nisi fortè vinculo excommunicationis innodati decesserint, cum moderata funerali pompa sepeliri conceditur.* quod quidem priuilegium valere pro tempore interdicti generalis, nulla est Difficultas, eo modo quo suprà dictum est circa priuilegium pro Diuinis celebrandis, vel illis assistendi vsumque Sacramentorum.

3 Ex quo probabiliter satis dicēdum videtur, huiusmodi priuilegium valere etiam pro tempore interdicti specialis si generali ęquiualeat, quando scilicèt in aliqua Ciuitate reperirentur omnes Ecclesię specialiter interdictę, cum omnibus eorum Cœmeterijs: vt si in aliquo Oppido sit vna tantùm Ecclesia, & hęc interdicto particulari subijciatur, vtiquè in vtroque casu videtur hoc Cruciatę priuilegium fauere posse in ordine ad sepulturam; ex eo quià tunc vtrumque interdictum respectù vtriusque loci dici possit absolutè generale, vel generali, ęquiualens vt dictum est. An verò

rò hoc priuilegium valeat etiã pro Interdicto absolutè speciali Diff. sequenti dicetur.

DIFFICVLTAS II.

An sumens Bullam Cruciatæ possit sepeliri etiam in loco specialiter interdicto?

Trullen. Auila. 4 AFfirmant absolutè *Trull. l. 1. §. 1. d. 10. Auila de Cens. p. 5. D. 4. se. 3. d.* 2. nonnullique alij recentiores. quorum ratio est, quia in eadem bulla absolutè, & absq; vlla limitatione dicitur: *Vt mortuorum corpora sepeliri possint* (durante scilicèt interdicto) *cum moderata pompa &c.* atque adeò præsens priuilegium absolutè valebit, tam scilicet pro interdicto generali, quàm pro interdicto speciali, seu particulari.

Couarr. Sylues. Herriq. Angel. 5 At *Couarr. in C. Alma mater p. 2. §. 2. Sylues. V. Interd. 5. n. 10. Herriq. l. 13. C. 44. n. 4. Angel. V. Interd. 6. n. 32.* & alij volunt, solos Clericos eiusdem Ecclesiæ specialiter interdictæ, posse in eadem ecclesia sepeliri, non autem reliquos, nisi fuerit alia ecclesia similiter interdicta, in quo casu concedunt, posse Clericos etiam alterius Ecclesiæ in ea sepeliri.

Suarez. Portell. Præpos. Baunij. Bardi. Auctor. 6 Absolutè autem negant *Suar. de Cens. D 35. se. 2. n. 49. Portell. in dub. reg. V. interd. n. 34. Præpos. de interd. q. 4. n. 40. Baunij de Cens. D. 8. q. 16. Bardi p. 2. tr. 2. C. 5. n. 32.* alijque, & meritò, nam, vt suprà diximus Q. 1. n. 10. hæc Cruciatæ priuilegia valent pro solo interdicto generali, atque adeo virtute huius priuilegij sumens bullam nequit per se loquendo, sepeliri in loco specialiter interdicto.

7 Dixi *per se loquẽdo*, ex eo quia per accidens, quando scilicèt interdictum particulare æquiualet generali, (prout supra n. 3. dictum est) vtiquè tunc sumens bullam poterit sepeliri in loco specialiter interdicto, si scilicèt omnes ecclesiæ essent specialiter interdictæ, vel si vnica tantùm esset in aliquo Oppido ecclesia, & hæc fuerit specialiter interdicta, & sic hoc bullæ priuilegium semper suum obtineret effectum. & idem dico de Clericis tàm virtute Cruciatæ, quàm vi Iuris communis.

8 Ad rationem autèm in contrarium pro prima sententia dico, satis esse, talem limitationẽ appositam fuisse initio huius indulti, quod pro tempore interdicti vi bullæ conceditur; in cuius initio, dum conceditur facultas celebrandi Diuina Officia tempore interdicti (quæ est prima pars præsentis indulti) apertè ponitur hæc limitatio: *Vt possint in Ecclesiis, in quibus aliàs Diuina Officia, interdicto durante, permissum sit Diuina celebrari &c.* quæ quidem conditio satis ostendit, Sum. Pontificem loqui de interdicto generali: sub quo tenore conceditur tàm Sacramẽtorum vsus, quàm ecclesiastica sepultura vi bullæ tempore interdicti, ergò pro solo interdicto generali conceditur vi bullæ, tàm Sacramentorũ vsus quàm ecclesiastica sepultura, eo prorsus modo, quo Diuinorum Officiorum celebrationem vi bullæ concedi, suprà Q. 1. n. 10. ostendimus. altera conditio, seu limitatio, sub qua conceditur vi bullæ ecclesiastica sepultũra tempore interdicti, est moderata pompa, pro qua sit.

DIF-

DIFFICVLTAS III.

Quid, & quotuplex sit Pompa funeralis?

9 VIrtute Bullæ, quamuis cōcedatur tempore Interdicti (vt dictum est) sacra sepultura etiam cum pompa, additur tamen in eadem *Bulla*, dictam pompam debere esse moderatam. *Videndum* igitur hic erit, in quibusnam huiusmodi pompa consistat, & quomodò moderanda.

10 *Et* quidem pompa funeralis dicitur omnis illas solemnitas, quę in honorem defuncti fieri solet; sicuti pompa natalis dicitur omnis illa solemnitas, quę in honorem alicuius Natiuitatis, pręsertim priscis temporibus, fieri solebat.

11 *Diuiditur* autem communiter dicta pōpa funeralis in Politicam, & Ecclesiasticam. *Politica* autem, seu Humana (quā communem habemus etiam cū Ethnicis) consistit tàm in apparatu, & solemnitate, quę intrà domesticos parietes fieri solet pro funere alicuius, quàm in comitatu familiarium, consanguineorum, magistratuum, & similium associantium cadauer Defuncti.

12 Pompa verò funeralis *Ecclesiastica*, quę tantùm per Interdictum prohibetur, & virtute Cruciatę hic tempore Interdicti tantùm pręcipitur moderanda, consistit in comitatu *Ecclesiasticorum*, in luminibus, quę ab eisdem *Ecclesiasticis* cadauer comitātibus deferuntur, in musica, cantuque, & demùm in campanarum pulsatione in mestitię signo. Videndum ergò est, quidnam in his moderandū sit tempore Interdicti. pro quo sit.

DIFFICVLTAS IV.

Quomodo moderanda sit Pompa funeralis tempore Interdicti?

13 COnueniunt *DD.* circa pōpam funeralem politicā nihil vsq; adhuc in iure prohiberi, & consequēter neque aliquid circa eandem esse virtute bullę moderandum. Tota igitur Difficultas remanet circa pompam funeralem *Ecclesiasticam*, circa quam.

14 *Cordub.q.43.d.5.de Ind. Rodr. §.5.n.13. Acosta q.27. & Herriq. l.7.C.13.* putant posse ter pulsari campanas, si defunctus fuerit vir, bis verò si fuerit fœmina: Clericos autem, aliosque religiosos deferētes cadauer, posse cantare, quę in Ordinario pręscribuntur pro deferendo, & sepeliēdo defuncto, ex eo quia testentur, ita statutum fuisse à Leone X. in bulla Cruciatę cōtrà Africam An. *Domini* 1516. *Cordub.* *Rodriq.* *Acosta* *Herriq.*

15 At *Villalo.tr.27.clauſ.5 Trullen.l.1.§.3.d.10.Lud.à cruc. D.1. C.5.d.7.Bardi p.2.tr.2.c.5. n.24* alijque volunt, in hoc spectandam esse tàm loci consuetudinem, quàm personarum qualitatem, itaut medietas consuetę pompę funeralis, habito respectu, tum loci, tum personę, habeatur pro moderata pompa, & per bullam permissa. ac meritò, ita enim declaratum fuit à Iulio III. in bulla contra infideles an. *Domini* 1552. & à Pio V. an. 1564. & 1565. vt videre est apud *DD.* ci. *Auctor.*

16 Quià verò non potest facilè deter-

determinari, quænam pompa conueniat tali determinatæ personæ in indiuiduo, vt indè possit certò dimidiari, ideò communiter DD. hoc in particulari determinandũ, iudicio Ordinarij iurè remittunt, cuius est declarare, quæ tàm à Canonibus: quàm à Sum. Pontificibus non adeò clarè statuuntur circa Diuiuum cultum, & in absentia Ordinariorum, Curati.

17 Conueniunt similiter DD. sepulturam, quæ in loco sacro vi bullæ conceditur tempore Interdicti posse fieri ianuis ecclesiæ apertis. Et meritò, nàm cum solemnitas ista, quamuis moderata, publicè fieri concedatur vtiquè si ianuis clausis fieret, occulta esset, non publica, atque adeò neque Ecclesiastici cadauer deferentes, possent per viam cantare psalmos consuetos, nam hoc est maior publicitas; quàm sepelire defunctum ianuis apertis.

18 Demum conueniunt DD. vi Cruciatæ non posse celebrari funus cum Missa ianuis apertis. & meritò, nam nomine pompæ funeralis non veniunt Diuina Officia, & multò minus missæ sacrificium; inter Diuina Officia præcipuum. quarè finita sepultura cum dicta pompa, claudenda erit Ecclesia, & exclusis ex illa personis non priuilegiatis, poterit summissa voce sacrũ fieri, pro anima defuncti.

19 Est tamen hic aduertendum, *Herriquum* ci. docere, posse tunc de Ordinarij licentia Missam pro anima defuncti celebrari ianuis apertis: Sed immeritò quidem, nam effectus Interdicti sunt à Sum. Pontificibus, ac proinde nequeunt auferri ab inferiore Prælato, vt est Episcopus.

DIFFICVLTAS V.

An priuilegium, quo conceditur per Bullam sacra sepultura, differat à priuilegio assistendi Diuinis Officijs per eandem Bullã concesso?

20 NEgant *S. Anton p. 3. tit. 26 C. 4. §. 1. Syluest. V. Interd. 5. q. 10. Nauar. C. 27. sum. n. 181. Herriq. l. 13. C. 44. n. 5. Lud. à cru. D. 1. C. 7. d. 7. & alij.* Primò quia ecclesiastica sepultura ideò tẽpore Interdicti prohibetur, quatenùs habet annexum Diuinum Officium, ergò eo ipso, quod per bullam permittitur Diuinum Officium, permissa censetur consequenter, & ipsa ecclesiastica sepulturã. Secundò quia eo ipso, quod permittitur communicatio cũ aliquo viuente, cum eodem iam mortuo licebit etiam communicare, *ex c. A nobis, 2 de sent. excom.* Siquis igitùr viuens per bullam ad diuina Officia admittitur, & per consequens cum illo sic cõmunicamus, necessariò sequitur, licere cum eodem communicare post mortem, quod est eidem concedere ecclesiasticã sepulturam. S. Anton. Siluest. Nauar. Herriq. Lud. à cr.

21 Affirmant tamèn *Couarr. in c. Alma mater, p. 2. §. 5. Suar. de Cẽs. D. 38. se. 1. Prapos. de Interd. q. 4. d. 2. Coninb. de Sacram. D. 17. d. 2. Hurtad. de Interd. d. 9. Bardi p. 2. tr. 2. c. 5. nu 4.* alijque & meritò, nam priuatio Diuinorum Officiorum, Sacramentorum, & sacræ sepulturæ, enumerantur in iure, vt tres distinctæ pœnæ interdicti, vt patet *ex c. Episcoporum 9 de priuilegijs, & ex cap. si* Couarr. Suarez. Prapos. Coninch. Hurtad. Bardi. Auctor.

Ciuitas, *de sent. excom. in 6.* ergò tribus distinctis priuilegijs relaxari debent, atquè adeò priuilegium, quo conceditur assistere Diuinis Officijs, erit priuilegium distinctum ab illo, quo conceditur ecclesiastica sepultura, prout de facto in eadem bulla distinctè conceditur tempore Interdicti, primò assistentia Diuinis Officijs, secundò vsus sacramentorum, & Tertiò ecclesiastica sepultura; quæ quidem vltima concessio, si in prima contineretur, frustrà distinctè apponeretur. Dicere autèm hoc fieri claritatis gratia, gratis satis asseritur, vt infrà meliùs patebit.

22 Confirmatur, quia per cessationem à Diuinis prohibentur Diuina Officia; non autem ecclesiastica sepultura, *c. Non est vobis, 11. de sponsali.* item in *c. Quod in te, de pœniten. & remiss.* conceditur Clericis Ecclesiastica sepultura, non obstante interdicto; & tamen non conceditur Diuinum Officium. è contrà *in c. Cum, & plantare*, *§. quod si, de priuil.* conceditur aliquibus Hospitalarijs Diuinum Officium, & tamen negatur eisdem ecclesiastica sepultura; quarè cum hæc duo clarè in iure separentur, concesso vno, non proinde intelligitur concessum alterum, & consequenter priuilegium, quo tollitur vnum, differt à priuilegio, quo tollitur aliud.

23 Ad primam autèm AA. rationem nego, ecclesiasticam sepulturam prohiberi per accidens, quatenus scilicet habet annexum Diuinum Officium, sed assero per se, & rationè sui prohiberi, quatenùs scilicet locus sacer est, ne scilicet interdictus participet de loco sacro, sicuti similiter priuatur participatione aliarum sacrarum rerum.

24 Ad secundam autèm rationem dico, Axioma illud, quod eo ipso, quod permittitur communicatio cum aliquo viuente; cum eodem iam mortuo liceat communicare, intelligendum esse in eodem genere communicationis, non autèm in diuerso. quarè siquis tempore Interdicti poterit assistere Diuinis Officijs, poterit etiam mortuus esse præsens, dum diuina Officia, eiusque exequiæ celebrantur, quibus tamen completis, erit extrà locum sacrum sepeliendus, sepultura .n. est quid diuersum ab illis, vt dictum est.

DIFFICVLTAS IV.

An Cruciatæ priuilegium de ecclesiastica sepultura tempore Interdicti prosit etiam Clericis?

25 Ratio dubitandi pro parte negatiua est, quia Clerici, etiam primæ tonsuræ, independenter ab hoc Cruciatæ priuilegio, possunt virtute solius iuris communis sepeliri in loco sacro etiam tempore Interdicti, vt constat *ex c. Quod in te, 11. de Pœniten. & remiss.* ac proinde hoc Cruciatæ priuilegium videtur, nihil prodesse Clericis quoad sacram sepulturam.

26 Affirmat tamen *Bardi pa. 2. tr. 2. C. 5. n. 16.* & meritò, nam quamùis de iure communi possint Clerici sepeliri in loco sacro etiam tempore Interdicti (vt dictum est.) nequeunt tamen tunc sepeliri cum pompa funerali, & expressè

statuitur

tuitur in eodem *C. Quod in te, ci.* (nisi in illis quatuor solemnioribus festiuitatibus exceptus in *C. Alma mater*, in quibus solis addi etiã potest Diuinum Officium solemne pro illorum sepultura) virtute autem Cruciatæ poterunt Clerici semper, & absolutè sepeliri cum pompa funerali, quamùis moderata, iuxtà suprà dicta *n.* 15. atquè adeo hoc Cruciatæ priuilegium prodest etiam Clericis, non quidẽ quoad substantiam sacræ sepulturę cum hanc habeant de Iure communi, independenter à Cruciata, (ut dictum est) sed quoad dictę sepulturę circumstantiam, nempe in ordine ad solitam sepeliendi solemnitatẽ.

27 Dices in *C. Quod in te ci.* solùm conceditur Clericis tempore interdicti sepeliri in Cœmeterio, non autèm in ecclesijs; virtute autem Cruciatę conceditur sepultura etiam in ecclesijs, ergo bulla Cruciatę prodest Clericis non solùm quoad circumstantiam sepulturę, sed etiã quoad substantiam. Dicere autem, quod ecclesia veniat sub nomine Cœmeterij, est apertè falsum, cum magis principale nequeat venire sub nomine accessorij, & minus principalis.

28 Respondeo cum communi DD. consensu, quod tempore primitiuę ecclesię, sub nomine Cœmeterij in ordine ad sepulturam, comprehendebatur omnis locus sacer ad sepeliendos fideles destinatus; atq; adeo, idem fuit in *C. Quod in te ci.* dicere in Cœmiterio, ac postea tempore cõcessionis huius priuilegij Cruciatę dicere in *Ecclesijs*. Et ratio est, quia vt apertè colligitur ex Cõcilijs, & Historijs in primitiua ecclesia acritèr prohibebãtur fideles sepeliri in ecclesijs, & sic in solis Cœmiterijs sepeliebantur, ac proinde sub nomine Cœmeterij tunc absolutè veniebat omnis prorsus locus sacer pro sepultura fidelium destinatus.

29 Progressu verò temporis honor sepeliendi in ecclesijs cepit primò deferri Imperatoribus, & Episcopis, deinde alijs illustribus viris, & demùm omnibus fidelibus baptizatis, atque adeò prohibitiones illę sepeliendi in ecclesijs in desuetudinem abierũt, quarè licèt absolutè loquẽdo, nequeat ecclesia venire sub nomine Cœmeterij spectata vi nominis, spectato tamèn ritu sepeliendi priscis illis temporibus, ac postea, idem prorsus ex vì significationis, & veluti formaliter in ordine ad sepulturam, significabat tunc Cœmeterium, ac nunc ecclesia, & per consequens hoc Cruciatę priuilegium nihil prodest Clericis quoad substantiam sacrę sepulturę tempore interdicti, sed solùm quoad circũstantiam, prout dictum est.

DIFFICVLTAS VII.

An siquis tempore Interdicti sumeret Bullam pro Defũcto, poterit is in loco sacro sepeliri?

30 Affirmat *Herriq. l. 7. de Indul. C. 20.* cuius ratio est, quia dum quis pro mortuo accipit bullam, quamùis verè non sit formalis acceptio ex parte Defuncti, erit tamèn virtualis acceptio, seu implicita respectù eiusdẽ Defuncti, quatenùs Defunctus censetur voluisse ante mortem omnia remedia ad salutẽ, & consequentèr implicitè *Herriq.*

etaim bullam, vt sic loco sacro frueretur.

Rodriq. *Villalob.* *Trullen.* *Bardi.*

31 Negant tamèn *Rodriq. in Add. §.5.n.32. Villalob. to.1.tr.27.clauf.5.n.7. Trullen.l.1.§.3.d.10.n.1. Bardi p.2.tr.2.C.5.n.9.* & communiter Recentiores. Et meritò, nam priuilegium sepeliendi in loco sacro tempore interdicti apertè conceditur viuentibus, post tamen illorum mortē habiturum effectum, vnde in sola viuorum bulla apponitur: atque adeò nisi quis viuens sumat bullam, vel viuenti applicetur ab alio, nihil post mortem quoad hoc proderit.

32 Confirmatur primò, nam si Sum. Pontifex voluisset etiam Defunctis in hoc suffragari, vtiquè in bulla Defunctorum huiusmodi priuilegiū apposuisset. Confirmatur secundò, quia omninò gratis asseritur ab *Herriq.* oppositum, & acceptio illa virtualis est omninò conficta: teneretur enim probare, bullam cōcessam pro viuis, prodesse etiā mortuis, non obstante, quod talis bulla sumatur post mortem illius cui sumitur, & applicatur. Atque hęc de priuilegijs pro tēpore interdicti virtute Cruciatæ concessis, sufficiant.



DISPV-

DISPVTATIO TERTIA

DE PRIVILEGIIS CIRCA CIBOS PROHIBITOS, QVÆ VIRTVTE CRVCIATÆ CONCEDVNTVR.

In §. XII. concedit Sum. Pontifex facultatem comedendi aliquos cibos prohibitos de Iure communi. Videndum igitur est in præsenti Disputatione quomodo, & quibus dictum priuilegium concedatur.

QVÆSTIO I.

De Priuilegio comedendi carnes diebus prohibitis.

DIFFICVLTAS I.

Quidnam per Cruciatam concedatur suprà Ius commune, circa carnium comestionem?

Ricciu. 1 
Riccius in Add. ad §.6.n.2. docet, nihil supra Ius commune per Cruciatam nobis cōcedi circa carnium comestionē, sed appositam expressè fuisse à Sum. Pontifice hanc concessionem, ad tollendos solùm scrupulos, si forte in timoratis cōscientijs aliquando orirentur circa carnium comestionem vetitis diebus. Cuius ratio est, quia etiā absque bulla vnusquisque potest ex medici consilio vesci carnibus tuta consciential etiam tempore Quadragesimali.

2 Sed contrà est, nam iuxtà hanc opinionem nihil Sum. Pontifex per hoc priuilegium concederet, cum absque vlla bulla satis superque quiescit quælibet etiā timoratissima conscientia habito cōsilio vtriusque medici corporalis scilicèt, & spiritualis pro edenda carne, & per cōsequens præsens Cruciatę priuilegium omninò inutile redderetur; quod non est dicendum.

3 Conueniunt igitùr reliqui cōmuniter DD. per Cruciatam hic aliquid suprà Ius commune cōcedi, discrepant tamen in assignando, quidnam sit hoc, quod suprà Ius cōmune virtute Cruciatę conceditur.

4 Et quidem *Rodriq.§.6.n.1.* putat esse satisfactionem illam, quę per ieiunium haberetur, si de facto dispensatus ad carnes ieiunaret (supponit enim dispensatum ad carnes, non teneri ad ieiunium) contrà tamē est, primò quia talis satisfactio absque vllo fundamento confingitur à Rodriq. *Rodri-*

30 Facultas ergò recipiendi sacramenta virtute bullæ est tantùm pro substantia, ac temporis circumstantia, non autèm pro ministris, atque adeò omnia sacramenta, etiam tempore interdicti, administranda sunt ab illis, quibus extrà interdictum competit de Iure illa administrare, nisi quoad hoc fiat mentio specialis. quod sanè fit, vt cuiuscunque iurisdictio seruetur illæsa. Ex quibus patet ad rationem AA. in contrarium; & ratio à priori est quia Pontifex numquam per generales concessiones intendit derogare Iurisdictioni Tertij, & in præsenti casu, Parochorum, nisi expressis verbis derogetur.

QVÆSTIO III.

De Sacra Sepultura, quæ vì Bullæ tempore Interdicti conceditur.

TEmpore interdicti nō solùm Diuina Officia, & aliquorum Sacramentorum vsus (vt dictū est) prohibentur, verùm etiam sacra, seu ecclesiastica sepultura, quæ An, & quomodo virtute Cruciatę tunc etiam temporis concedatur, in pręsenti Quęstione dicendum erit.

DIFFICVLTAS I.

An, & in quo Interdicto conceditur virtute Bullæ sepeliri in loco sacro?

1 VLtimus effectus Interdicti integri est priuare cadauera sepultura sacra, seu Ecclesiastica, (non tamen non sacra, seu non Ecclesiastica) vt constat ex *c. Quod in te ci.* Verū tamen est, quod si semel sepeliatur interdictus in loco sacro, nō erit ampliùs exhumandus. è contrà verò, siquis ob interdictum sepultus sit in loco non sacro ablato interdicto erit exhumendus, & in loco sacro sepeliendus.

2 Virtute autem Cruciatę, non obstante interdicto, certum est, posse omnes illā sumentes sepeliri in loco sacro, dummodo excommunicati non discesserint: sic apertè habetur in §. XI. eiusdem bullę his verbis: *Item mortuorum corpora, nisi fortè vinculo excommunicationis innodati decesserint, cum moderata funerali pompa sepeliri conceditur.* quod quidem priuilegium valere pro tempore interdicti generalis, nulla est Difficultas, eo modo quo suprà dictum est circa priuilegium pro Diuinis celebrandis, vel illis assistendi, vsumque Sacramentorum.

3 Ex quo probabiliter satis dicēdum videtur, huiusmodi priuilegium valere etiam pro tempore interdicti specialis si generali ęquiualeat, quando scilicèt in aliqua Ciuitate reperirentur omnes Ecclesię specialiter interdictę, cum omnibus eorum Cœmeterijs: vt si in aliquo Oppido sit vna tantùm Ecclesia, & hęc interdicto particulari subijciatur, vtiquè in vtroque casu videtur hoc Cruciatę priuilegium fauere posse in ordine ad sepulturam; ex eo quià tunc vtrumque interdictum respectù vtriusque loci dici possit absolutè generale, vel generali, ęquiualens vt dictum est. An verò

rò hoc priuilegium valeat etiã pro Interdicto abſolutè ſpeciali Diff. ſequenti dicetur.

DIFFICVLTAS II.

An ſumens Bullam Cruciatæ poſſit ſepeliri etiam in loco ſpecialiter interdicto?

Trullen. Auila. 4 AFfirmant abſolutè *Trull. l. 1. §. 1. d. 10. Auila de Cenſ. p. 5. D. 4. ſe. 3. d.* 2. nonnullique alij recentiores. quorum ratio eſt, quia in eadem bulla abſolutè, & abſq; vlla limitatione dicitur: *Vt mortuorum corpora ſepeliri poſſint* (durante ſcilicèt interdicto) *cum moderata pompa &c.* atque adeò præſens priuilegium abſolutè valebit, tam ſcilicet pro interdicto generali, quàm pro interdicto ſpeciali, ſeu particulari.

Couarr. Silueſ. Herriq. Angel. 5 At *Couarr. in C. Alma mater p. 2. §. 2. Sylueſ. V. Interd. 5. n. 10. Herriq. l. 13. C. 44. n. 4. Angel. V. Interd. 6. n.* 32. & alij volunt, ſolos Clericos eiuſdem Eccleſiæ ſpecialiter interdictæ, poſſe in eadem eccleſia ſepeliri, non autem reliquos, niſi fuerit alia eccleſia ſimiliter interdicta, in quo caſu concedunt, poſſe Clericos etiam alterius Eccleſiæ in ea ſepeliri.

Suarez. Portell. Prapoſ. Baunij. Bardi. Auctor. 6 Abſolutè autem negant *Suar. de Cenſ. D. 35. ſe. 2. n. 49. Portell. in dub. reg. V. interd. n. 34. Prapoſ. de interd. q. 4. n. 40. Baunij de Cenſ. D. 8. q. 16. Bardi p. 2. tr. 2. C. 5. n.* 32. alijque, & meritò, nam, vt ſuprà diximus Q. 1. n. 10. hæc Cruciatæ priuilegia valent pro ſolo interdicto generali, atque adeo virtute huius priuilegij ſumens bullam nequit per ſe loquendo, ſepeliri in loco ſpecialiter interdicto.

7 Dixi *per ſe loquẽdo*, ex eo quia per accidens, quando ſcilicèt interdictum particulare æquiualet generali, (prout ſupra n. 3. dictum eſt) vtiquè tunc ſumens bullam poterit ſepeliri in loco ſpecialiter interdicto, ſi ſcilicèt omnes eccleſiæ eſſent ſpecialiter interdictæ, vel ſi vnica tantùm eſſet in aliquo Oppido eccleſia, & hæc fuerit ſpecialiter interdicta, & ſic hoc bullæ priuilegium ſemper ſuum obtineret effectum. & idem dico de Clericis tàm virtute Cruciatæ, quàm vi Iuris communis.

8 Ad rationem autèm in contrarium pro prima ſententia dico, ſatis eſſe, talem limitationẽ appoſitam fuiſſe initio huius indulti, quod pro tempore interdicti vi bullæ conceditur; in cuius initio, dum conceditur facultas celebrandi Diuina Officia tempore interdicti (quæ eſt prima pars præſentis indulti) apertè ponitur hæc limitatio: *Vt poſſint in Eccleſijs, in quibus aliàs Diuina Officia, interdicto durante, permiſſum ſit Diuina celebrari &c.* quæ quidem conditio ſatis oſtendit, Sum. Pontificem loqui de interdicto generali: ſub quo tenore conceditur tàm Sacramẽtorum vſus, quàm eccleſiaſtica ſepultura vi bullæ tempore interdicti, ergò pro ſolo interdicto generali conceditur vi bullæ, tàm Sacramentorũ vſus quàm eccleſiaſtica ſepultura, eo prorſus modo, quo Diuinorum Officiorum celebrationem vi bullæ concedi, ſuprà Q. 1. n. 10. oſtendimus. altera conditio, ſeu limitatio, ſub qua conceditur vi bullæ eccleſiaſtica ſepultũra tempore interdicti, eſt moderata pompa, pro qua ſit.

DIF-

DIFFICVLTAS III.

Quid, & quotuplex sit Pompa funeralis?

9 VIrtute Bullæ, quamuis cõcedatur tempore Interdicti (vt dictum est) sacra sepultura etiam cum pompa, additur tamen in eadem Bulla, dictam pompam debere esse moderatam. Videndum igitur hic erit, in quibusnam huiusmodi pompa consistat, & quomodò moderanda.

10 Et quidem pompa funeralis dicitur omnis illas solemnitas, quę in honorem defuncti fieri solet; sicuti pompa natalis dicitur omnis illa solemnitas, quę in honorem alicuius Natiuitatis, pręsertim priscis temporibus, fieri solebat.

11 Diuiditur autem communiter dicta põpa funeralis in Politicam, & Ecclesiasticam. Politica autem, seu Humana (quã communem habemus etiam cũ Ethnicis) consistit tàm in apparatu, & solemnitate, quę intrà domesticos parietes fieri solet pro funere alicuius, quàm in comitatu familiarium, consanguineorum, magistratuum, & similium associantium cadauer Defuncti.

12 Pompa verò funeralis Ecclesiastica, quę tantùm per Interdictum prohibetur, & virtute Cruciatę hic tempore Interdicti tantùm pręcipitur moderanda, consistit in comitatu Ecclesiasticorum, in luminibus, quę ab eisdem Ecclesiasticis cadauer comitãtibus deferuntur, in musica, cantuque, & demùm in campanarum pulsatione in męstitię signo. Videndum ergò est, quidnam in his moderandũ sit tempore Interdicti, pro quo sit.

DIFFICVLTAS IV.

Quomodo moderanda sit Pompa funeralis tempore Interdicti?

13 COnueniunt DD. circa põpam funeralem politicã nihil vsq; adhuc in iure prohiberi, & consequẽter neque aliquid circa eandem esse virtute bullę moderandum. Tota igitur Difficultas remanet circa pompam funeralem Ecclesiasticam, circa quam.

14 *Cordub. q. 43. d. 5. de Ind. Rodr. §. 5. n. 13. Acosta q. 27. & Herriq. l. 7. C. 13.* putant posse ter pulsari campanas, si defunctus fuerit vir, bis verò si fuerit fœmina: Clericos autem, aliosque religiosos deferẽtes cadauer, posse cantare, quę in Ordinario pręscribuntur pro deferendo, & sepeliẽdo defuncto, ex eo quia testentur, ita statutum fuisse à Leone X. in bulla Cruciatę cõtrà Africam An. Domini 1516. *Cordub. Rodriq. Acosta Herriq.*

15 At *Villalo. tr. 27. claus. 5 Trullen. l. 1. §. 3. d. 10. Lud. à cruc. D. 1. C. 5. d. 7. Bardi p. 2. tr. 2. c. 5. n. 24* alijque volunt, in hoc spectandam esse tàm loci consuetudinem, quàm personarum qualitatem, itaut medietas consuetę pompę funeralis, habito respectu, tum loci, tum personę, habeatur pro moderata pompa, & per bullam permissa, ac meritò, ita enim declaratum fuit à Iulio III. in bulla contra infideles an. Domini 1552. & à Pio V. an. 1564. & 1565. vt videre est apud DD. ci. *Auctor.*

16 Quià verò non potest facilè deter-

determinari, quænam pompa conueniat tali determinatæ personæ in indiuiduo, vt indè possit certò dimidiari, ideò communiter DD. hoc in particulari determinandũ, iudicio Ordinarij iurè remittunt, cuius est declarare, quæ tàm à Canonibus: quàm à Sum. Pontificibus non adeò clarè statuuntur circa Diuiuum cultum, & in absentia Ordinariorum, Curati.

17 Conueniunt similiter DD. sepulturam, quæ in loco sacro vi bullæ conceditur tempore Interdicti posse fieri ianuis ecclesiæ apertis. Et meritò, nàm cum solemnitas ista, quamuis moderata, publicè fieri concedatur vtiquè si ianuis clausis fieret, occulta esset, non publica, atque adeò neque Ecclesiastici cadauer deferentes, possent per viam cantare psalmos consuetos, nam hoc est maior publicitas; quàm sepelire defunctum ianuis apertis.

18 Demum conueniunt DD. vi Cruciatæ non posse celebrari funus cum Missa ianuis apertis. & meritò, nam nomine pompæ funeralis non veniunt Diuina Officia, & multò minus missæ sacrificium, inter Diuina Officia præcipuum. quarè finita sepultura cum dicta pompa, claudenda erit Ecclesia, & exclusis ex illa personis non priuilegiatis, poterit summissa voce sacrũ fieri, pro anima defuncti.

19 Est tamen hic aduertendum, *Herriquum* ci. docere, posse tunc de Ordinarij licentia Missam pro anima defuncti celebrari ianuis apertis: Sed immeritò quidem, nam effectus Interdicti sunt à Sum. Pontificibus, ac proinde nequeunt auferri ab inferiore Prælato, vt est Episcopus.

DIFFICVLTAS V.

An priuilegium, quo conceditur per Bullam sacra sepultura, differat à priuilegio assistendi Diuinis Officijs per eandem Bullã concesso?

20 NEgant *S. Anton p. 3. tit. 26 C. 4. §. 1. Syluest. V. Interd. 5. q. 10. Nauar. C. 27. sum. n. 181. Herriq. l. 13. C. 44. n. 5. Lud. à cru. D. 1. C. 7. d. 7. & alij.* Primò quia ecclesiastica sepultura ideò tẽpore Interdicti prohibetur, quatenùs habet annexum Diuinum Officium, ergò eo ipso, quod per bullam permittitur Diuinum Officium, permissa censetur consequenter, & ipsa ecclesiastica sepultura. Secundò quia eo ipso, quod permittitur communicatio cũ aliquo viuente, cum eodem iam mortuo licebit etiam communicare, *ex c. A nobis, 2 de sent. excom.* Siquis igitur viuens per bullam ad diuina Officia admittitur, & per consequens cum illo sic cõmunicamus, necessariò sequitur, licere cum eodem communicare post mortem, quod est eidem concedere ecclesiasticã sepulturam. *S. Anton. Siluest. Nauar. Herriq. Lud. à cr.*

21 Affirmant tamèn *Couarr. in c. Alma mater, p. 2. §. 5. Suar. de Cẽs. D. 38. se. 1. Prapos. de Interd. q. 4. d. 2. Coninb. de Sacram. D. 17. d. 2. Hurtad. de Interd. d. 9. Bardi p. 2. tr. 2. c. 5. nu 4.* alijque & meritò, nam priuatio Diuinorum Officiorum, Sacramentorum, & sacræ sepulturæ, enumerantur in iure, vt tres distinctæ pœnæ interdicti, vt patet *ex c. Episcoporum, de priuilegijs, & ex cap. si* *Couarr. Suarez. Prapos. Coninch. Hurtad. Bardi. Auctor.*

 Ciui-

Ciuitas, de sent. excom. in 6. ergò tribus distinctis priuilegijs relaxari debent, atquè adeò priuilegium, quo conceditur assistere Diuinis Officijs, erit priuilegium distinctum ab illo, quo conceditur ecclesiastica sepultura, prout de facto in eadem bulla distinctè conceditur tempore Interdicti, primò assistentia *Diuinis* Officijs, secundò vsus sacramentorum, & Tertiò ecclesiastica sepultura; quæ quidem vltima concessio, si in prima contineretur, frustrà distinctè apponeretur. Dicere autèm hoc fieri claritatis gratia, gratis satis asseritur, vt infrà meliùs patebit.

22 Confirmatur, quia per cessationem à *Diuinis* prohibentur Diuina Officia; non autem ecclesiastica sepultura, *c. Non est vobis, 11. de sponsali.* item in *c. Quod in te, de pœniten. & remiss.* conceditur Clericis Ecclesiastica sepultura, non obstante interdicto; & tamen non conceditur Diuinum Officium. è contrà *in c. Cum, & plantare, §. quod si, de priuil.* conceditur aliquibus *Hospitalarijs* Diuinum Officium, & tamen negatur eisdem ecclesiastica sepultura; quarè cum hec duo clarè in iure separentur, concesso vno, non proinde intelligitur concessum alterum, & consequenter priuilegium, quo tollitur vnum, differt à priuilegio, quo tollitur aliud.

23 Ad primam autèm AA. rationem nego, ecclesiasticam sepulturam prohiberi per accidens, quatenus scilicet habet annexum *Diuinum* Officium, sed assero per se, & rationè sui prohiberi, quatenùs scilicet locus sacer est, ne scilicet interdictus participet de loco sacro, sicuti similiter priuatur participatione aliarum sacrarum rerum.

24 Ad secundam autèm rationem dico, Axioma illud, quod eo ipso, quod permittitur communicatio cum aliquo viuente; cum eodem iam mortuo liceat communicare, intelligendum esse in eodem genere communicationis, non autèm in diuerso. quarè siquis tempore Interdicti poterit assistere Diuinis Officijs, poterit etiam mortuus esse præsens, dum diuina Officia, eiusque exequiæ celebrantur, quibus tamen completis, erit extrà locum sacrum sepeliendus, sepultura .n. est quid diuersum ab illis, vt dictum est.

DIFFICVLTAS IV.

An Cruciatæ priuilegium de ecclesiastica sepultura tempore Interdicti prosit etiam Clericis?

25 RAtio dubitandi pro parte negatiua est, quia Clerici, etiam primæ tonsuræ, independenter ab hoc Cruciatæ priuilegio, possunt virtute soliùs iuris communis sepeliri in loco sacro etiam tempore Interdicti, vt constat *ex c. Quod in te, 11. de Pœniten. & remiss.* ac proinde hoc Cruciatæ priuilegium videtur, nihil prodesse Clericis quoad sacram sepulturam.

26 Affirmat tamen *Bardi pa. 2. tr. 2. C. 5. n. 16.* & meritò, nam quamùis de iure communi possint Clerici sepeliri in loco sacro etiam tempore Interdicti (vt dictum est) nequeunt tamen tunc sepeliri cum pompa funerali, vt expressè statuitur

tuitur in eodem C. *Quod in te, ci.* (nisi in illis quatuor solemnioribus festiuitatibus exceptus in C. *Alma mater*, in quibus solis addi etiã potest Diuinum Officium solemne pro illorum sepultura) virtute autem Cruciatæ poterunt Clerici semper, & absolutè sepeliri cum pompa funerali, quamùis moderata, iuxtà suprà dicta *n.* 15. atquè adeo hoc Cruciatæ priuilegium prodest etiam Clericis, non quidẽ quoad substantiam sacræ sepulturę cum hanc habeant de Iure communi, independenter à Cruciata, (vt dictum est) sed quoad dictę sepulturę circumstantiam, nempe in ordine ad solitam sepeliendi solemnitatẽ.

27 Dices in C. *Quod in te ci.* solùm conceditur Clericis tempore interdicti sepeliri in Cœmeterio, non autèm in ecclesijs; virtute autem Cruciatę conceditur sepultura etiam in ecclesijs, ergo bulla Cruciatę prodest Clericis non solùm quoad circumstantiam sepulturę, sed etiã quoad substantiam. Dicere autem, quod ecclesia veniat sub nomine Cœmeterij, est apertè falsum, cum magis principale nequeat venire sub nomine accessorij, & minus principalis.

28 Respondeo cum communi DD. consensu, quod tempore primitiuę ecclesię, sub nomine Cœmeterij in ordine ad sepulturam, compręhendebatur omnis locus sacer ad sepeliendos fideles destinatus; atq; adeo, idem fuit in C. *Quod in te ci.* dicere in Cœmiterio, ac postea tempore cõcessionis huius priuilegij Cruciatę dicere in *Ecclesijs*. Et ratio est, quia vt apertè colligitur ex Cõcilijs, & Historijs in primitiua ecclesia acritèr prohibebãtur fideles sepeliri in ecclesijs, & sic in solis Cœmiterijs sepeliebantur, ac proinde sub nomine Cœmeterij tunc absolutè veniebat omnis prorsus locus sacer pro sepultura fidelium destinatus.

29 Progressu verò temporis honor sepeliendi in ecclesijs cepit primò deferri Imperatoribus, & Episcopis, deinde alijs illustribus viris, & demùm omnibus fidelibus baptizatis, atque adeò prohibitiones illę sepeliendi in ecclesijs in desuetudinem abierũt, quarè licèt absolutè loquẽdo, nequeat ecclesia venire sub nomine Cœmeterij spectata vi nominis, spectato tamèn ritu sepeliendi priscis illis temporibus, ac postea, idem prorsus ex vi significationis, & veluti formaliter in ordine ad sepulturam, significabat tunc Cœmeterium, ac nunc ecclesia, & per consequens hoc Cruciatę priuilegium nihil prodest Clericis quoad substantiam sacrę sepulturę tempore interdicti, sed solùm quoad circũstantiam, prout dictum est.

DIFFICVLTAS VII.

An siquis tempore Interdicti sumeret Bullam pro Defũcto, poterit is in loco sacro sepeliri?

30 Affirmat *Herriq. l. 7. de Indul. C.* 20. cuius ratio est, quia dum quis pro mortuo accipit bullam, quamùis verè non sit formalis acceptio ex parte Defuncti, erit tamèn virtualis acceptio, seu implicita respectù eiusdẽ Defuncti, quatenùs Defunctus censetur voluisse ante mortem omnia remedia ad salutẽ, & consequentèr implicitè Herriq.

etaim bullam, vt sic loco sacro frueretur.

Rodriq. *Villalob.* *Trullen.* *Bardi.*

31 Negant tamèn *Rodriq. in Add.* §. 5. *n.* 32. *Villalob. to.* 1. *tr.* 27. *clauf.* 5. *n.* 7. *Trullen. l.* 1. §. 3. *d.* 10. *n.* 1. *Bardi p.* 2. *tr.* 2. *C.* 5. *n.* 9. & communiter Recentiores. Et meritò, nam priuilegium sepeliendi in loco sacro tempore interdicti apertè conceditur viuentibus, post tamen illorum mortẽ habiturum effectum, vnde in sola viuorum bulla apponitur: atque adeò nisi quis viuens sumat bullam, vel viuenti applicetur ab alio, nihil post mortem quoad hoc proderit.

32 Confirmatur primò, nam si Sum. Pontifex voluisset etiam Defunctis in hoc suffragari, vtiquè in bulla Defunctorum huiusmodi priuilegiũ apposuisset. Confirmatur secundò, quia omninò gratis asseritur ab *Herriq.* oppositum, & acceptio illa virtualis est omninò conficta: teneretur enim probare, bullam cõcessam pro viuis, prodesse etiã mortuis, non obstante, quod talis bulla sumatur post mortem illius cui sumitur, & applicatur. Atque hęc de priuilegijs pro tẽpore interdicti virtute Cruciatæ concessis, sufficiant.



DISPV-

DISPVTATIO TERTIA

DE PRIVILEGIIS CIRCA CIBOS PROHIBITOS, QVÆ VIRTVTE CRVCIATÆ CONCEDVNTVR.

In §. XII. concedit Sum. Pontifex facultatem comedendi aliquos cibos prohibitos de Iure communi. Videndum igitur est in præsenti Disputatione quomodo, & quibus dictum priuilegium concedatur.

QVÆSTIO I.

De Priuilegio comedendi carnes diebus prohibitis.

DIFFICVLTAS I.

Quidnam per Cruciatam concedatur suprà Ius commune, circa carnium comestionem?

Ricciut. 1 Ricciut in Add. ad §.6.n.2. docet, nihil supra Ius commune per Cruciatam nobis cõcedi circa carnium comestionẽ, sed appositam expressè fuisse à Sum. Pontifice hanc concessionem, ad tollendos solùm scrupulos, si forte in timoratis cõscientijs aliquando orirentur circa carnium comestionem vetitis diebus. Cuius ratio est, quia etiã absque bulla vnusquisque potest ex medici consilio vesci carnibus tuta conscientia etiam tempore Quadragesimali.

2 Sed contrà est, nam iuxtà hac opinionem nihil Sum. Pontifex per hoc priuilegium concederet, cum absque vlla bulla satis superque quiescit quælibet etiã timoratissima conscientia habito cõsilio vtriusque medici corporalis scilicèt, & spiritualis pro edenda carne, & per cõsequens præsens Cruciatę priuilegium omninò inutile redderetur; quod non est dicendum.

3 Conueniunt igitùr reliqui cõmuniter DD. per Cruciatam hic aliquid suprà Ius commune cõcedi, discrepant tamen in assignando, quidnam sit hoc, quod suprà Ius cõmune virtute Cruciatę conceditur.

4 Et quidem *Rodriq.§.6.n.1.* putat esse satisfactionem illam, quę per ieiunium haberetur, si de facto dispensatus ad carnes ieiunaret (supponit enim dispensatum ad carnes, non teneri ad ieiunium) contrà tamẽ est, primò quia talis satisfactio absque vllo fundamento confingitur à Rodriq. Rodriq.

Rodri-

Rodriquez, nullibi enim in hac bulla fit mentio de huiusmodi satisfactione ieiunij, absque ieiunio. Secundò quia nõ est certum, quod dispensatus ad carnes non teneatur ieiunare, vt infrà dicemus Diff. 8.

Gomez. 5 At *Gomez in clauf. 7. n. 1.* vult hoc bullę priuilegium habere locum, quando necessitas comedendi carnes non est omninò certa, sed dubia. Sed contrà est, nam etiam absque bulla, in casu quo medicus positiuè dubitaret de necessitate comedendi carnes, tunc ex consuetudine iam introducta, quę habet vim legis, concedunt communiter *DD.* posse in tali casu dispensare Ordinarium, & hoc absente, proprium Parochum, & similiter Prælatos Regulares in proprios subditos. Quarè si etiam in dubijs poterit absque bulla haberi facultas comedendi carnes (vt dictum est) vtiquò si bulla nihil aliud concederet, nihil omninò concedere, sequeretur.

Herriq. *Lud. à cr.* *Trullen.* *Bardi.* 6 Demùm *Herriq. l. 7. C. 13. n. 12 Lud. à Cruc. D. 1, C. 5. d. 9. Trullen. l. 1. §. 4. d. 1. n. 6. Bardi tr. 3. C. 1. se. 1. n. 12.* alijque communiter DD. docent, bullam satis aliquid plus concedere suprà ius commune, & consuetudines vniuersaliter introductas, & receptas, dum absolutè concedit, ex solo consilio medici, & confessarij posse comedi carnes diebus prohibitis.

Auctor. 7 Et meritò, nam licèt quando necessitas comedendi carnes est certa, possint tuta conscientia comedi ex solius medici cõsilio; & quando est dubia, possint similiter comedi ex licentia Ordinarij, vt dictum est, attamen virtute Cruciatę absque vlla dispensatione Ordinarij, neque Parochi, sed solius Confessarij licentia, adhibito alicuius medici consilio, poterunt liberè comedi carnes diebus prohibitis: quod quidem parui momenti existimandum non est, dum maximi leuaminis est, non cogi in dubijs adire neque Ordinarium neq; Parochum, sed à quolibet confessario pro libito petere licẽtiam comedendi carnes diebus vetitis, quod absque bulla fieri nequit.

8 Adde, vt benè docet *Lopez* cum alijs, faciliùs, ac minori necessitate posse à medicis concedi carnes sumentibus bullam, quàm nõ sumẽtibus illam. Quarè virtute Cruciatę aliquid suprà Ius commune, nec leuis momenti, absolutè cõceditur, quia tamen hoc dependenter à consilio tàm medici corporalis, quã spiritualis, conceditur, dignoscendę cõsequenter sunt vtriusque medici conditiones, & qualitates necessariò requisitæ, ad hoc vt hæc dispensatio ritè obtineatur.

DIFFICVLTAS II.

An Medicus corporalis, cuius consilium in Bulla procedenda carne requiritur, debeat necessariò esse promotus ad gradum Doctoratus in Medicinæ.

9 Affirmat *Bardi ci. n. 21.* & meritò, nam sub absoluta medici appellatione non venit, qui aliquando operam dedit medicinæ, (cum nõ pauci scientijs vacent per coexistentiam extremorum) sed qui reuera professione *Bardi.* *Auctor.*

professione talis est, nempè qui publico testimonio censetur dignus, talem professionem profiteri, quod in casu nostro est, esse ad gradũ Doctoratus in Medicina promotum. Et ratio à priori est, quia reuera tale consilium non debet esse quomodocunque datum, sed authenticè, ergò nequit esse nisi ab aliquo in tali professione graduato.

10 Quod si in aliquo paruo oppido (vt sæpè contingit) nullus inueniatur ad gradum Doctoratus in Medicina promotus, tunc expetendum erit consilium à medico alterius ciuitatis vel oretenùs, vel per epistolam, vel per internuncium si commodè fieri poterit; si secùs, petenda erit in tali casu dispensatio vel ab Episcopo, vel saltem à Parocho: nam quotiès aliquod priuilegium nequit habere locum ex defectu alicuius circumstantiæ, seu ex defectu purificationis alicuius conditionis *Sine qua non* in eodem prinilegio appositæ, prout de facto est in præsenti priuilegio consilium vtriusque medici, totiès recurrendum erit ad Ius commune, per quod (vt suprà dictum est) in casu quo dubitatur, An quis possit, necne diebus prohibitis comedere carnes, tunc petendam esse dispensationem ab Ordinario, & in eius absentia à proprio Parocho, qui absque vlla difficultate semper haberi, potest.



DIFFICVLTAS III.

An Medicus spiritualis, ex cuius cõsilio debent virtute Bullæ comedi carnes diebus probibitis, debeat esse Confessarius ab Ordinario approbatus?

11 Conueniunt DD. medicum spiritualem, de quo hic bulla loquitur, non debere esse necessariò Confessarium illius, qui consilium petit, & multò minus tale consilium debere peti, seu obtineri in sacramentali confessione. Et meritò, primò quia à nullo Iure hoc requiritur. Secundò quia, si absolutio à Censuris, & commutatio votorum (vt infrà dicemus) fieri potest extrà sacramentalem cõfessionem, & non à proprio cõfessario, multò magis similiter dari poterit simplex consilium pro edenda carne virtute Cruciatæ.

12 Difficultas igitùr solùm esse poterit, An sacerdos, à quo dictum consilium requiritur, debeat esse necessariò approbatus ad audiendas confessiones. Et quidem ratio dubitãdi pro parte affirmatiua est, quia in eadem bulla requiritur, vt huiusmodi consilium proueniat à medico spirituali: Medicus autem spiritualis dicitur à curandis morbis spiritualibus, qui vtiquè sunt peccata, quæ quidem non curantur, nisi pharmaco absolutionis sacramentalis: Sacerdos autem non approbatus ad audiendas confessiones nequit sic curare pœnitentes, & consequenter non videtur posse dici medicus spiritualis.

13 Negat tamen *Bardi ci. nu. 17.* *Bardi.*

&

& meritò, nam sacerdos quamùis non sit ab Ordinario approbatus ad excipiendas confessiones, attamen ex vi characteris sacerdotalis habet annexam potestatem absoluendi, & consequenter habet proximam capacitatem recipiendi iurisdictionem in foro sacramẽtali, adhoc vt validè absoluat, hinc rectè quilibet sacerdos dici poterit medicus spiritualis. An verò debeat esse necessariò sacerdos, dicetur Diff. sequenti.

DIFFICVLTAS IV.

An supradictus Medicus spiritualis debeat esse necessariò sacerdos?

14 Ratio dubitandi pro parte negatiua est, quia talis medicus spiritualis à bulla solùm requiritur ad præstandum consilium, vt sic prudenter dispensetur ad carnium comestionem: huiusmodi autèm cõsilium æquè benè præstare poterit etiam nõ sacerdos, cum aliquando longè maior prudentia reperiatur in aliquibus non sacerdotibus, quã in pluribus sacerdotibus.

15 Affirmare tamen videntur communiter DD. & meritò, primò quia non sacerdos neque actu, neque aptitudine (nisi valdè remotè) potestatem habet ad curandos animi morbos, ac proinde ex nullo capite dici potest medicus spiritualis, qualis hic à bulla requiritur. Secundò quia per se loquendo sacerdotes solent esse prudentiores laicis; atque adeo satis congruenter Sum. Pontifex ad hoc exigit consilium, & prudentiam sacerdotum; quibus etiam solis committit munus absoluendi à censuris, commutandi Vota, & alia huiusmodi, quamùis similitèr æquè benè possit tale munus etiam laicis committi, & delegari. *Auctor.*

DIFFICVLTAS V.

An Cruciatæ priuilegium edendi carnes diebus prohibitis, valeat etiam pro die Veneris, & Sabbati?

16 Ratio dubitandi pro parte negatiua est, quià licèt in bulla italicè editâ apertè concedatur ex consilio vtriusque medici esus carnium, *In tempo di Quaresima, & altri tempi di digiuno, & altri giorni prohibiti*: ex quibus verbis aperte præsens priuilegium extenditur ad dies totius anni, & consequenter etiam ad dies Veneris, & Sabbati; attamen bulla latina, quæ est maioris auctoritatis, solis diebus ieiuniorum videtur concedere esum carniũ ex vtriusq; medici consilio, sic enim ait: *Carnibus de vtriusque medici cõsilio temporibus ieiuniorum totius anni, etiã quadragesimalibus vesci, &c.* ita vt vi verborum bullæ latinæ videtur Ieiunium vt cõditio sine qua non, adhoc vt quis valeat vti præsenti priuilegio, & consequenter pro diebus Veneris, & Sabbati non valebit hoc priuilegium nisi in illis incidat ieiunium.

17 Conueniunt tamen communitèr DD. præsens bullæ priuilegium edendi carnes ex vtriusque medici consilio, valere etiã pro diebus Veneris, & Sabbati. Et meritò, primò quia quoties aliquid videtur dubium in bulla latina, toties standum erit Trãsumpto vulgari, auctoritate

Com-

Commissarij Generalis edito, cuius est declarare dubia, quæ in bulla latina fortè insurgunt; cùm igitùr hoc punctum non ità clarè in bulla latina inueniatur, standum vtiquè erit illius Transumpto, in quo clarè (vt dictū est) dies Veneris, & Sabbati in dicto priuilegio includuntur.

18 Secundò quia etiàm sistendo in verbis Bullæ latinæ, adhùc præsēs priuilegium valebit pro diebus Veneris, & Sabbati; nā ex regula Iuris in 6. *Cui licet quod est plus, licebit etiam quod est minus*: si igitùr virtute Cruciatæ licebit comedere carnes diebus ieiuniorum, etiam quadragesimalium, quod est absolutè plus, vtiquè hoc ipsum etiā licebit diebus Veneris, & Sabbati, quod est longè minus.

19 Et quàmuis dicta regula Iuris non absolute valeat, quando plus, & minus sunt de rebus diuersi ordinis, & generis, præsertim in materia de priuilegijs, attamen quando sunt de rebus eiusdem prorsus ordinis, ac generis, tunc dicta regula de maiori ad minus absolutè valebit, prout cōmuniter DD. concedunt, quatenùs tunc eadem prorsus erit ratio; vndè concessio pro edendis Ouis, extenditur etiam ad caseum, vt infrà dicemus.

20 Quod vt magis clarescat; iam virtute Cruciatæ licebit de cōsilio vtriusque medici comedere carnes quolibet die ieiunij, etiamsi ieiunium contingat die Veneris, & Sabbati (vt dictum est) ergo multò magis licebit comedere carnes diebus Veneris, & Sabbati, quando in dictis diebus nullum occurrat ieiunium. Virtute igitùr Cruciatæ licebit dè consilio vtriusq; medici comedere carnes quolibet anni die, absquè vlla exceptione Veneris, neq; Sabbati.

DIFFICVLTAS VI.

An dispensatus ad carnes possit diebus prohibitis comedere carnes crudas, seu nociuas?

21 CONueniunt DD. illū, qui comedit carnes, quas agnoscit esse sibi nociuas, (& idē dicendum de alijs cibis nociuis) peccare contrà præceptum naturale, contrà scilicèt virtutem temperantiæ, siue grauiter, siuè leuiter iuxtà quantitatē, & qualitatem nocumenti corporalis.

22 Difficultas igitùr solùm est, An dispensatus ad carnes, siuè per bullam Cruciatæ, siue per aliud priuilegium, si comedat carnes, quas præuidet fore sibi nociuas, peccet non solùm cōtrà naturale præceptum tēperantiæ, sed etiam contrà præceptum Ecclesiæ.


23 Affirmant *Rodriq. p.1. sum. C. 24. nu. 3. & Io. à Cru. p.1. Direct. præcep. 3. ar. 4. d. 8.* ex eo quia dispensatio nequit extendi vltrà confines eiusdem dispensationis. cum igitùr dispensatio ad carnes sit pro tuenda sanitate (vt supponimus) nequit consequenter extendi, nisi ad carnes illas, quæ cōformes sanitati forè cognoscuntur, non autē ad nociuas, vt sunt cōmuniter carnes porcinæ, crudæ, & huiusmodi, nisi excuset paruitas materiæ. Similiter docet, dispensatū ad oua, non posse comedere caseum, aut lac &c. si sanitati nociua cognoscantur. *Rodriq. Io. à cr.*

24 Negant tamen *Sanch. l. 4. sum. C. 11. n. 57. Io. Sanch. in select. D. 51 n. 20.* *Sanch. Io. Sanc.*

I

Villalob. Trullen. Viuald. Diana. Bardi. *n.20. Villalob. in sum. tr.23. dif.8. n.11. Trull. l.1. §.4. d.2. n.2. Viual. in supp. Cand. C.11. n.37. Diana p.5. tr.5. ref.47. Bardi p.2. tr.3.* C. 1. *n.44.* alijq, communiter DD.
Auctor. & meritò, nam Ecclesiæ præceptum prohibens carnes aliquibus statutis diebus, vtiquè prohibet illas vt sic, nempè absque distinctione, & indiuisibiliter quatenus carnes sunt: vnde dispensatio ad carnes, cum directè opponatur tali præcepto, illud consequenter totaliter aufert; atque adeò dispensatus ad carnes fit totaliter liber à dicto Ecclesiæ præcepto, ac proinde quamùis is comedendo carnes nociuas peccet contrà præceptum naturale, nēpe contrà virtutem temperantiæ (vt dictum est) non tamen peccabit contrà dictum Ecclesiæ præceptum.

25 Ad rationem autem AA. in contrarium nego, carnes nociuas esse extrà confines dispensationis. quamùis enim dispensatio primò, & per se, & directè sit ad solas carnes non nociuas, attamen cū per dictam dispensationē totaliter auferatur Ecclesiæ præceptum (vt probatum est) consequenter, & indirectè, habetur etiam dispensatio ad carnes quātumùis nociuas. Quarè si dispensatus ad carnes comedat carnes crudas & nociuas quamùis contrà pręceptum naturale, ac Diuinum peccet, non ideò tamen contrà Ecclesię pręceptum peccabit, cum nullum adhùc Ecclesiæ præceptum habeatur de tuenda sanitate.



DIFFICVLTAS VII.

An dispensatus ad carnes possit simul cum carnibus miscere pisces diebus prohibitis?

26 NEgant *Graff p.1. Dec. l.2. C. 37. n.59. Rodriq. in Add. ad §.6. n.5. Lauorius de Iub. p.1. C. 20. n.28.* nonnullique alij, ex eo quià, siquis experitur esse sibi pisces nociuos, iam peccabit illos comedens; si verò illos sibi nociuos non agnoscit, vtiquè non indigebit dispensatione ad carnes, vt patet, atque adeò siquis ob verum nocumētum piscium dispensatur ad carnes, vtiquè peccabit comedens pisces. *Graff. Rodriq. Lauorius*

27 Affirmant tamèn *Herriq. l.7. C.13. n.13. Azor to.1. l.7. C.10. q.5. Trullen. in Decal. l.1. §.4. d.2. n.9. Fagund. de præcep. Eccl. l.1. C.2. n.18. Filluc. tr.27. p.2. C.3. n.55. Bardi p.2. tr.3. C.1. n.48.* alijque communiter. Et meritò, primò quià parua quantitas piscium, imò etiam vsque ad mediam comestionem, poterunt pisces non esse nociui, atque adeò ita pisces comedens, ex hoc non peccabit; quatenùs verò esus piscium vsque ad repletionem cognoscitur nociuus, poterit ex hoc quis & licitè, & validè obtinere dispensationem ad carnes. *Herriq. Azor. Trullen. Fagund. Filluc. Bardi. Auctor.*

28 Secundò quia adhuc dato, quod quęlibet parua quantitas piscium sit nociua, solùm ex hoc sequitur, quod comedens pisces simul cum carnibus peccet tantùm contrà pręceptum naturale, ac Diuinum de tuenda sanitate (pro vt suprà dictum est de carnibus nociuis) quod vltrò cōcedo, nego tamē istū peccare etiam

etiam contrà Ecclesiæ præceptum (de quo procedit Difficultas) à quo vi dispensationis iam liber existit, ac si nullum vnquã ab Ecclesia latum fuisset huiusmodi præceptum abstinendi à carnibus, aliquibus statutis diebus. Ex quibus satis patet ad rationem AA. in contrarium.

DIFFICVLTAS VIII.

An qui virtute Cruciatæ, vel alterius priuilegij comedit carnes, teneatur diebus ieiunij ieiunare?

29 CONueniunt DD. dispensatum ad vescendas carnes, adeo vt vires deperditæ reficiantur, vt euenit in conualescentibus; vel ne tenues vires vlteriùs deperdantur, vt euenit in valetudinarijs corporibus, nõ teneri absolutè ad ieiunium; vnde in his, & similibus casibus dispensatus ad carnes poterit nõ solùm cœnare, sed etiam pluries eodem die comedere.

30 *Difficultas igitur est*, quando quis dispensatur ad carnes, ex eo præcisè, quod alij cibi sint suæ complexioni, & naturali temperamento valdè nociui; cæterùm sic dispensatus ad carnes sit robustus, neque indigeat pluribus comestionibus: quæritur, An iste comedens carnes, hoc nõ obstante, teneatur diebus ieiunij ieiunare?

31 Negant *Caiet. 2.2. q. 147. ar. 7. & 8. Abulen. in Matth. C. 6. Gabr. D. 16. q. 3. ar. 3. d. 1. Fagund. in 4. præ. Eccl. l. 1. C. 2. n. 5. Suar. to. 3. in 3. p. D. 70. s. 2. Tolet. l. 6. C. 3. n. 4. Azor. p. 1. l. 7. C. 10. q. 3. Herriq. l. 7. C. 13. n. 11. Sanch. opus. l. 5. C. 1. d. 29. Trullen. l. 3. § 4. d. 2. Llamas p. 3. sum. C. 5. § 26. Bardi p. 2. tr. 3. C. 1. n. 31. & alij.* Caiet. Abul. Gabr. Fagund. Suarez. Toletus. Azorius Herriq. Sanch. Trullen. Llamas. Bardi.

32 Quorum ratio fundamentalis est, quia abstinentia à carnibus est de essentia ieiunij, ac proinde comestio carnium tollit vnum de prædicatis essentialibus ieiunij, & consequenter destruit totam essentiam ieiunij; quarè qui carnes comedit, poterit non solùm pro eo die cœnare, sed etiam pluries comedere: quam opinionem etiam confirmant ex eo, quia plus est comedere carnes, quam ieiunare, vnde vsque ad annum 21. non tenetur quis ieiunare, & tamen tenetur se abstinere à carnibus, atque adeò dispensatus ad carnes censetur etiam dispensatus ad ieiunium, nam ex reg. Iuris in 6. *Cui licet quod est plus, licebit etiam quod est minus.*

33 Affirmant tamen *Cordub. in sum. q. 143. & 167. Rodriq. §. 6. n. 4. Graff. p. 1. Dec. l. 2. 37. n. 39. Valent. to. 3. in 2. 2. S. T. D. 9. q. 2. p. 5. Less. l. 4. C. 2. d. 6. n. 45. Lud. à cruce D. 1. C. 5. d. 11. Io. Medin. Cod. de Ieiun. Gomez claus. 7. nu. 5. Lopez p. 2. Instr. de Ieiun. c. 3. Fernand. in exam. p. 3. C. 9. §. 5. n. 3. Bonacin. de leg. D. 10. q. 1. p. 2. n. 3. Victor. 2. 2. q. 146. ar. 4. Reginal. to. 1. prax. l. 4. C. 14. Angles q. de Ieiu. ar. 1. d. 3. Dif. 9. & alij.* Cordub. Rodriq. Graff. Valent. Leß. Lud. à cr. Medina Gomez. Lopez. Fernand Bonac. Victor. Reginal. Angles.

34 Et meritò, primò quia non minùs est de essentia ieiunij vnica comestio, quàm abstinentia à carnibus, & tamen non ex eo, quod quis dispensatur ad plures comestiones, censetur etiam dispensatus ad comestionem carnium, vt patet in agricolis, alijsque similiter corpore laborantibus, ipsique AA. concedunt; ergò neque ex eo, quod quis dispensatur ad carnes, censetur etiam dispensatus ad plures

res comestiones. Adde, esse magis de essētia ieiunij, vnicam comestionem, quàm abstinentiam à carnibus (vt constat, & meliùs infrà constabit, ergò si nequit comedere carnes, qui pluriès eadem die comedit, vtiquè multò minus poterit pluriès comedere, ex eo quia quis carnes comedit.

35 Conatur *Bardi ci. n.* 35. deludere hoc argumentum, dicens illud coucludere quoad solam prohibitionem carnium indirectam, non autem directam. Supponit enim comestionem carnium diebus Ieiunij prohiberi tùm directè, tùm indirectè, indirectè quidem, seu implicitè ex eo precisè, quod ieiuniū pręcipitur: directè verò, seu explicitè, quoties in Iure expressè, & explicitè prohibetur comestio carnium diebus ieiunij; & ideo licèt abstinentia à carnibus desinat, ac cesset, deficiente abstinentia à secunda comestione, & in quantùm est materia legis præcipientis ieiunium; non tamen cessat, in quantùm primò, & per se est materia alterius præcepti, videlicet de nō edendi carne diebus ieiunij &c.

36 Sed reuera ipsemet deludi videtur; nam nisi ab ecclesia expressè, ac per distinctum præceptum prohiberentur carnes diebus ieiunij, sanè ex vi solius præcepti de Ieiunio, neque explicitè, neq; implicitè prohiberentur carnes diebus ieiunij; & quidem non explicitè, vt ipsemet *Bardi* fatetur: neq; implicitè nam lex omnis onerosa, cum sit strictè sumēda, nisi quid aliud expressè addat, non habet pro obiecto, nisi solam, ac nudam essentiam impositi oneris, & sic præceptum de Ieiunio non importasset tunc nisi vnicam comestionem; patet, nam ieiuniū, vt sic de se, & ex natura sua non dicit nisi vnicam comestionem, probatur, nam vt testantur *Caietanus*, alijq; etiam ex AA. Ieiunium veteris legis erat verum ieiunium, & tamen consistebat tantùm in vnica comestione ad vesperam, ergo &c. atq; adeò nunc, solùm explicitè, seu directè prohibentur carnes diebus ieiunij, & sic nequit *Bardi* confugere ad prohibitionem carniū implicitam, seu indirectam.

37 Ex quibus apertè sequitur, præceptum Ecclesiæ de ieiunio conflari ex duplici præcepto veluti partiali, nempè ex præcepto ieiunij vt sic, quod importat vnicam tantùm comestionem, & ex pręcepto abstinendi à carnibus ipso ieiunij die; vndè est, vt dispensatus ad plures comestiones, non inde intelligatur dispensatus ad carnes; & è contra; ex eo, quod quis dispensatur ad carnes, non indè intelligitur dispensatus ad plures comestiones. Hinc probatur à priori nostra opinio: nam dispensatio est stricti iuris ex vna parte, ex altera verò parte præceptum ieiunij includit duo præcepta, vnum de semel tantùm comedendo, alterum de abstinendo à carnibus (vt dictū est) ergò dispensatus in vno pręcepto, nō indè censetur etiā dispensatus in altero præcepto.

38 Confirmatur etiam ad hominem contrà aliquos ex citatis AA. docentibus, siquis inueniretur in extrema necessitate, & non haberet alios cibos nisi carnes, si illas tunc comederet, adhuc ad ieiunium teneretur ex eo quià, dicunt, in tali casu iste non veteretur carnibus vt carnibus

nibus, quatènus scilicèt iuuant ad salutem corporalem, sed vt instrumento simpliciter necessario ad vitandam mortem. Sed reuera hi DD. non cohærenter ad ipsorũ principia discurrunt; nam si semel abstinentia à carnibus est omninò de essentia ieiunij (vt ipsi volunt) quomodocũque comedatur caro, semper destrui essentiam ieiunij, necesse est, & consequentèr semel comedens carnes, nõ ampliùs pro illo die ad ieiunium tenebitur. quod si in casu posito negare coguntur, vtiquè ad nostra principia, de duplici præcepto, confugere similitèr cogantur.

39 Ad rationem autèm AA. in contrarium negò primò, abstinentiam à carnibus esse de essentia ieiunij absolutè sumpti, sed dico, esse meram perfectionem accidentalem illi superadditam: patet ex dictis, nam si tota perfectio ieiunij, *vt sic* cõsistit in vnica comestione (vt probatum est) vtiquè quidquid illi aduenerit, erit perfectio saltèm accidentalis, vt patet, atq; adeò ieiunium Ecclesiasticum, vt Ecclesiasticum solùm addit quamdam perfectionem accidentalem suprà ieiunium naturale, & consequenter benè stare poterit essentia ieiunij absq; tali perfectione abstinentiæ à carnibus, sicuti de facto benè stabat in veteri lege, vt dictum est.

40 Dico secundò, etiam dato, quod abstinentia à carnibus sit de essentia ieiunij, negò tamen consequentiam, quæ licèt vera sit in rebus physicis, falsa tamen est in moralibus. disparitas autem est, quia res physicę, seu naturales consistunt in indiuisibili, & consequenter per separationem vnius partis essentialis v.g. animæ à corpore desinit esse homo. secùs autem se habet res morales, atquè adeò destructa aliqua illarum parte, in aliâ conseruantur, vnde qui nequit seruare aliquod præceptum quoad omnia, tenetur illud seruare in eo quod potest: sic v.g. qui nequit ex toto implere votum, tenetur illud implere secundùm eam partem, quam potest: qui nequit recitare totum diuinum Officium, tenetur recitare quod potest: qui nequit ieiunare totũ tempus quadragesimale, tenetur ad partem, quam potest: qui nequit restituere totum, tenetur ad partẽ, quam potest: qui nequit diebus festiuis, se abstinere ab opere seruili, non ideò excusatur à Missa, si illam potest audire: similiter qui indiget pluribus refectionibus, non ideò non tenetur se abstinere à cibis vetitis, & eadem ratione qui non potest comedere nisi cibos vetitos, tenebitur saltem se abstinere à pluribus refectionibus, si commodè potest, vt hic suppono.

41 Ad confirmationem autem dico, illam multas pati exceptiones, & in huiusmodi rebus odiosis, vix, aut nunquam habere locum, vt passim apud DD. videre est. Dispensatus igitùr siuè per bullã, siue per aliud priuilegium ad carnes ratione boni alimenti, absolutè tenebitur ieiunare, si aliundè non impeditur. ac tandem, vt verum fatear, semper demiratus sum, quomodo tot doctissimi, ac pijssimi DD. oppositam sententiam patrocinentur.

DIF-

DIFFICVLTAS IX.

An præsens priuilegium Bullæ de edenda carne, ex consilio vtriusque medici, prosit omnibus sumentibus bullam?

Trullen. 42 AFfirmat *Trullen. l. 1. §. 4. d. x.* ex eo quia in Transumpto bullę Plumbeæ auctoritate Cōmissarij Generalis edito in lingua vulgari tàm Italica, quàm Hispanicà, quamuis Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, Regulares, aliæque Ecclesiasticæ personæ (de quibus infrà) excludantur à priuilegio comedendi oua, ac lacticinia, attamen quando datur vniuersalis facultas comedendi carnes ex vtriusque Medici consilio, nulla fit exclusio, nullaq; fit mentio de iis ecclesiasticis personis, ergò neque à nobis excludi debent ex illo priuilegio vniuersali.

Bardi. 43 Negat tamen *Bardi c. 1. C. 1. nu. 27.* Et meritò, nam expresse

Auctor. supradictæ personæ Ecclesiasticæ in Bulla latina excluduntur etiam à præsenti priuilegio edendi carnes &c. sic: *Sub hoc Indulto vescendi carnibus, ouis, ac lacticinijs comprahenduntur cuiusuis militiæ Regulares, Patriarchis verò, Archiepiscopis, Episcopis, alijsque inferioribus Prælatis, nec non alijs personis Regularibus, & qui in Ordine Præsbyteratus fuerint sæcularibus, id minimè conceditur, nisi sexagenarij fuerint*. Quod autem in Compēdio vulgari suprà dictæ personæ non excludantur, parum refert; omninò n. standū est Bullę latinę, vt quę immediatè à Sum. Pontifice emanauit.

44 Et quamuìs in Commissario Generali sit ampla facultas trāslatandi, compilandi, & resoluendi dubia, si qua fortè circa Cruciatam insurgerent, quando tamen Compendiorum verba clarè pugnant cum Originali, huic omninò standum erit, non illis; ceterùm circa verba ambigua, & obscura, potiùs standum est Compendijs, ac Transumptis, quàm Originali.

45 Confirmatur, nam si propter decentiam, ac perfectionem status ecclesiastici excludit Sūmus Pōtifex omnes illas supradictas personas Patriarchas &c. à priuilegio edendi lacticinia (vt infrà dicemus) potiori sanè ratione debuerat eosdem excludere à carnium comestione. Suprà dictis igitur personis nihil prodest presēs bullę priuilegiū. Sed agè iam ad priuilegium circa lacticinia accedamus.

QVÆSTIO II.

De priuilegio Cruciatæ comedendi Oua, & lacticinia.

IN eodem §. XII. post priuilegiū comedēdi carnes, modo suprà dicto, concedit Sum. Pontifex virtute eiusdem Cruciatę liberā facultatem comedendi Oua, & lacticinia quocunque tempore, etiam quadragesimali, circa quod in pręsenti videndū est, quomodo, & quibus tale priuilegium concedatur.

DIF-

DIFFICVLTAS I.

An per hoc Bullæ priuilegium, aliquid contrà Ius commune concedatur?

1 RAtio dubitandi pro parte negatiua est, quia in Iure communi, neque Oua, neque lacticinia prohiberi videntur, etiam in ieiunijs quadragesimalibus, saltem sub mortali. ità docet *Fagund. in 4 præc. Eccl. l. 1. C. 2. n. 2.* & sic per præsens priuilegiũ, nihil contrà Ius commune videtur nobis concedi. *Fagund.*

2 Conueniunt tamen communiter DD. saltem pro tempore quadragesimali tàm Oua, quàm lacticinia, de Iure communi prohiberi, & consequenter virtute præsentis priuilegij, aliquid contrà Ius commune, seu à Iure communi prohibitum, à Cruciata conceditur. Et meritò, primò quia si oua, & lacticinia non essent pro aliquo tempore de Iure communi prohibita, sequeretur, quod Sum. Pontifex non solùm nihil prorsus per hoc priuilegium concederet, verùm etiam, quod neque debuisset ab illo excludere tot personas Ecclesiasticas, vt infrà dicetur; atque adeò ne præsens priuilegiũ prorsus inutile reddatur, atq; iurè ab eodem tot Ecclesiastici excludantur, necessariò dicendum est, esum ouorum, & lacticiniorum de Iure communi aliquibus diebus prohiberi. *Auctor.*

3 Probatur secundò directè ex *c. Denique, D. 4.* vbi Sum. Pontifex (qui tunc erat S. Gregorius) interrogatus ab Augustino Anglorum Episcopo (vt benè notat Glossa) An sicuti tempore ieiuniorum abstinemus à carnibus, ita etiam abstinere debeamus ab Ouis, Caseo, Lacte, & huiusmodi. Respondet Sum. Pontifex affirmatiuè: quarè sicuti esus carnium tempore ieiuniorum sub mortali prohibetur, ità similitèr prohibitus erit pro eodem tempore esus ouorum, casei, lactis, & huiusmodi.

4 Maior autem difficultas est, An præsens Cruciatæ priuilegiũ vtile etiam sit pro ieiunijs extrà Quadragesimam. Et quidem affirmare videntur communitèr DD. & meritò, primò quia prohibitio comedendi lacticinia *in c. Denique ci.* ab aliquibus DD. (vt infrà dicetur) extẽditur etiã ad ieiunia extrà Quadragesimã. Secundò quia etiamsi in iure nõ habeamus expressam prohibitionem comedendi lacticinia in ieiunijs extrà quadragesimã, attamen quia in multis regionibus habetur consuetudo immemorabilis abstinendi à lacticinijs in omnibus Sanctorum vigilijs, ac quatuor anni temporibus, ideò cum per hoc Bullæ priuilegium absolutè, & ad libitum detur facultas comedendi lacticinia pro quocunq; anni tempore, consequenter affirmandum, etiam pro ieiunijs extrà quadragesimam hoc priuilegiũ vtile esse. cuius dispensationis satis iusta caussa est eleemosyna taxata, de qua infrà.

DIFFICVLTAS II.

An virtute Cruciatæ possint comedi lacticinia in ieiunijs etiam ex Voto, seu Iubilæo, aut pænitẽtia præscriptis?

5 NEgant *Nauar. in Conf. de Ieiun. l. 3. conf. 5. Graff. p. 1. Dec. l. 2. C. 37. n. 60. & Lublin. p. 1 Sum.* *Nauarr. Graff. Lublin.*

Sum. V. ieiun. dec. 77. primò quia per bullam Cruciatæ conceditur facultas comedendi lacticinia diebus ieiunij ecclesiastici, vt ex eadem bulla satis constat; quarè tale priuilegium cum sit odiosum (vt suprà D. 1. Q. 1. Diff. 2. dictum est) non debet ampliari ad alia ieiunia Voti, Iubilei, & huiusmodi. Secundò quia ex *L. Papinianus ff. de minor.* à diuersis non fit illatio; cum igitùr ecclesiasticum ieiunium sit diuersum à ieiunio ex voto, seu in confessione iniuncto, & alijs huiusmodi, sanè quod de illo dicitur, non benè de his infertur.

Rodriq. Nuñus. Filluc. Trullen. Sanch. Villalob. Lud. à cr. Bardi. 6 Affirmant tamen *Rodriq. §. 6. n. 38. Nuñus in 3. p. §. 8. D. 3. Filluc to. 2. tr. 27. C. 3. n. 58. Trullen. l. 1. §. 4. d. 8. Sanch. l. 4 sum. C. 11. n. 59. Villalob. to. 1. tr. 27. clau. 6. n. 5. Lud. à Cruc. D. 1. C. 5. d. 14. n. 4. Bardi p. 3. tr. 3. C. 2. n. 83.* alijq; cõmunitèr DD. nisi aliud expresè in contrarium pro dictis ieiunijs disponatur. *Auctor.* Et meritò, primò quia hoc Cruciatæ priuilegium comedendi lacticinia extenditur ab eadem bulla ad ieiunia totius anni, sic: *Praterea carnibus de consilio vtriusque medici temporibus ieiuniorum tàm quadragesimalium, quàm quorũlibet aliorum totius anni vesci; ac pro eorum libito, ouis, & lacticinijs, itaquod, qui carnes non comederint, seruata in ceteris ieiunij forma, dicto ieiunio satisfecisse censeantur, &c.*

7 Ex quibus satis patet ad rationes AA. in contrarium; nam dum per bullam Cruciatæ datur facultas comedendi lacticinia in omnibus ieiunijs totius anni, vtiquè sic datur forma, & modus, quo fieri poterunt non solùm ieiunia Ecclesiastica, sed etiam reliqua ieiunia alijs titulis debita, atque adeò quamuis ieiunia ecclesiastica sint diuersa à ieiunijs ex voto, seu pœnitentiæ, vel Iubilæi; virtute tamen Cruciatæ ad vnam formam omnia ieiunia reducuntur.

8 Diximus, *Nisi aliud expressè in contrarium pro ijs ieiunijs disponatur*; nam si vouens ieiuniũ intendat à lacticinijs se etiam abstinere, vel à Confessario strictius ieiunium expresè imponatur pœnitenti, aut in Iubileo, vt v. g. in solis herbis, vel in solo pane, & aqua, tunc certum est, non posse in ijs ieiunijs virtute bullæ lacticinia comedi.

9 Probatur secundò nostra opinio absolutè, & à priori; nã omnis obligatio, quæ de re aliqua inducitur, nisi quid speciale exprimatur, explicari debet eo modo, quo pratticari solet, vt ex multis exemplis ostendi posset; v. g. si quis alteri se obligat eius excolere vineam, vtiquè non nisi consueto modo illam excolere tenetur, ergò dum quis se obligat ieiunare, seu Cõfessarius in satisfactionem peccatorum ieiunium imponit, seu Pontifex pro consecutione Iubilei, nisi aliud exprimatur, de ieiunio in Ecclesia consueto intelligi necesse est. Cum igitur Ecclesiæ ieiunia, virtute Cruciatæ fieri soleant cum ouis, & lacticinijs (vt dictum est) consequenter & omnia reliqua ieiunia eodem modo intelligi debent. Sed videamus, an hoc ipsũ fieri possit absq; bulla Cruciatæ.



DIF-

DIFFICVLTAS III.

An in Ieiunijs ex voto, Iubileo, & pœnitentia possint comedi lacticinia absquè Bulla Cruciatæ?

Rodriq. Riccius. 10 Absolutè negant *Rodriq. §. 6. n. 2. Riccius. ibi. n. 14.* nonnulliq; alij. quorum ratio est, quia dicta ieiunia seruanda sunt eo modo, quo ecclesiæ ieiunia seruantur, quæ per se loquendo, hoc est, nisi alicubi sit consuetudo in contrarium, absquè bulla non admittunt lacticinia.

Trullen. Ortiz. 11 At *Trullen. l. 1. §. 4. d. 8. n. 31. Ortiz. C. 19. sum. n. 9.* alijque id affirmant, quotiès dicta ieiunia extrà tempus quadragesimale inciderint, negant autem, si illa intrà quadragesimam fieri debeant. quorum ratio est, quia intrà tempus quadragesimale prohibentur lacticinia, secùs autèm extrà; vnde ieiunia quatuor Temporum, & Vigiliarum extrà Quadragesimam etiam cum lacticinijs fieri poterunt, nisi sit alicubi consuetudo in contrarium; quarè aliqui DD. putant dicta ieiunia ex Voto, &c. regulanda esse, eo prorsus modo, quo Ecclesiæ ieiunia pratticantur.

D. Anto. Sanch. Herriq. Lud. à cr. Anglès. Auctor. 12 Absolutè tamèn affirmant *D. Anton. 2. p. tit. 6. C. 2. §. 3 Sanch. l. 4. Dec. C. 11. n. 49 Herr. l. 3. C. 13. n. 13. Lud. à Cruc. D. 1. C. 5. d. 14. n. 12. Angles tr. de Ieiun. q. 9. ar. 1.* alijque, & meritò, nam ex vna parte obligatio ad ieiunandum, nisi aliud expresse in contrariū disponatur (vt suprà dictum est) solùm respicit nudam, ac meram substantiam ieiunij vt sic, hoc est, quæ sunt simpliciter necessaria ad saluandam ieiunij essentiam: ex altera verò parte Ieiunium etiam Ecclesiasticum in sua essentia nō inuoluit nisi vnicam comestionem, & ex speciali dispositione nouæ Ecclesiæ abstinentiam à carnibus (vt omnes concedunt) ergò non est, cur supradicta ieiunia ex Voto, Iubileo, & ex pœnitentia ad strictiorem formā coarctemus.

13 Et ratio à priori est, quia omnis obligatio est odiosa, atque adeo strictè interpretanda, & consequenter nisi aliud expressè in contrarium disponatur, nequit inuoluere nisi solam essentiam obiecti, respectù cuius inducitur obligatio, & circumstātias, quæ ex natura sua comitātur eandem obiecti essentiam. iam verò abstinētia à lacticinijs neque est de essentia Ieiunij, neque est circumstantia ex natura sua cōcomitans essentiam ipsius ieiunij, sed tantùm per accidens quoad tempus solùm quadragesimale, atquè adeò siquis cum lacticinijs absquè bulla ieiunaret etiam intrà quadragesimam, quamùis peccaret contrà ecclesiæ præceptum abstinendi à lacticinijs pro dicto tēpore quadragesimali, sufficienter tamen satisfaciet obligationi ieiunandi.

14 Idem dicendum erit in ordine ad consuetudinem, siqua habetur ieiunandi alicubi absque lacticinijs (quod vix credere possum) ex eo quia talis consuetudo non ex natura sua concomitaretur Ieiunium, sed tantùm vt circumstantia omninò per accidens. Ex quibus patet ad rationes in contrarium. Adde, operari contrà huiusmodi consuetudinem, ad summùm esset

veniale, ex eo quia, cum hæc pēdeat ex varijs circumstantijs, (vt ex materia de legibus constat) nullibi de facto videtur cōstare.

DIFFICVLTAS IV.

An sumens Bullam possit comedere lacticinia diebus ieiunij etiamsi in illis non ieiunet?

15 MEmini, quosdam (alioqui nō indoctos viros) acritèr olim contendisse, non posse vi bullæ comedi ad libitum lacticinia in ieiunijs ab Ecclesia statutis, nisi de facto in illis ieiunetur. quorum ratio fundabatur in verbis eiusdem bullæ, in qua postquam conceditur facultas vescendi carnibus, sic subditur: *Ac, pro eorū libito ouis, & lacticinijs; ita quod qui carnes non comederint, seruata in ceteris ieiunij ecclesiastici forma, dicto ieiunio satisfecisse censeantur.* in quibus verbis, Ly *seruata in ceteris ieiunij forma.* volebant esse conditionem, sine qua non possūt comedi lacticinia, nisi reuera forma ieiunij seruetur.

16 Affirmant tamen communitèr DD. posse virtute bullæ comedi absolutè oua, & lacticinia etiam à nō ieiunantibus in diebus, quibus vrget ecclesiasticū ieiunium. Et meritò, nam clarè deducitur ex eisdem bullæ verbis allatis ab AA. pro ipsis; sensùs enim dictorum verborum est, quod comedentes oua, & lacticinia diebus ieiunij, si ceterùm seruent formam ac ritum Ecclesiastici Ieiunij, si nempè vnica vice comedant, hora debita &c. sciant, se optimè ieiunij præcepto satisfecisse, nō obstante ouorū ac lacticiniorū comestione. *Auctor.*

17 Ly igitùr *Seruata in ceteris ieiunij forma*, non est conditio restrictiua, vt AA. opinabantur, sed ampliatiua, & ieiunij cōplitiua si ieiunare velint. ex eo enim, quod dubiū insurgere poterat, An comedentes lacticinia satisfaciāt Ecclesię ieiunio, declarat hic Pōtifex, optimè tali ieiunio satisfecisse, qui in ceteris formā, quæ est ieiunii cōplementum, seruauerūt. Possunt igitùr vi bullæ, comedi oua, & lacticinia, etiamsi ex quacunq; caussa non ieiunetur; vndè quamuis, si absque legitima caussa non ieiunetur, peccetur contra Ecclesiæ præceptum de ieiunio, non tamen peccabitur contra præceptum de non comedendis lacticinijs ieiunij illis diebus.

DIFFICVLTAS V.

An in Dominicis Quadragesimæ possint comedi lacticinia absquè Bulla?

18 AFfirmāt *Gomez. clau. 7. n. 7. Bul. Llamas p. 3. meth. C. 5. §. 26. Cordub. in sum. q. 168. Pasqualig. de ieiuni. dec. 72. n. 7.* alijque recentiores, ex eo quia putant, prohibitionem comedendi lacticinia in *C. Denique, D. 4.* solū cadere suprà dies ieiuniorum quadragesimę: dies autèm Dominici non sunt dies ieiunij. quam opinionem confirmant ex eo, quod in *C. Quadragesima, De consecr. D. 5.* dies Dominici neque dies abstinētię dicuntur. *Gomez. Llamas. Cordub. Pasqual*

19 Negant tamen *Sanch. l. 4. de cal. C. 11. n. 53. Io. Sanci. D. 11. selec. n. 25. Angl. de abst. d. 7. Herriq. l. 7. C. 13. n. 10. Villalob. to. 1. tr. 23. de ieiun. d. 8. n. 1. Trullen. l. 3. decal. D. 2. d. 2. n. 3. Dian. p. 3. tr. 6. res. 80. Bardi p. 2. tr. 3. C. 2. n. 48.* & communiter *Sanch. Sancius. Angle. Herriq. Villalob. Trullen. Diana. Bardi.*

munitér DD. & meritò, nam in *C. Deniq; ci.* vbi est sermo de quadragesima declarat S. Pontifex, *quod in illis diebus, in quibus abstinemus à carnibus, debeamus etiam à lacticinijs abstinere*, non autèm dixit, *Diebus in quibus, ieiunamus*, sed *in quibus à carnibus abstinemus*: iam à carnibus abstinemus non solùm in diebus ieiunij, verùm etiam Dominicis quadragesimæ; vnde dictæ Dominicæ quadragesimæ dicuntur dies abstinentiæ, non quidem propriè, & rigorosæ, vt dies ieiuniorum, sed impropriè, in quo sensu illas sumit *C. Quadragesima ci.* ex quibus patet ad rationes in contrarium. *Auctor.*

20 Nequeunt igitùr per se loquendo, hoc est ex vi Iuris cõmunis, comedi lacticinia Dominicis quadragesimæ absque bulla, poterunt tamen, etiam absque bulla, comedi dictis Dominicis per accidens, hoc est ex vi immemorabilis consuetudinis, quam in Belgio, aliaque alia Regione haberi testãtur passim DD. nam consuetudo habet vim abrogandi humanas leges (vt in materia de legibus probatur) quotiès scilicèt per legitimum temporis spatium, hoc est per 40. vel saltem 30. annos continuos pratticatur; & quidem vi solius consuetudinis Castellani in Hispania licitè comedunt in Sabbatis animalium intestina; multaque alia ieiunia, aliaque Canonum statuta per solam consuetudinem in contrarium, in obliuionẽ abierunt.



DIFFICVLTAS VI.

An absquè Bulla liceat comedere oua, & lacticinia diebus Veneris, & Sabbati?

21 NEgant *Couarr. 4. C. 20. n. 15. Riccard. D. 5. ar. 3. q. 5. Io. Firmia. l. 4. de Epis. p. 2. cas. 107. n. 131. Cordub. q. 6. sum. p. 4. Mandosius in prax. signat. tit. licentia*, nonnullique alij. quorum ratio est, quia olim diebus Veneris, & Sabbati, & similitèr in triduo Rogationum ieiunabatur, vt cõstat ex *C. Sabbato de cõsecrat. D. 3. ex C. Rogationes, ibi. & ex Conc. Aurelianensi can. 26.* atquè adeò, quamùis sublata fuerit dicta obligatio ieiunandi, non ideò censetur etiam sublata obligatio abstinendi à lacticinijs, quæ tũc annexa erat dictis ieiunijs, nam hæc cum fuerint præcepta diuersa, sublato vno, poterit remanere alterum. *Couarr. Riccard. Io. Fimi. Cordub. Mandos.*

22 Affirmant tamen *S. T. 4. D. 15. q. 3. ar. 2. ad 4. Caiet. 2. 2. q. 147. ar. 8. Abulens. in Confess. C. de gul. Syluest. V. Ieiun. §. 5. & 10. Ludo. à Cruc. D. 1. C. 5. d. 15.* & communiter DD. & meritò, nam lacticinia, excepto tẽpore quadragesimali (vt suprà dictum est) pro nullo alio tempore prohibentur in iure; ac proinde si in aliquibus prouincijs esus lacticiniorum non licet, non ex Iure, sed ex sola consuetudine introductum esse, censendum est. *S. T. Caietan. Abul. Siluest. Lud. à cr. Auctor.*

23 Pro plena autem pręsentis Difficultatis intelligentia, sciendum est, Rogationum vsum duxisse originem à *Mameto* Viennæ Episcopo, qui cum ea Ciuitas vrsorum, & luporum incursibus maximè infestaretur, assiduisque quateretur terremotibus, pu-

blicas indixit supplicationes, quas litanias vocant Græci, hoc est Rogationes, ac similitèr publica ieiunia per tres illos dies antè Ascensionem Christi Domini, vt sic ira Dei placaretur: qui mos ex indè in totam Ecclesiam emanauit, ex eo quia tunc Veris tēpore maximè vexemur à morbis, ac gemmantes terræ fructus periclitentur. quoad ieiunia tamen non eodem modo, nam in aliquibus prouincijs sola Vigilia Ascensionis ieiunatur; in alijs etiam feria secunda: in alijs verò nullo die dicti tridui ieiunatur, abstinentur tamen populi à carnibus, sed non à lacticinijs: demū in alijs, vt in nostra Sicilia, etiam carnes toto illo triduo comeduntur, quibus consuetudinibus omninò standum est; nam sicuti consuetudine, Iura, ac leges firmantur, ità dissuetudine legitimè introducta eadem iura, legesq; relaxantur, & abrogantur, *C. fin. de consuetud.*

24 Quoad Veneris autē, ac Sabbati ieiunium, conueniunt DD. fuisse omnibus Christi fidelibus in primitiua Ecclesia latina sub præcepto iniunctum in *C. Sabbato ci.* & ab omnibus tunc etiam plenè obseruatum, die quidem Veneris in honorem Passionis Domini, die verò Sabbati ob mæstitiam Apostolorum ex ipsius Christi morte. Ecclesia autem Græca è contrà, tale sabbati ieiunium nunquam recepit, sed sequuta est Canonem Apost. 64. vbi sicuti nos in Dominica, ita & illi in Sabbato, tanquam Symbolo quietis in cælesti patria perfruendę, à ieiunio soluuntur.

25 An verò in istis ieiunijs fuerint prohibita lacticinia, necne, nullibi legitur, atquè adeò poterant tunc fideles, etiā cū lacticinijs, dictis diebus ieiunare. quarè si progressu temporis ea ieiunia in obliuionem abierunt, non video quomodo ex hoc esus lacticiniorum diebus Veneris, & Sabbati de iure communi auferatur. Ex quibus patet, quàm infirmo fundamento AA. nitantur. Poterunt igitùr diebus Veneris, & Sabbati comedi absque bulla, tantùm lacticinia, prout in tota Ecclesia nunc iam esse vsu receptum, benè testatur *Azor to. 1. l. 7. C. 26.* & communitèr DD. quod est loco dicti ieiunij.

DIFFICVLTAS VII.

Quanam ætate Pueri incipiant indigere bulla pro edendis Ouis, & lacticinijs diebus prohibitis?

26 CONueniūt DD. posse Pueros ante annos discursus, seu discretionis, absque vllo priuilegio, comedere omnibus totius anni diebus non solùm Oua, & lacticinia, sed etiam carnes. Et meritò, nam pueri ante vsū rationis non sunt pręcepti capaces ac proindè etiam alij poterunt dictos cibos ijs Pueris licitè ministrare: si enim licitè comeduntur, & licitè ministrabūtur. eademq; est ratio de ijs, qui quamuis senes, non adhuc tamē ad vsum rationis peruenere, vndè pueris omninò ęquiparātur.

27 Conueniunt similitèr DD. nō possę pueros, completo primo septennio, comedere ampliùs neque lacticinia vetitis diebus absque bulla, aut simili alio priuilegio, si ad perfectum vsum rationis peruenerint. Solùm igitùr controuertitur, An pueri, antè

antè completum septennium, possint absque bulla comedere lacticinia, etiamsi tunc habeant perfectum rationis vsum.

Io Sanc. Pasqual. 28 Affirmant *Io. Sanc. in selec. D. 51. n. 31. Pasqual. de Ieiun. Dec. 50 n. 2.* nonnulliq; alij. quorũ ratio est, quia præcepta *Ecclesiæ*, vniuersalitèr loquendo, non obligant pueros statim ac ad vsum rationis peruenerint, sed post aliquot determinatos annos; sic præceptum ieiunij non obligat, nisi completo 21. anno: & præceptum Communionis cõmuniter non obligat ante duodecimum annũ. Et ratio à priori est, quia omnis lex, cum humano modo procedat, non intẽdit obligare, nisi eos, qui vsum rationis habent, & consequentèr in ea ætate, quandò vsus rationis communitèr præsumitur nempè completo primo septennio. Quod si aliquãdo ante septẽnium vsus rationis habeatur, hoc erit per accidens, & sic non erit de eo curandum.

Sanch. Azorius Merolla. Palaus. Auctor. 29 Negant tamen *Sanch. l. 1. sum. C. 12. n. 6. Azor. to. 1. l. 7. C. 29. q. 6. Meroll. to. 2. D. 4. C. 3. n. 448. Palaus to. 1. tr. 3. D. 1. p. 24. §. 2. n. 5.* alijque, & meritò, nam omnis lex tàm *Ecclesiastica*, quàm Ciuilis absolutè, & absque respectu ętatis lata, obligat omnes, per se loquendo, perfectum vsum rationis habentes. quod siquis ab huiusmodi legibus eximatur, hoc per accidens quidem est ob aliquam scilicet rationem in illo militantem, non autem in alijs: ex eo quia omnis lex non solùm secundùm iustitiam, sed etiam secundùm prudentiam obligare debet. hinc per accidẽs est, quod Pueri ante vigesimum primum annum completum, ab onere ieiunij eximantur, ex eo quia secundùm hominum prudentum existimationẽ, ratione augmenti, ante dictam ætatem, maiori indigent alimento. similiter per accidens ijdem pueri non obligantur communitèr ad pręceptum annuæ Communionis ante duodecimũ annum, ex eo quia ante talem ætatem nequeunt tantum Sacramentum agnoscere, & sic neque ad illud se dignè præparare; atquè adeò quotiès malitia supplet ætatem, totiès à viris doctis obligantur.

30 Iam verò, prohibitio carniũ & lacticiniorum, aliquibus diebus, est absoluta, atquè adeò per se loquendo, obligabit omnes vsum rationis habentes, & consequentèr nequeunt pueri à tali obligatione eximi, neque ante septennium, per se loquendo, si tunc perfectum rationis vsum habeant, nisi per accidens, hoc est ex aliqua rationabili caussa, quæ generalitèr pro tali ætate neque ab AA. assignatur, neque assignari potest, nisi ad summùm respectù alicuius particularis indiuidui malè se habentis alijs cibis, quod non facit ad rem. Ex quibus patet ad rationes in contrarium. Statim ac igitùr puer ad perfectũ vsum rationis certò peruenerit, non poterit ampliùs lacticinia comedere absq; bulla, aut alio simili priuilegio.

Remanet igitùr hìc solùm videre, Quid sit dicẽdum, si de vsu rationis dubitetur. pro quo sit.



DIF-

DIFFICVLTAS VIII.

An Puer, de quo dubitatur, an ad vsum rationis peruenerit, possit absquè Bulla lacticinia comedere?

31 Conueniunt DD. puerum antè septenium completum, si dubitetur, an ad perfectum vsum rationis peruenerit, posse adhuc non solùm lacticinia, sed etiam carnes comedere. Et meritò, nam tunc præsumptio absolutè stat pro puero, atquè adeò melior est conditio possidentis, vt in reliquis dubijs.

32 Difficultas igitùr solùm est, An similitèr puer possit absque bulla comædere lacticinia post completum septẽnium, si adhuc dubitetur an ad perfectum vsũ rationis peruenerit.

33 Negat *Bardi p. 2. tr. 3. C. 4. n. 15.* cuius ratio est, quia completo septennio, præsumptio stat pro lege, quę præcipit abstinendum esse à talibus cibis, eis, qui vsum rationis habent, & sic nisi euidenter constet de opposito, vtiquè præsumitur in tali puero inueniri vsum rationis, & cõsequenter obligabitur ad seruãdam talem legem. conatur autẽ probare absumptum ex vtroque Iure tàm Canonico, quàm Ciuili, in quibus Iuribus ante septennium completum non præsumitur adesse vsum rationis, adesse tamen præsumitur septennio completo. *Bardi.*

34 Affirmare tamen possent alij, nam prohibitio ciborum, sicuti & reliquæ prohibitiones vt odiosæ, strictè sunt interpretãdæ, atquè adeò in dubijs melior est conditio possidentis, possessio autèm stat pro puero, non autèm pro lege, ac proinde incumbit Ecclesiæ probare, talem puerum esse capacem prohibitionis, hoc est habere perfectum vsum rationis. Sed non est discedendum a priori sententia Bardi, cui me subscribo cum reùera præsumptio stet pro lege.

35 Petes hic, An idẽ dicendũ sit de tali puero, in ordine ad reliqua præcepta, nempè ad annuã Confessionem, si peccatum mor. habeat, ad audiendam missam festiuis diebus, ad abstinendum àb opere seruili, & huiusmodi.

36 Respondeo affirmatiuè nam hæc precepta strictiùs obligant, quàm illud. Et quidem præceptum de confessione, vt medium simplicitèr necessarium ad salutem (posito peccato mor.) est potiùs absolutè fauorabile, quã odiosum, atquè adeò possessio stat pro præcepto: pręceptũ autẽ audienda missa, & abstinendi ab opere seruili, pertinet ad religionem de Iure Diuino, humano, ac naturali debitam *Deo*, & sic non est par ratio de omnibus præceptis.

DIFFICVLTAS IX.

An Pauperes ostiatim mendicantes, & agricolæ possint absquè Bulla comedere lacticinia vetitis diebus?

37 Conueniunt DD. posse Pauperes mendicantes ostiatim, comedere absque bulla, oua, & lacticinia, quæ in eleemosynam recepere, etiam diebus ieiuniorum quadragesimalium, dummodò alios cibos à prohibitis non habeant. Et meritò, nam in similibus personis sufficit loco bullæ titulus pau-

pertatis

pertatis. Ecclesia enim vt pijssima mater non obligat cum tãto onere; graue satis onus esset cogere tunc dictos pauperes ad vendendum, vel commutandũ lacticinia, quę in eleemosynam receperunt, in alios cibos non prohibitos (quibus carere supponimus) nequè illos vnde emere, habeant.

38 Conueniũt similiter DD. posse etiam Agricolas, modo dicto absq; bulla, comedere oua & lacticinia diebus adhuc prohibitis, quotiès in aliqua parte inueniuntur, vbi pisces nõ sunt. Et meritò, nam ieiunium absque piscibus & lacticinijs est valdè rigorosum, & extraordinarium: intentionis autèm pijssimæ matris Ecclesię non videtur esse obligare fideles ad tam rigorosũ & extraordinarium ieiunium; atq; adeò cùm in tali casu magis vrgeat pręceptum de Ieiunio, quàm de abstinendo à lacticinijs, consequentèr vt ritè adimpleatur ieiunium, debet cessare prohibitio comedendi lacticinia.

39 Ex dictis sequitur, licitũ similiter esse in casibus positis ministrare domesticis, seu operarijs, qui in excolendis agris laborant oua, & lacticinia; nam si dicti Operarij in talibus circumstantijs comedunt lacticinia absque peccato, consequenter etiam absque peccato poterunt illis lacticinia ministrari. Et eadem est ratio de reliquis, si in similibus circumstantijs inuenirentur, quamuis de Agricolis specialitèr quęstionem instituerimus.

40 Obiter hic quęri potest, An siquis die Ieiunij solam carnem haberet, posset illam comedere, non obstante obligatione ieiunandi, etiamsi penam ad sufficientiam haberet?

41 Affirmat absolutè *Pasqual. dec.* 49 primò quia Ecclesia quãdo prohibet carnes, non intendit nisi illam corporis macerationem, quę ex sola abstinentia à carnibus oritur, non autem aliam maiorem, & extraordinariam, qualis est in sola panis comestione, atque adeò cùm nequeat lex Ecclesiastica seruari absque tali extraordinaria abstinentia, vtiquè cessabit obligare. Secundò quia dicta lex intantùm prohibet carnes, inquãtùm relinquit, posse nos reliquis cibis pro nostro libito commodè cibari: cum igitur in casu posito habeatur carentia omniũ aliorum ciborum non prohibitorum, dicendum erit, talem legem in dicto casu non obligare. *Pasqual.*

42 At *Angles q.9. de Ieiu. ar.1. d.4. appen.1. Vega to. 1. sum. C.14. cas. 28. & Bardi tr.3. C.4. n.23.* id affirmant, quotiès carentia ciborum non prohibitorum durabit per plures dies, secùs autem si pro vno solo die talis penuria habeatur. Et meritò, nam ex vna parte pręcepta Ecclesię positiua, nisi aliquod magnum, & extraordinarium incommodũ inde habeatur, seu prudentèr timeatur, semper obligabunt. ex altera verò parte non videtur tam grande, & extraordinarium incommodum pro vno solo die carere omni obsonio, si alioqui sufficienter panis habeatur, quando de Deucletiano, alijsque testentur Historię, vna integra die singularum hebdomadarum, ab omni escarum genere se abstinuisse, sola valetudinis caussa. *Angles. Vega. Bardi. Auctor.*

43 E contrà verò, quia solo pane plures dies transigere, videtur

tur abstinentia satis extraordinaria, ac rigida, pro quo casu vtiquè militant *Pasqualiqui* rationes suprapositę; consequentèr in hoc secundo casu cessabit lex ecclesiastica, neque ampliùs obligabit; atquè adeò siquis tūc cum pane misceret carnes, non peccaret. Spectari tamen semper debet complessio, ac personę qualitas; potest enim contingere, vt quis sit adeò debilis valetudinis, & complessionis, vt satis difficulter transigere possit solo pane neque vnicum diem, vndè in tali casu iste, neque per vnicum diem, obligandus est ad solius panis comestionem.

DIFFICVLTAS X.

An absque Bulla Cruciatæ possint comedi lacticinia ratione solius Commensalitatis?

44 HErriq. *in sum. l. 7. de Indul. C. 13. n. 10. & Trullen. l. 1 §. 4. d. 6.* referunt, aliquos illustres Dynastas regni Aragonię obtinuisse à Pontifice priuilegium comedendi oua, lacticinia, sagimen, & huiusmodi in omnibus totius anni ieiunijs, cum ampliatione ad Commēsales ipsius principalis priuilegiati. Videndum igitùr hic erit, An bulla Cruciatę aliquid valeat circà vsum prędicti priuilegij. *Herriq. Trullen.*

45 Iam verò conueniunt DD. quemlibet priuilegiati Commēsalem cuiuscumque status, & cōditionis posse lacticinia comedere absquè bulla Cruciatę, sed solius Commensalitatis titulo. Et meritò, nam conditio sub qua extenditur supradictum priuilegium, est sola commensalitas, ergò posita hac commēsalitate, nihil aliud requiritur ad illius effectum, etiamsi aliunde ab esu lacticiniorum excludantur; eo modo quo in superiori Disp. diximus de *Domesticis*, Familiaribus & Consanguineis principalis priuilegiati vl Cruciatę tempore Interdicti.

46 Conueniunt similiter DD. ad hoc vt principalis priuilegiatus gaudeat supradicto priuilegio tàm pro se quàm pro suis Commensalibus, habere debet bullā Cruciatę. *E*t meritò, nam omnia priuilegia per publicationē Cruciatę (vt infrà dicemus) suspenduntur, & deinde reualidātur per eiusdē Cruciatę susceptionem, atquè adeò nisi principalis priuilegiatus sumat bullam Cruciatę, neque pro se, neque pro alijs suis commensalibus valebit suum priuilegium.

47 Dubitatur solùm, An sub nomine Commensalium intelligantur soli inuitati à priuilegiato, vt in eadem mēsa comedant, an etiam qui in eadem domo cohabitant cum principali, eiusque expensis viuunt?

48 *Bardi p. 2. tr. 3.* C. 2. *n.* 44. putat, nomine Commensalium intelligi solos inuitatos. mouetur ex eo, quia huiusmodi priuilegia conceduntur in honorem inuitantis; & ad hoc vt plures in eodem conuiuio reperiātur atquè adeò nisi aliud in ipso priuilegio exprimatur, soli inuitati per Commensales designantur. pręsertim cum huiusmodi priuilegia sint odiosa, strictè erunt interprętanda. *Bardi.*

49 Dicendum tamen puto, nomine Commensalium intelligi omnes illos absolutè, qui in eadem mensa comedunt cum priuilegiato, siue cum illo in eadē domo viuunt, siue non sed solùm pro aliquibus vicibus inuitantur

tantur

tantur. Probatur, nam Commēsalis, adhuc in omni rigore est, qui cum alio in eadem mensa comedit, vt patet; ergò non est, cur viuentes in eadem domo excludantur à participatione supradicti priuilegij imò hi magis dici debent commensales ipsius principalis priuilegiati, cum quo in eadem domo continuò viuunt, quàm inuitati, qui pro aliqua vice tantùm cum priuilegiato in eadem mensa comedunt.

50 Quod autèm hoc priuilegiū sit odiosum, vltrò do, sed odium priuilegij numquam læditur, si illius verba rigorosè interprætentur, ex quibus patet ad rationem in contrarium.

DIFFICVLTAS XI.

An Ieiunij collatio fieri possit cum lacticinijs ouisque saltem vi Bullæ?

Bonat. Pasqual 51 AFfirmant absolutè *Bonac. D. vlt. de. leg. p. 3. q. 1. n. 3. & Pasqual. de ieiun. dec.* 115. asserentes in tali collatione attendēdam esse solam quantitatem, non autem qualitatem ciborum; atque adeo secundùm hanc opinionem, cum vi bullæ permittantur lacticinia, ouaque omnibus ieiuniorum diebus, consequenter vi eiusdem bullæ poterit fieri collatio cum lacticinijs, ouisque in parua tamen quantitate, &c.

Riccius. 52 At *Riccius in Add. ad. §. 6.* quamuis id affirmet de lacticinijs, non audet tamen similiter affirmare de ouis. Sed sibi non cohæret, nam lacticinia, & oua quoad hoc æquiparantur.

53 Negant tamen absolutè reliqui omnes DD. quamuis (quod miror) nullam pro se innuant rationem; meritò tamen id negant, nam permissio talis collationis ex sola consuetudine est contra ius positiuum Ecclesiæ de Ieiunio, & sic vt vulnus iuris (iuxta supradicta *D. 1.* q. 1. n. 8.) omninò strictè sumi debet; atque adeo nisi extet alicubi immemorabilis consuetudo faciendi collationem etiam cum lacticinijs, nullo pacto ita fieri poterit: huiusmodi autem consuetudo faciendi collationem cum lacticinijs, non est adhuc in nostra Sicilia, neque alibi, prout apud Scriptores hucusque diligenter adnotaui. Auctor.

54 Vt autem bullæ solùm comedi possunt lacticinia, &c. at collatio, rigorosè loquendo, prout hic loqui debemus (vt dictum est) non est absolutè comestio. quarè nego dictorum AA. absumptum vt nullo nitens fundamento, putoque oppositam sentētiam esse temerariam, vt tollentem de medio ieiuniū tàm salubriter, ac sanctè ab Ecclesia præceptum.

55 Ceterùm ex consuetudine hodie fieri poterit collatio cum omnibus frugum generibus tàm recentibus, quàm passis: cum asparagis, alijsque herbis, seu oleribus etiam coctis per modū ensalatæ: cum pisciculo, seu frustulo piscis magni: cum pane & biscocto, alijsue dulciarijs, etiamsi illis ob teneritudinem admisceatur quid sagiminis, quod puto in auras euanescere, nō autem si cum lacte, aut ouis fuerint subacta: similiter cum melle sapa, seu musto cocto, &

huiusmodi, quæ secundæ mensæ fercula à Latinis dicuntur; in ea tamen quantitate, quæ apud DD. videre est, & nos, Deo dãte cùm de temperantia, vbi tot DD. inter se dissidentium placita, ad vnum principium reducemus.

56 Quod si quis laboret stomacho, capite, &c. vnde alio indigeat ciborum genere pro collatione, consulet priùs Medicos corporales, deinde spirituales, qui verè tamen spiritum sapiant prudentiamque.

QVÆSTIO III.

De Personis, quæ ab hoc priuilegio Cruciatæ edendi lacticinia excluduntur.

PRæcipuè hic agemus de Personis ab hoc priuilegio comedendi lacticinia exclusis, quibus cognitis facili quidem negotio dignoscuntur & reliquæ personæ in dicto priuilegio ininclusæ. Et quidem presens Quęstio procedit pro solo tempore Quadragesimali, nã extrà Quadragesimam, certum est, quẽlibet cuiuscũque gradus & conditionis posse vi Cruciatæ pro libito Oua, & lacticinia comedere.



DIFFICVLTAS I.

Quomodo Patriarchæ, & Primates à priuilegio Cruciatæ comedendi lacticinia excludãtur?

1 PErsonæ à præsenti Cruciatæ priuilegio comedendi lacticinia exclusæ, pro tempore Quadragesimæ, sũt Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi alijq; Prælati inferiores, necnon Regulares, omnesq; Presbyteri etiã sæculares, nisi sint sexagenarij. hæc enim omnium prædictarum personarum genera, cum debeant esse reliquis abstinentiora ratione status, & dignitatis, meritò ab esu lacticiniorum excluduntur, saltem tẽpore quadragesimali: de quibus singillatim dicendum erit.

2 Patriarchæ igitùr, & Primates (qui primum omnium à dicto Indulto excludũtur) quàmuis largè loquendo, & consequentèr in fauorabilibus non differant inter se, strictè tamen loquendo, & consequenter in odiosis, vtiquè inter se differũt. sub Patriarcharum igitur nomine, rigorosè loquendo, solũ veniunt quatuor principales Patriarchæ, qui in Ecclesiastica Hierarchia immediatè post Sũ. Pontificem sequuntur, nempè Constantinopolitanus, Alexãdrinus, Hierosolimitanus, & Antiochenus, de quorum Patriarcharũ dignitate, & iurisdictione suprà reliquos Pręlatos, agũt cõmunitèr DD. in suis ꝓprijs locis.

3 Nomine aũt Primatũ veniunt reliqui alij minores Patriarchæ, vt Aethiopensis, Indianus, Gradensis, Aquileiensis, & huiusmodi, qui post supradictos quatuor Patriarchas in dignitate Ecclesiastica sequuntur, vndè rigo-

rigorosè loquendo, non dicuntur absolutè Patriarchæ, sicuti primi quatuor, sed tãtùm Primates, quamùis largè, & in fauorabilibus, (vt dictum est) etiam Patriarchæ dicantur. tàm isti igitùr, quàm primi quatuor nequeunt virtute huius bullæ solius comedere lacticinia tēpore Quadragesimæ; quomodò autèm possint illa comedere virtute alterius bullæ, dicetur infrà Q. 4.

DIFFICVLTAS II.

Quomodo Archiepiscopi, & Episcopi à dicto priuilegio comedendi lacticinia excludantur?

4 ARchiepiscopus est caput Episcoporum, & dicitur Metropolitanus, præestque toti Prouinciæ, seu Vallo, & consequentèr potest exercere suam iurisdictionē suprà plures Diœceses, præsertim tempore visitationis. Episcopus autèm est, qui preest vni tàntùm determinatæ Diœcesi.

5 Conueniũt igitùr DD. excludi ab hoc priuilegio tã Archiepiscopos, quã Episcopos, dũmodo sint consecrati, secùs autem si sint solùm electi. Et meritò, nã per solam electionem neq; dignitatem, neque iurisdictionem Episcopalem, seu Archiepiscopalem acquirunt, atquè adeò nõ debent in presenti exclusione, quæ est odiosa, includi, nisi ex alio capite includantur, vt si sint sacerdotes, seu regulares, vt infrà dicemus.

6 Solùm autem controuertitur, An Episcopus, seu Archiepiscopus à Sum. Pontifice confirmatus, sed non adhuc consecratus, excludatur etiam à dicto priuilegio, itaut à puncto Confirmationis nequeat ampliùs virtute huius bullæ comedere lacticinia.

7 Et quidem negant *Rodriq. in Add. ad §. 6. n. 8. & Lud. à Cruc. D. 1. C. 5. d. 17. n. 3.* quorũ ratio est, quia licèt post Confirmationē acquiratur Episcopalis Iurisdictio, non tamen per solam confirmationē potest quis dici verè Episcopus, nisi post consecrationem, & consequentèr ante consecrationem nequit in odiosis (vt est præsens exclusio) sub nomine Episcopi compræhendi. *Rodriq. Lud. à cr.*

8 Affirmant tamen *Trullen. l. 1. §. 4. d. 5. n. 2. Bardi. p. 2. tr. 3. C. 2. n. 18.* aliique, & meritò. primo quia Episcopus per solam confirmationem, adhuc etiam antè consecrationem, acquirit iurisdictionem tàm spiritualem, quàm temporalem in tota sua Diœcesi, vnde potest indulgentias concedere, Confessarios approbare, Censuras ferre, &c. ergò est verè, & absolutè Episcopus, & consequentèr sub absoluta Episcopi appellatione (vt est de facto præsens exclusio) venire debet. vndè patet ad rationem AA. in contrarium. *Trullen. Bardi. Auctor.*

9 Secundò quia, si sub nomine Episcopi hęc excluderentur soli Episcopi consecrati, vtiq; inutilis, ac superflua esset præsens hæc Episcoporũ exclusio. Probatur, nam consecratio Episcopalis necessariò præsupponit in eodem Episcopo consecrando sacerdotium, & consequentèr Episcopi iam cõsecrati sufficiēter excluderentur ab hoc priuilegio sub nomine Sacerdotum, (vt patet ex supradictis, & meliùs ex infra dicendis Diff. 4.) ergò nisi hæc Episcoporũ exclusio

extendatur etiam ad Episcopos tantùm confirmatos, vtiquè omninò inutilis, & superflua esset præsens Episcoporum exclusio.

16 Ex dictis sequitur, tàm Episcopos, qui Episcopatui renunciarunt, quàm etiam solùm Titulares, si consecrati sint, non posse virtute huius bullę comedere lacticinia tempore Quadragesimali, tùm quia necessario Sacerdotes sunt, tùm etiam quia absolutè sub nomine Episcopi veniunt; secùs autem si sint solùm electi, vel etiam confirmati, ex eo quia tunc cum careant omni iurisdictione, non habent, vndè sub nomine Episcopi compræhēdantur, saltem in odiosis, vt est præsens exclusio: nisi tunc ex alio capite impendiantur, vt si fuerint sacerdotes, vel regulares.

DIFFICVLTAS III.

Quinam sint Inferiores Prælati, qui à Bulla priuilegio edendi lacticinia excluduntur?

11 QVamuis sub nomine Prælati, largè loquendo, veniant omnes Clerici curam animarum habentes; attamen rigorosè loquendo, prout sumi debet in præsenti exclusione, vt in re odiosa, dicitur *Prælatus* ille solùm, qui habet iurisdictionē ordinariam, & spiritualem in proprios subditos, vnde dicitur etiam Iudex illorū Ordinarius.

12 Quarè Abbates, & Archimādritæ, qui respectù Abbatuum sunt sicuti Archiepiscopi respectù Episcoporum; similiter Religionum Generales, Prouinciales, Guardiani Priores, Rectores, Correctores, Præpositi, & reliqui huiusmodi superiores locales, qui supradictam habent Iurisdictionem Ordinariam, & spiritualem, omnes inquam, quousque in tali prælatura inueniuntur, nequeunt virtute huius bullæ tempore quadragesimali lacticinia comedere, & hoc ex vi præsentis exclusionis sub nomine inferioris Prelati; secùs autem illi qui largè loquendo, dicuntur Prælati; ex eo quia exclusio hæc est odiosa (vt dictum est) nisi ex alio capite impendiantur.

DIFFICVLTAS IV.

Quomodo Regulares, omnesque Presbyteri, etiam Sæculares à dicto priuilegio comedendi lacticinia excludantur?

13 EXcluduntur quartò à dicto priuilegio edendi lacticinia omnes Regulares, hoc est omnes, & singuli qui tria essentialia Vota Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ emiserunt in aliqua Religione approbata à Sum. Pontifice, & coram Prælato, vel alio ex ipsius commissione legitimè acceptāte, siue Clerici sint, siue laici etiam fœminæ Moniales, quæ cum sint in omni rigorè Regulares, necessariò sub hac exclusione includi debent, quousquè tamē in religioso statu permanserint: vnde siquis ex enumeratis, ex aliquo capite soluatur à tribus dictis votis, similiter à præsenti exclusione liberabitur, nisi ex alio capite sub dicta exclusione perseueret, vt si fuerit sacerdos &c.

14 Ex quibus patet ex vi præsētis exclusionis non excludi Nouitios

uitios, etiamsi dicta tria Vota priuatim ex deuotione emiserint; neq; Tertiarios, seu Tertiarias, neque Oblatos, seu Terzinos, aut Eremitas, & huiusmodi, nam hi omnes ex defectu trium Votorum substantialium saltem solemnitèr emissorum, nequeunt dici rigorosè regulares, & consequenter nequeunt compræhendi in odiosis, sic hi poterunt virtute huius bullæ lacticinia comedere, etiam tēpore quadragesimali. An verò idē dicendum sit de Regularibus Ordinum militarium dicemus Diff. sequenti.

15 Excipiuntur vltimò Sacerdotes etiam sæculares, qui sicuti ac reliqui supradicti ecclesiastici, vt à laicis etiam different, meritò à lacticiniorum comestione, saltem tempore quadragesimali, per hanc bullam similiter prohibentur. Sed videamus an idem dicendum sit de Sacerdotibus Ordinum militarium.

DIFFICVLTAS V.

An Regulares, & Sacerdotes Ordinum militarium, à priuilegio comedendi lacticinia similiter excludantur?

16 Regulares, saltèm non Sacerdotes, Ordinū militarium non excludi à supradicto Cruciatæ priuilegio comedendi lacticinia, certissimū est; apertè enim in eadem bulla cōceditur ijs absolutè vsus carniū, ouorum, & lacticiniorum, sic: *Sub hoc Indulto vescendi carnibus, ouis, & lacticinijs comprabenduntur omnes cuiusuis militię regulares*; atquè adeò virtute huius bullæ poterunt, etiam quadragesimali tempore, comedere lacticinia non solū Equites S. Iacobi Alcantariæ, Calatrauę, S. Stephani, & huiusmodi qui propriè nequeunt appellari Regulares, sed etiam Equites Hierosolimitani, qui in omni rigore Regulares sunt; qui tamen cum non seipsis solis vacent, vt communitèr reliqui Regulares Claustrati, sed inter Bella contrà hostes Christiani nominis vt plurimùm viuant, plurimùmque desudent, meritò ex hoc communi bullæ priuilegio comedendi lacticinia, à Sum. Pontificibus non excluduntur.

17 Difficultas igitùr solùm est, An supradicti Equites gaudeant dicto priuilegio comedendi lacticinia virtute huius bullæ, etiam tempore Quadragesimali, si fuerint Sacerdotes.

18 Negant *Villalob. to. 1. tr. 27. Clausf. 6. n. 9. & Bardi tr. 3. ci. C. 2. n. 25.* quorum ratio est, quia in eadem bulla (vt supra n. 15. diximùs) omnes Sacerdotes absolute, & absquè vlla limitatione ab esu lacticiniorū in quadragesima excluduntur, ergò immeritò exciperentur dicti Sacerdotes Ordinum militarium. Quod si in eadem bulla absolutè dicitur: *Sub hoc Indulto vescendi carnibus, ouis, &c. cōprahendi omnes cuiusuis militia regulares*, id solùm est ratione status, qui non tollit, quin ratione alicuius annexi possit aliquis tali priuilegio priuari qui alioquin nudè sumptus eodem priuilegio gauderet. *Villalob. Bardi.*

19 Affirmant tamèn aliqui, quos tacito nomine refert *Villalob. ci.* & meritò, nam quamuis absolutè, & absquè vlla limitatione excludantur Sacerdotes ab esu lacticiniorum tempore quadragesimæ: *Auctor.*

gesimæ: è contrà tamen, & absque vlla etiam limitatione, Regulares Ordinum militarium includuntur in dicto priuilegio edendi lacticinia tempore quadragesimæ; atque adeo si stemus in verbis bullę, *vt sic sumptis*, nō videtur maior ratio, cur dicti Sacerdotes Ordinum militariū debeant potiùs excludi *vt Sacerdotes* à tali priuilegio, quàm includi *vt Regulares* Ordinum militarium.

20 Quia tamen in eadem bulla (vt illam legenti patebit) priùs absolutè excluduntur Sacerdotes, ac posteriùs excipiuntur similiter absolutè dicti Regulares Ordinum militarium, consequēter præsumendum est (vt communitèr fit in eiusdem ordinis, ac generis statutis inter se contrarijs) partem posteriorem derogare parti priori, si quid altera cum altera in aliquo pugnaret. Ex quibus patet ad rationē AA. in contrarium.

DIFFICVLTAS VI.

An Cardinales à Bulla priuilegio comedendi lacticinia, excludantur?

21 CONueniunt DD. non excludi à dicto priuilegio bullę comedendi lacticinia, Cardinales prout Cardinales sunt, ex vi pręsentis exclusionis. Et meritò, nam cum in bulla non fiat de illis mentio, immeritò sanè excluderentur à communi priuilegio edendi virtute Cruciatę lacticinia.

22 Difficultas igitùr solùm est, An alio titulo excludi possint, vt si fuerint Patriarchę, seu Primates: Archiepiscopi, seu Episcopi: siue sacerdotes, seu Regulares modo supradicto &c.

23 Et quidem Negat *Mendo D. 18.C.2.n.7.* primò quia in odiosis non comprehenduntur Cardinales, nisi exprimātur, hìc aūt non exprimuntur. Secūdò quia ipsa non expressio indicat non comprehendi. Tertiò quia in bulla parua lacticiniorum Ecclesiasticis concessa (de qua nos Q. sequenti) non asseritur concedi Cardinalibus, quibus vtiquè concedenda erat, si semel fuissent exclusi. *Mendo.*

24 Affirmant tamen *Rodriq. in Add. ad §16.n.9. Lud. à Cruc. D.1. C.1. d.3. Trullen. l.1.§.1.d.5. Bardi p.2.tr.3.se.2.n.21.* & communitèr DD. & meritò, nam dum à supradicto priuilegio bullę edendi lacticinia, expresè, & positiuè excluduntur Patriarchę, Primates Archiepiscopi, Episcopi, Sacerdotes, Regulares, & huiusmodi, vt suprà dictū est, nulla quidem apparet ratio, cur si Cardinales fuerint Patriarchę seu Primates, vel Sacerdotes, aut Regulares & huiusmodi, non excludantur similitèr vt tales à dicto priuilegio, quamuis alioquin vt simplices Cardinales minimè exclusi fuerint. Et pręsertim quia Cardinales hic non explicitè, & positiuè excluduntur à dicto priuilegio, sed tantùm consequentèr & negatiuè hoc est per non inclusionē; è contrà verò Patriarchę, & huiusmodi expressè, & positiuè excluduntur ab illo, atquè adeò concurrentibus ijs dignitatibus in vno, eodemque indiuiduo, vtiq; pręualebit exclusio expressa, & positiua, non autem consequens, & negatiua. *Rodriq. Lud. à cr. Trullen. Bardi. Auctor.*

25 Quod autèm asserit primò *Mendo*, in odiosis non comprehendi Cardinales, nisi exprimantur,

mantur, non est absolutè verum; nam onus residendi curam habentium animarum, & Episcoporum visitandi limina Apostolorum, vt sic impositum, compræhendit etiã Cardinales Episcopos, & curam animarum habentes &c. esto verificari possit in casu aliquo dubio, & simili, sed tunc non erimus in casu. Ad secundam autem *Mendi* rationem patet ex dictis, solùm .n. probat, Cardinales vt tales non includi, non autèm quod positiuè excludantur, vel quod non possint alio titulo excludi.

26 Tertia similiter *Mendi* ratio nihil probat; nam lacticinia cõcedenda erant in bulla parua; sub ijsdem terminis, sub quibus negabantur in bulla magna, in qua Patriarchis, Primatibus Archiepiscopis, &c. cum directè, & per se negentur lacticinia, directè similiter, & per se eadem conceduntur; Cardinalibus verò cùm solùm indirectè, & per accidens, hoc est non ratione sui, sed solùm ratione alterius annexi, si fortè in illis inueniretur (vt probatum est) consequẽter non directè, & per se concedenda erant lacticinia in bulla parua Cardinalibus, quia vt tales ea bulla non indigent, benè tamen indirectè, & per accidens illa conceduntur, si scilicet ratione alterius annexi illa indigerent.

27 Ceterùm à supradicto Cruciatæ priuilegio nemo prorsus Sexagenarius excluditur, vt expressè in eadem bulla habetur. circa quod tamen dubitatur, An dictus annus Sexagesimus debeat esse completus, an verò sufficiat, vt sit tantùm inchoatus pro quo sit.

DIFFICVLTAS VII.

An Annus Sexagesimus requisitus ad includendas in priuilegio edendi lacticinia vi bullæ personas suprà exclusas, debeat esse completus?

28 FVsè, more solito, exagitat hanc Difficultatem *Bardi* *ci. se. 3.* vbi tandem concludit, annum sexagesimum in præsenti casu requisitum, debere esse completum, ex eo quia dictum priuilegium, quoad hunc effectum, est odiosum, cum sit contrà cõmunem legem, quæ præcipit abstinentiam à lacticinijs, ac proinde erit strictè explicandum, & consequenter ad hoc vt supradictæ personæ à tali priuilegio exclusæ, possint vesci lacticinijs etiam tempore quadragesimali, sicuti & reliquæ personæ non exclusæ, debent annum sexagesimum compleuisse. *Bardi.*

29 Dicendum tamen puto, sufficere in præsenti casu sexagesimum annum adhuc inchoatum & tantùm inceptum. Probatur, nã ex *L. Qua ætate, ff. de Testam.* cum communi DD. consensu, benè annus inceptus haberi potest pro completo, vnde annus 25. requisitus ad Sacerdotium sufficit, vt sit inceptus: similiter ad contrahendum matrimoniũ sufficit vt masculus decimum quartum annum attigerit, & fœmina similiter duodecimum, &c. ergò idem dici poterit in præsenti casu.

30 Ad rationem autem *Bardi* in contrarium, dico, quod licet præsens priuilegium quatenùs concedit esum ciborũ de Iure commu-

communi prohibitorum, sit odiosum respectù ipsius Iuris, & consequenter sit interpretandum, quoad fieri potest, in fauorem eiusdem Iuris; attamen idem Priuilegium, stante dicta concessione, ac relaxatione Iuris communis, inquantùm excludit à dicta cõcessione supradictas Ecclesiasticas personas, est vtiq; satis fauorabile respectu ipsius Iuris communis, & è contrà odiosum respectù personarum exclusarũ, atque adeo exclusio cum omnibus suis partibus explicari debet, quoad fieri potest, in fauorem dictarum personarum exclusarum, non autem Iuris. Adde, per aliquos (vt initiò diximus) omnia Cruciatę priuilegia esse fauorabilia, & sic largè interpretanda.

DIFFICVLTAS VIII.

An Prælati, Regulares, Sacerdotes, & reliquæ personæ suprà exclusæ, possint, saltem in Dominicis Quadragesimæ, vi huius Bullæ lacticinia comedere?

Herriq. Angles. Vega. Rodriq.

31 NEgant *Herriq.l.7.C.13.n.10.Angles in flor.q.9.ar.1.dif.7.Vega to.1.sum.C.14.cas.29.Rodriq.§.6.n.8.* & alij. quorũ ratio est, quia in bulla Italica auctoritate commissarij Generalis edita, sic habetur: *In questo Indulto di mangiar Oua, & cose di latteà suo arbitrio, non si comprendono li Patriarchi, Primati, Arciuescoui, Vescoui, ne altri Prelati inferiori, ne qualsiuoglia persona regolare, ne Sacerdoti etiam secolari, in quanto alli giorni di Quaresima solamente* cum igitur dicatur; *In quanto alli giorni di Quaresima*, videntur iam supradictę personę ab esu lacticiniorum exclusę pro omnibus absolutè diebus Quadragesimę, atq; adeo pro ipsis etiam Dominicis Quadragesimalibus.

32 Affirmãt tamẽ *Villal. to.1.su.tr.27.clauf.6.n.7.Gomez clauf.7.n.7.Nuñus in 3.p.to.2.tr.de Bull.§.8.d.5. Fernãd.p.3.exa.C.9.§.5. Trull.l.1.§.4.d.18.Pal.4.D.15.d.8.Cordub.q.168.Llam.p.3.sum.C.5.§.26.Bardi p.2.tr.3.C.2.n.63.* alijque communiter. Et meritò, primò, quia in bulla latina omnes supradictę personę excluduntur à priuilegio comedendi lacticinia, *quoad Quadragesimalia ieiunia*; dies autem Dominici non sunt dies ieiunij, vt patet ergò &c. Quod autẽ Commissarius Generalis vertat *Dies quadragesimæ*, idem prorsus sonat, ac ieiunia quadragesimalia; dies enim Dominici (rigorosè loquendo) non includuntur in Quadragesima, alioquin esset potiùs Quinquagesima, quàm Quadragesima. Ceterùm in dubijs, bullę latinę omninò standum est.

Villalob. Gomez. Nuñus. Fernand. Trullen. Palat. Cordub. Llamas. Bardi.

Auctor.

33 Probatur secundò, quia virtute huius bullę (vt suprà diximus) conceditur Presbyteris etiam Regularibus, alijsque Prelatis absoluta facultas comedendi lacticinia omnibus alijs ieiunijs vigiliarum, & quatuor temporum extrà Quadragesimam, quod est quid maius; ergò satis prudenter existimandũ est hoc ipsum concedi eisdem in Dominicis Quadragesimę, cum sit longè minus.

34 Quod autem pro opposita sententia asserit Rodriquez *ci.* nempè, fuisse à sede Apostolica declaratum, omnes supradictas personas suprà exclusas, non posse

posse

posse neque Dominicis Quadragesimæ vi huius bullæ comedere lacticinia; Dico, dictam declarationem nulli alij constare, præter ipsum, ac proinde donec nobis legitimè innotescat talis declaratio, prudentiùs existimamus adhærere bullæ latinæ. Omnes igitùr cuiuscunque gradus, ætatis, & conditionis poterunt vi solius huius bullæ comedere lacticinia in Dominicis Quadragesimæ.

QVÆSTIO IV.

De Bulla comedendi lacticinia ab Vrbano VIII. Ecclesiasticis cõcessa.

IN superiori Quæstione vidimus, quomodo Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, alijque Prælati inferiores, omnesque Presbyteri etiam sæculares, necnon & Regulares, Ordinum tamen non militarium, nequeunt vi Cruciatæ comedere lacticinia in ieiunijs quadragesimalibus; in præsenti verò videndum est, quomodo hoc idem, eisdem supradictis ecclesiasticis personis concedatur ab Vrbano VIII. die 13. Iunij 1624. vi cuiusdam specialis bullæ, circà quam breuiter discutiendum erit, Quomodo, sub quibus conditionibus, & an omnibus supradictis Ecclesiasticis personis, in superiori Quæstione exclusis, absoluta facultas comedendi lacticinia hic concedatur.

DIFFICVLTAS I.

An Bulla hæc parua sit Bulla omninò distincta à Bulla Generali Cruciatæ?

1 RESpondeo negatiuè. dico .n. hanc bullam paruam esse veluti appendicem, seu partem bullæ Cruciatæ Generalis, vel illius extensionem, inquantùm bulla generalis non extendebatur quoad esum lacticiniorum ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque inferiores Prælatos &c. per hanc verò bullam ad omnes illas personas extenditur. *Auctor.*

2 Hinc bulla ista particularis nullum habebit valorẽ, nisi pro ijs locis tantùm, in quibus bulla Cruciatæ generalis publicatur, ac sub eisdem prorsus conditionibus, hanc concedi dicendum est, sub quibus dicta bulla generalis conceditur, nempè vt verè, & de facto suscipiatur, neque sufficiat ad eius valorem intentio illã recipiendi: vt sumatur ex bonis à Deo collatis, hoc est non furtiua pecunia, & huiusmodi.

3 Quanta verò esse debeat eleemosyna pro præsẽtis bullæ sũptione, secundùm diuersitatem personarum variatur, prout in calce eiusdem bullæ videre est. An verò hæc parua bulla valeat, etiamsi altera bulla vniuersalis non sumatur, vel an si reuocetur non adhuc transacto tempore bulla Cruciatæ Generalis, intelligatur consequenter etiam reuocata bulla hæc particularis dicetur Diff. sequenti.

DIFFICVLTAS II.

An hæc parua Bulla suam habeat efficaciam, etiamsi altera Bulla generalis non sumatur?

Bardi. *Auctor.* 4 AFfirmat *Bardi p.2.tr.3.C.2 n.79.* & meritò, nam hæc parua bulla continet priuilegiũ omninò distinctũ à priuilegijs, quæ virtute alterius bullę vniuersalis conceduntur. neque Sum. Pontifex illam concedit cum hac limitatione; & sic Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, alijque inferiores Prelati, &c. poterunt virtute solius huius bullæ comedere oua, & lacticinia diebus vetitis, etiamsi maiorem alteram bullã Cruciatæ non sumpserint; maiore tamen hebdomada excepta, de qua infrà.

5 Hinc deduci videtur, quod si à Sum. Pontifice reuocetur bulla illa maior Cruciate, non adhuc transacto anno illius durationis, attamen hanc minorẽ bullam adhuc suum retinere valorem; nam cũ dicta reuocatio esset odiosa, & consequenter restringenda, nisi expresse hęc etiam bulla parua reuocetur nõ videtur sub generali reuocatione cõtineri. Videndum nũc erit, An Regulares huius Bullę priuilegio gaudeant, pro quo sit.



DIFFICVLTAS III.

An Regulares gaudeant præsentis bullæ priuilegio?

6 REgulares nullam Prelaturam in Religione habentes, certum est, non posse presentis bullę priuilegio gaudere: & ratio est, quia in hac parua bulla de Regularibus nulla prorsus fit mentio. Dubitatur autem solùm de superioribus Religionum, an scilicet ij sub nomine Prelatorum inferiorum hic cõprehendantur.

7 Negant *Trullen. hic n. 6. & Bardi p.2.tr.3.C.2.n. 76.* Quorũ ratio est; quia Commissarius Generalis in hac bulla parua Hispanica non nominat inferiores Prelatos, sed horum loco ponit solos Abbates; ergò signum est, solos Abbates ex superioribus Regularium gaudere presentis bullę priuilegio. *Trullen.* *Bardi.*

8 Affirmandum tñ putare possent alij, nã ex vna parte nomine Prelatorum, veniunt omnes Religionum Generales, Prouinciales, Guardiani, Priores, Rectores, Correctores, Preposici, aliiq; superiores locales habentes in proprios subditos iurisdictionẽ ordinariam, & spiritualem: ex altera verò parte huius bullę priuilegium extenditur etiam ad Prelatos, ergò omnes supradicti Religionum superiores, quousque superiores inueniuntur, poterunt gaudere presentis bullę priuilegio, nisi ex alio capite impediantur.

9 At verò quia in hac parua bulla Hispanica, loco inferiorũ Prælatorum, ponuntur tantùm Abbates

Abbates ideò negatiuam sententiam probabiliorem puto. Sed adhuc videndum restat, An siquis Regularis ad aliquam Ecclesiasticam dignitatē extrà Religionem promoueatur, possit præsentis bullæ priuilegio gaudere: & an si tali dignitati renūtiauerit, seu degradatus fuerit; de quibus per sequentes Difficultates singillatim dicemus.

DIFFICVLTAS IV.

An Regulares promoti ad aliquam dignitatem Ecclesiasticam extrà Religionem, possint præsentis Bullæ priuilegio gaudere?

10 RAtio dubitandi pro parte negatiua est, quia Regularis ad Episcopatum, seu ad aliam huiusmodi dignitatem extrà religionem promotus, non eo ipso ab omnibus oneribus cū religiosa professione connexis eximitur: v. g. siquis non religiosus fiat Episcopus, vtiquè fit etiam Dominus reddituum ecclesiasticorum, at religiosus fit tantùm administrator, non autē dominus, vt fusè probat *Sanch.l.6.sum.C.6.n.8.* & communiter DD. ergò quamùis Episcopus absolutè, ac per se loquendo possit gaudere huius bullæ priuilegio, poterit tamen per accidens, ratione scilicet religiosæ professionis, tali priuilegio non gaudere. *Sanch.*

11 Affirmant tamen *Trullen.ci.n.6.& 10.& Bardi.ci.n.72.* & meritò, nam professio religiosa nō est caussa positiuè excludens ab hoc priuilegio, sed solùm non est caussa includens, atquè adeò si coniungatur cum alia caussa positiuè includente, vt est dignitas Episcopalis, aut alia huiusmodi, nequaquam excludet religiosum ab huius bullæ priuilegio. *Trullen. Bardi. Auctor.*

12 E contrà verò Votum religiosæ Paupertatis est caussa positiuè, & essentialiter excludens omne rerum temporalium dominium, atquè adeò quamùis religiosus professus assumatur ad Episcopalem dignitatem, semper tamen remanebit incapax dominij. Ex quibus patet disparitas pro solutione rationis dubitandi in contrarium. Regulares igitùr assumpti ad dignitatē Episcopalem, seu Patriarchalē & huiusmodi, poterunt huius paruæ bullæ priuilegio gaudere etiamsi tantùm Titulares sint, & subditos non habeant. Ratio autem est, quia in hoc, sola dignitas attenditur, non autem actualis iurisdictio.

13 An verò Religiosus professus ad Cardinalatū assumptus gaudeat præsentis bullæ paruæ priuilegio, Negant *Trullen.ci.n.10. & Bardi ci.n.77.* & meritò, nam dignitas Cardinalitia non enumeratur, neque cōtinetur inter illas dignitates, quibus parua hæc bulla concessa est. *Trullen. Bardi. Auctor.*

DIFFICVLTAS V.

An Regularis ad Episcopatum promotus, si illum renunciauerit, adhuc præsentis Bullæ priuilegio gaudeat?

14 AFfirmat *Bardi ci. nu. 35.* & meritò, nam adhuc remanet eadem dignitas, ratione cuius conceditur præsentis Bullæ *Bardi. Auctor.*

priuilegium; secùs autèm si fuerint degradati, nam tunc per actualem degradationem amittũtur omnia priuilegia, & exemptiones, quæ intuitu, & ratione Dignitatis conceduntur. Eademque erit ratio de reliquis dignitatibus suprà enumeratis.

15 Idem similitèr dicendum est in casu, quo non solùm Episcopatus quoad iurisdictionem renuncietur, verùm etiam si ipsa Episcopalis dignitas renuncietur, itaut ad vitam omninò priuatam, ac simplicis Sacerdotis redigatur, nam cessante caussa, nempè dignitate Episcopali, qua includebatur in priuilegio huius paruæ bullæ, cessabit etiã effectus. verùm in illorum sententia, qui volunt, Episcopatũ esse Ordinem distinctum à simplici Sacerdotio, secùs videtur dicendum. Solùm igitùr remanet videndum de duratione huius paruæ bullæ, pro qua sit.

DIFFICVLTAS VI.

An hæc Bulla parua valeat pro Dominica Palmarum?

16 QVamùis Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, alijq; inferiores Prælati, ac Presbyteri etiam sæculares (prout suprà dictum est) possint virtute huius paruæ bullæ comedere oua, & lacticinia omnibus absolutè anni diebus etiam prohibitis, expresè tamen in hac eadem bulla excipitur Maior hebdomada. cum toto tamen hoc, quia nonnulli DD. eximũt dies Dominicos à cõmuni prohibitione comedendi lacticinia (vt suprà diximus Q. 3. num. 32.) hinc posset quis dubitare, An idem dicendum sit pro Dominica Palmarum quoad hanc paruam Bullam, itaut sub dicta exceptione, non compræhendatur talis Dominica; atquè adeò videndum est, An dictæ personæ possent in dicta Dominica Palmarum comedere lacticinia, saltem virtute huius bullæ.

17 Negant *Trullen. ci. nu. 12. & Bardi etiam ci. n. 78.* & meritò, nam Hebdomada est spatium septem dierum, atquè adeò parua hæc bulla neque valebit pro reliquis sex diebus maioris Hebdomadæ, neque pro ipsa Dominica Palmarum. *Trullen. Bardi. Auctor.*

18 Verùm tamẽ est, vt benè notat *Trullen. ci.* quòd supradictæ personæ poterunt in dicta Dominica Palmarum comedere oua, & lacticinia virtute alterius bullæ Cruciatæ maioris, prout de omnibus Dominicis Quadragesimalibus absolutè asseruimus superiori Q. n. 32.

QVÆSTIO V.

De Lacticinijs in Particulari.

NOn est nostræ intentionis hic agere de omnibus, ac singulis lacticiniorum generibus, aut speciebus, de quibus omninò constat, inter lacticinia enumerari, vt sunt Caseus, Butirum, Manteca, aliaque huiusmodi ex lacte confecta: similiter Oua iam matura, & completa; sed solùm hic breuiter agemus de aliquibus cibis, de quibus inter DD. controuertitur, an inter lacticinia comprehendantur, vt est laridum, sagimen tàm suinum, quàm aliorũ animalium: sanguis similiter animalium, & Oua Nonnata.

DIF-

DIFFICVLTAS I.

An diebus, quibus vi Bullæ possunt comedi lacticinia, possit similiter comedi, & sagimen?

1 PRæsens Difficultas procedit tum quoad consuetudinem, tum quoad ipsius sagiminis naturam. Et quidem quoad consuetudinem cõueniunt DD. esum sagiminis, æquè ac lacticiniorum, vi bullæ, licitum esse omnibus illis etiam diebus, quibus carnes prohibētur, vbicunque talis consuetudo legitimè habetur circa esum sagiminis, prout in nostra Sicilia viget. Et meritò, nam ex C. *fin. de Consuetudine*, habemus, per longæuam consuetudinem derogari posse iuri positiuo humano, quoties fuerit legitimè præscripta, vt suprà etiam dictum est.

2 Consuetudo autem legitimè introducta dicitur illa, quę non est contra ius naturale, neque Diuinum, neque vllo modo cõtrà Ecclesiasticam libertatem, atquè adeò vt non includat aliquid repugnans rectę rationi, aliter dicetur abusus, non vsus, aut Consuetudo. Rursus debet esse legitimè prescripta per aliquod determinatum temporis spatium. et quidem ad abrogandam Ecclesiasticam legem debet esse continuata per spatium 40. annorum, vt notant cõmuniter DD. cum *Gloss. in C. fin. ci.* ante quod temporis spatium, quamuis peccauerint predecessores illam talem legem non obseruantes, nõ tamen peccabunt successores completo dicti temporis spatio. In nostro autem regno Sicilię vsus sagiminis diebus Veneris, & Sabbati absque bulla, & diebus Ieiuniorum cum bulla, est ex communi omnium consensu immemorabilis, atquè adeò ex vi consuetudinis absolutè licitus.

3 Videndum igitùr est, An vsus sagiminis, modo dicto, sit similiter licitus spectando ius commune, & ipsius sagiminis naturam. & quidem.

4 Negant *Rodriq. §. 6. n. 1. Tabien. V. Ieiun. n. 7. Viual. in supp. cand. C. 11. n. 39. Filluc. tr. 27. p. 2. n. 61. Trullen. in Decal. l. 3. C. 2. d. 2. n. 8. Villalob. to. 1. sum. tr. 23. d. 8. n.* 16. *Lud. à Cr. D. 1. C. 5. d. 16. num.* 4. *Herriq. l. 7. C. 13. num.* 11. *& alij.* quorum ratio est, quia sagimē, seu pinguedo vel est caro, vel proximè accedit ad carnem, vel saltem magis quàm Oua. *Rodriq. Tabienn. Viuald. Filluc. Trullen. Villalob. Lud. à cr. Herriq.*

5 Affirmant tamen *Glossa c. Admonere, 33 q. 2. Hostiens. in sum. tit. de obser. Ieiun. Panorm. c. Consuluit, n. 2. de Iudęis, Felin. ibi. n. 1. Syluest. V. Ieiun. quæs. 5. Angel. V. Ieiun. n. 5. Graff. in decis. aur. l. 2.* C. 37. *Diana, inter DD. placitæ versatissimus, p. 1. tract. 9. res. 21. Bertachin. de episc. p. 1. mem. 4. nu.* 79. *Riccius in add. ad §. 6. nu. 11. Pasqualiq. D. 74.* & communiter DD. *Glossa. Hostiens. Panorm. Felin. Siluest. Angelus. Graff. Diana. Bertach. Riccius. Pasqual.*

6 Et meritò, nam Sagimen neq; est caro, neque pars substantialis, seu essentialis animalis prohibiti. quod autem sagimen nõ sit caro, probatur *ex Aristot. l. 1. de gen. animal. C. 18. & 19.* vbi expressè docet, Pinguedinem non esse carnem, sed excrementum carnis, sicuti semen, & sudor. *& sect. 5. q. 4. Problem.* dans discrimen inter pinguedinem, & carnem, sic ait: *Pingue calefactũ liquescit, non autem Caro, & sic pinguedo non est caro.* *Auctor.*

7 Quod autem pinguedo non sit

sit pars essentialis, seu substantialis animalis, etiā probatur; nam vt benè notat *Dandinus l.3. de corp.animato, C.5.de adipe* in prima formatione partium animalis, adeps non apparet, sed postea successiuè accedit, ac proinde non erit vera pars animalis seu essentialis, sed tantùm excrementum, & consequenter sagimen inter lacticinia ad sūmùm poterit enumerari; atque adeo poterimus vti sagimine, equè ac lacticiniis videlicet in diebus ieiunij cum bulla, diebus verò Veneris & Sabbati etiam absque bulla. Ex quibus patet ad rationem AA.in contrarium.

8 Adde, prohibitionem carnium esse odiosam, atquè adeò strictè interpraetandam, & consequentèr extendendam solùm ad id, quod sub nomine carnis absolutè continetur; pinguedo autem quamùis proximà accedat ad carnem, minimè tamē sub nomine carnis venit, vt dictum est. Hinc benè nonnulli DD. deducunt, quod siquis sumat laridum, illudque cum pulte dequoquat, nullum peccatū committet, ex eo quia, quod ex larido liquefit, erit formalissimè sagimen. An verò laridum vt sic possit comedi, & similiter pingue, seu medulla ossium animalium dicemus infrà.

DIFFICVLTAS II.

An sagimen etiam aliorum animalium, possit vi Bullæ comedi æquè, ac sagimen suinum?

9 QVamùis sagimen cōmuniter fiat ex pinguedine porcina liquefacta, vnde sagimen absolutè prolatum, solum sagimen porcinum significet; aliquando tamen ex pinguedine etiam aliorum animalium fit, vt Bouis, seu Iuuenci, Gallinę, Ficedulæ, &c. atquè adeò iurè hic videndum erit, An id, quod in superiori Difficultate diximus de sagimine porcino, militet etiam pro sagimine aliorum animalium, tàm quoad consuetudinem, quàm quoad huiusmodi sagiminis aliorum animalium naturam, & ius commune.

10 Et quidem præscindendo à cōsuetudine, sed solùm Ius cōmune spectando, & naturam ipsius sagiminis aliorum animalium, eodem prorsus modo sētiunt DD. de hoc, quàm de sagimine suino, de quo suprà dictum est. Et meritò, nam eædem rationes, quæ militant pro pinguedine suina, militant etiam, & ex æquo pro pinguedine aliorū animalium, ac proinde si vsus sagiminis suini licebit cum bulla diebus ieiunij, & absque bulla diebus Veneris, & Sabbati, eodem prorsus modo licebit etiam vsus sagiminis & aliorum animalium.

11 Solùm igitur remanet Difficultas, An idem dicendum sit de vtroque sagimine ex vi Consuetudinis. Et quidem *Bardi p.2. tr.3.C.3.n.* 23. nō audet affirmare ex eo quia talis consuetudo non habetur.

12 Affirmāt tamen *Layman. l.* 4. *tr.8.n.5.& Pasquali.dec.*74.*ci.* & meritò, nam ex vna parte huiusmodi sagimen, æquè ac sagimen suinum absolutè non venit sub nomine carnis atquè adeò, vi iuris communis, non prohibetur sub carnium prohibitione (vt supra dictum est) quæ cum sit odiosa, nequit extēdi nisi ad *Layma. Pasqual. Auctor.*

id,

id, quod in omni rigore dicitur caro; atquè adeò cum possessio stet pro fidelibus, non autem pro ipso iure, seu pro Ecclesia, consequenter dum de cõsuetudine in contrarium nõ constat, poterit quodlibet sagimen aliorum animalium comedi, æquè ac suinum.

13. Ex altera verò parte non cõstat de tali consuetudine incõtrarium, vt ipsemet *Bardi* fateri tenetur, dum ex dubitatione talis consuetudinis, ait, se non audere hoc asserere, ergò absolutè tàm scilicèt ex vi iuris cõmunis, quàm ex vi consuetudinis comedi poterunt huiusmodi sagimina reliquorum animalium, æquè ac sagimen suinum, videlicet diebus ieiunij cum bulla, diebus verò Veneris, & Sabbati etiam absque Bulla. ex quibus patet ad rationem in cõtrarium.

14 Adde sagimen aliorum animalium, præter suinum, potiùs non esse absolutè in vsu, saltem apud vulgares personas, quàm pro solis ieiunij diebus &c. quod non sufficit ad introducẽdam consuetudinem propriè dictam, de qua loquimur: alioqui pro nullo die licebit illius vsus.

DIFFICVLTAS III.

An Laridum possit vi Bullæ comedi, æquè ac ipsum Sagimen?

Baltaños Rodriq. Blancus. Herriq. Ouandus

15 AFfirmant absolutè *Baltaños in Confess.V ictoria apud Rodriq.* §.6.*num*.2.*Blancus apud Herriq*.*l*.7. C. 13. *Ouandus* 4. *D*. 16.*prop*. 52. nonnullique alij.

16 Affirmant autem de Iure solùm, non autem de consuetudine. *Angel*.*V*.*Ieiun*.§.5.*Syluest*.*q*.5.*nu*.16.*d*.2.*Graff*.*p*.1.*dec*.*l*.2.*C*.37.*de Ieiun*.*n*.12.*Lud*. *à Cruc*. *D*.1.*C*.5.*d*.16.*n*.2. pleriq; alij discurrentes eodem modo de larido, ac de sagimine, prout suprà dictum est; quorum ratio est, quia sagimen nihil aliud est, nisi laridum liquefactum, quod à non liquefacto differre videtur solũ accidentalitèr; atquè adeò si esus sagiminis licebit vi bullæ etiam diebus ieiunij, & diebus Veneris, & Sabbati etiam absq; Bulla (vt suprà dictum est) vtiquè similiter etiã licebit dictis diebus laridi vsus.

Angel. Syluest. Graff. Lud à cr.

17 Absolutè autem negant alij, & meritò. & primò, quod esus laridi nõ sit licitus spectato Iure communi, probatur: nam laridum non est sola animalis pinguedo, sed conflatur, & cõponitur tum ex pinguedine, tum ex ipsius animalis pelle, multoque carnacio, alijsquè cartilaginibus; vnde est, quod laridum calefactum non totaliter liquefiat vt Assumtia, aut aliud omninò pinguedo; atquè adeo laridum non solùm accidentaliter, sed etiam substantialitèr differat à sagimine, & tanquam includens ab incluso, ratione scilicet aliarum partium quas includit, (vt dictum est) quæ verè caro sunt, ac ratione eorumdem partium sub prohibitione carnium similiter prohibentur, ac proinde esus laridi nõ licebit vi Bullæ æquè ac esus sagiminis, spectato iure communi.

Auctor

18 Quod autem esus laridi neq; ratione consuetudinis liceat, quoad nostram Siciliam certum videtur, nisi tantùm id, quod ex ipso liquefit, vt dictum est nu 8. quoad reliquas verò Prouincias, quantùm apud DD. legere

gere

gere potui, eundem vsum prorsus inuenio. Ceterùm si alicubi esus laridi fuerit in vsu ęquè ac esus sagiminis, tali consuetudini standum erit.

DIFFICVLTAS IV.

An ossium medullæ possint vì bullæ comedi æquè ac sagimen?

19 DE hac Difficultate dissentientem inueni neminē, attamen ratio dubitandi pro parte affirmatiua benè procedit ex eo, quia eędem rationes, quę militant pro esu sagiminis, faciunt similiter pro esu dictarum medullarum. Et quidem ex eo, quia per Aristotelem sagimen non est caro, diximus n.6. sagimen non comprehendi sub carnium prohibitione; quod verò sagimen nō sit caro, probat Aristoteles ex eo quia pinguedo celefacta liquefit, caro autem minimè. agè iam, huiusmodi medullę calefactę liquefiunt, ergò similiter non erunt caro, & consequenter neque sub carnium prohibitione comprehēduntur, atque adeo prescindendo à consuetudine, & sistendo in solo Iure communi, videntur posse comedi dictę medullę vi bullæ ęquè ac sagimen.

20 Neque huiusmodi pingue, seu ossium medullę dici possūt pars essentialis, seu substantialis ipsius animalis, nam multoties nihil huiusmodi inuentum est intrà ipsa animalium ossa, presertim gracilium, atquè adeò videntur absolutè esse eorumdem ossium excrementum, prout de ipso sagimine diximus n.6. ci. His positis.

21 Dicendum puto, huiusmodi pingue, seu ossium medullas sub carnium prohibitione, ex vi Iuris comunis, minimè prohiberi, propter rationes supra n. 19. tactas, nam talis carnium prohibitio cum sit odiosa, nequit extendi, nisi ad id solum, quod in omni rigore, & absque vlla controuersia dicitur caro; secùs autem dicendum ex vi cōsuetudinis habentis vim legis (vt sepè dictum est) presertim in his, & similibus rebus moralibus: omnes enim existimant diebus, quibus carnes prohibētur, similiter & dictas medullas prohiberi. *Auctor.*

DIFFICVLTAS V.

An sanguis animalium possit virtute Bullæ comedi æquè ac lacticinia?

22 ABsolutè affirmant *Felinus, & Ananias in C.consuluit de Iudæis*, atquè adeò per istos DD. sanguis animalium poterit virtute bullę Cruciatę comedi in omnibus ieiunijs etiam Quadragesimę, & diebus Veneris, & Sabbati etiā absque bulla. Quorum ratio est, quia ex vna parte nullibi in sacris Canonibus prohibetur esus sanguinis, neque sanguis rigorosè loquendo est caro, sed ad summùm alimentum carnis; ex altera verò parte prohibitio carnis est odiosa, & cōsequenter quoad fieri potest restringenda, atquè adeò à primo ad vltimum, carnis prohibitio immeritò ad sanguinem extenderetur. *Felinus. Anania.*

23 Absolutè vero negant reliqui communiter DD. ex eo quia, licèt sanguis absolutè non sit caro, attamen cum sit proximum alimentum carnis, videtur consequenter esse eiusdem rationis cum

cum ipſamet carne, & ſic nequit vi Cruciatæ comedi æquè, ac lacticinia. Confirmatur ex communi conſenſu hominum prudentum exiſtimantium, ſanguinem, & carnem eſſe eiuſdem prorſus qualitatis, & conditionis,

24 Dicendum, ſanguinem, ex vi Iuris communis, ſub carnium prohibitione minimè prohiberi, & hoc propter rationes pro primà opinione allatas; nam prohibitio carnis abſolutè eſt odioſa, & ſic ſtando in vi Iuris, non compræhendit niſi tantùm id, quod abſolutè, & in omni rigore eſt caro: ſanguis autem, ſaltem rigoroſè loquendo, non eſt caro, eſto ſit proximum alimentum carnis.

25 Secùs autem dicendum ex vi conſuetudinis habentis vim legis (vt ſæpè dictum eſt) in ordine ad quam conſuetudinē benè procedit ſecunda opinio ſuprà n.23. allata, non autem ſtando in vi iuris communis, vt ex dictis ſatis patet.

DIFFICVLTAS VI.

An Oua Nonnata inter lacticinia enumerentur?

26 OVum Nonnatum (vt ipſum nomen oſtendit) dicitur illud, quod non adhùc natum eſt, ſed intrà ipſam gallinam abſque albumine continetur. De huiuſmodi igitur Ouis quærimus in præſenti, An inter lacticinia poſsit enumerari, ita ut cum bulla comedi poſſint etiam ieiuniorum diebus: diebus verò Veneris, ac Sabati etiā abſque bulla.

27 Ratio autem dubitandi pro parte negatiua eſt, quia huiuſmodi Oua antequam perfectè compleantur, ſunt pars gallinæ, à qua producuntur: fœtus enim quouſque in ventre matris continetur, pars matris abſolutè dicitur, atquè adeò huiuſmodi Oua potiùs ſub carne, quàm ſub lacticinijs videntur contineri.

28 Affirmant tamen *Diana p. 3. tr. 6. reſ. 8. & Bardi tr. 3. C. 4.* & meritò, primò quia huiuſmodi Oua Nonnata ſolùm differunt ab alijs Ouis iam natis, & perfectis per ſolam albuminis carentiam: cùm igitur oua iam nata, & perfecta inter lacticinia etiam per ipſam bullam enumerentur, itaut cum eadem Bulla poſſint comedi etiam diebus ieiuniorum, diebus verò Veneris, & Sabbati adhuc ſine bulla, ita ſimilitèr de ouis Nonnatis dicendum erit. Secundò, quia Oua Nonnata abſolutè nequeunt dici pars gallinæ; patet nam gallina etiam abſque vllo ouo, & prorſus ſterilis benè, imò meliùs conſeruatur. vndè patet ad rationem dubitandi in contrarium. *Diana. Bardi. Auctor.*

29 Verùm tamen eſt (vt benè notat *Bardi ci. n. 37.*) quod non eodem modo inter lacticinia enumerari poterunt Ouicula illa exigua. quæ adhuc ſunt gallinæ affixa veluti acini vuæ racemæ; nam hæc non ſunt adhuc in ſubſtantiam Oui conuerſa, atquè adeò retinent adhuc naturam ſanguinis, ſeu carnis, vndè ſanguine reſperſa clarè apparent, exigumque cartilagine, quæ eſt pars viſcerum gallinæ, ac proinde neque virtute bullæ poterunt hæc diebus prohibitis comedi. *Bardi.*

33 Quæres hìc, An ſicuti quis virtute bullæ poteſt coquere laridum cum pulte (vt ſuprà nu. 8. dictum

dictum est) ità similiter possit comedere exigua hæc ouicula, si fortè liquefieri possint, & à racemo segregari?

31 Negandum videtur. & disparitas est, quia quod ex larido liquefit, est purum sagimen, & consequenter purum excremẽtum: ista autem exigua ouicula, etiamsi liquefiant, & à racemo segregentur, semper tamen erũt permixta cum aliqua parte sanguinis, qui quamuis ratione sui, paruitas materiæ existimetur, non erit tamen ita ratione signi, nam particulæ illæ sanguinis quantumuis minimæ, apertè indicant, Ouicula ista adhuc sub substantia sanguinis, & carnis contineri. Atquè hæc satis sint circa facultatẽ vi bullæ concessam quoad cibos prohibitos.



DISPV-

DISPVTATIO QVARTA

DE INDVLGENTIIS, AC BONORVM OPERVM PARTICIPATIONE, QVÆ PER CRVCIATAM CONCEDVNTVR.

A §.XIII.vsque ad §.XVI.inclusiuè concedit Sum. Pontifex sumentibus hāc Bullam multas, ac varias Indulgentias omniumque bonorum operum participationem non quidem absolutè, sed sub quibusdam oneribus, de quibus omnibus in præsēti Disputatione dicendum erit.

QVÆSTIO I.

De Indulgentijs in Communi.

ANtequam ad Indulgentias accedamus, quę specialiter per Cruciatā conceduntur, non abs re visum est, aliqua de ipsis Indulgentijs in communi breuiter premittere.

DIFFICVLTAS I.

Quid sit Indulgentia?

1 

Ndulgentia variè vsurpatur, vt passim apud DD. videre est, attamen prout facit ad rem nostram, significat gratuitā relaxationē, seu liberalem condonationem poenę temporalis debitę peccatis, ex Thesauro *Ecclesię*, extrà Sacramentum. ità communiter DD. ex *extrauang. Vnigenitus, de pænit. & remiss.*

2 Pro cuius rei intelligentia sciendum est, quod qui mortaliter peccat statim incurrit malum, seu reatum culpę consistens in priuatione gratię sanctificantis, quę quidem, priuatio dicitur etiam peccatum habituale, & deordinatio à Summo Bono, cui correspondet duplex poena, Damni scilicet, & Sēsus. Iam verò poena Damni cōsistit in perpetua priuatione visionis Beatę: poena verò Sensus cōsistit in perpetua corporis, & animę afflictatione in inferno æternanda, & consūmanda. remissa autem culpa, vel per Sacramenta, seu per contritionem, & amorem Dei super omnia cum voto Sacramenti, atquè adeò obtenta amissa gratia sanctificante, quę est semen glorię, & ius ad visionem Dei, & sic remissa pœna damni, statim dicta poena sensus ex ęterna fit temporalis, danda

vel in hac vita, vel in Purgatorio.

3 Peccatum verò Veniale, quãuis non causet priuationem gratię sanctificantis, habet tamen suam leuem culpam, deformitatem, & deordinationem, quę retardant visionem Dei, & quibus debetur etiam aliqua pœna tēporalis, vel in hac vita, vel in Purgatorio.

4 Iam verò dicta pœna temporalis peccatis debita remittitur, aut in partim, aut totaliter vel in ipso Sacramentorum vsu, vel ieiunijs, eleemosynis, alijsque pijs operibus, etiam extra Sacramenta, in gratia tamen factis, siue lucrando aliquam Indulgētiam, per quam, vltrà nostram satisfactionem, applicantur nobis opera satisfactoria tàm Christi, quę sunt infiniti valoris, quàm SS. Virginis, & aliorum Sanctorum; in quibus consistit Ecclesiæ Thesaurus (de quo infrà) ex quibus patet, cur Indulgentia dicatur gratuita relaxatio, & liberalis condonatio pœnæ temporalis, debitæ peccatis, ex Ecclesiæ Thesauro, extrà Sacramentum.

DIFFICVLTAS II.

Quid sit Ecclesia Thesaurus?

5 PRo huius Difficultatis intelligentiâ, sciendum est omne opus hominis iusti, nempe in gratia factum esse de se, & ex natura sua Meritorium, Impetratorium, & satisfactorium pro pœnis secundùm aliquam proportionem, & ratam, quàm Deus scit. Et quidem opus vt Meritorium valet pro ipso solo operante ad augmentum gratię, & proportionaliter etiam gloriæ; at vt Impetratorium, & satisfactorium valet nō solùm pro ipso operante, sed etiam poterit, applicari, & offerri Deo pro alijs, vnde vnus poterit pro alio, ex mera charitate, subire pœnā, ita Deo acceptante.

6 Opera igitur Christi Domini, quantùm est de se, meruerunt nobis remissionem peccatorum gratiam, & gloriam, aliaque omnia bona, & similiter fuerunt satisfactoria pro omnibus pœnis debitis nobis in ordine ad Deum, & hoc non solùm ad æqualitatem, sed etiam cum infinito excessu. Similiter Opera B. Mariæ Virginis, omniumque aliorum Sanctorum opera, quibus ipsi non indiguere ad satisfactionem pro seipsis, neque aliis illa applicarunt, vel si applicarunt, suum tamen non habuerunt effectum, poterūt etiā alijs applicari.

7 Iam verò tàm Christi, quàm dicta sanctorum opera in quantùm satisfactoria manent in Diuina acceptatione ad dictum vsum, vt scilicet nobis applicētur pro pœnis debitis nobis ipsis, atque adeo per quamdam metaphoram dicuntur à Theologis Thesaurus Ecclesiæ, ex quo sumuntur Indulgentiæ ad remissionem pœnarum nobis debitarum plùs, vel minùs iuxtà quantitatem Indulgentiæ concessæ, vt ex dicendis patebit. Videndum ergò nunc erit, An, & à quibus dicta opera satisfactoria poterunt nobis per Indulgentias applicari: pro quo sit.

DIF-

DIFFICVLTAS III.

An in Ecclesia sit potestas concedendi Indulgentias, & in quibus resideat?

8 Esse in Ecclesia absolutam potestatem concedendi indulgentias, saltem fidelibus viuentibus, est de fide, definitū à *Tridentino ses. 21. C. 9. de Reformat. & ses. 25. Decr. de indul.* initiò, sic: Cum potestas conferendi indulgẽtias à Christo Ecclesiæ sit concessa, &c. & consequẽter hanc potestatem absolutè residere in Sum. Pontifice, vt totius Ecclesiæ capite, nulla est Difficultas, nam potestas *soluendi super terram* Petro concessa, est etiam de pęna. An verò, & quomodo Sum. Pontifex potestatem habeat concedendi indulgentias etiam pro Defunctis dicetur Disp. vltima. Trid.

9 Hanc eandem potestatem residere similiter in Concilio Generali, affirmant communiter DD. & meritò, nam Concilium Generale, sede Apostolica vacante, repræsentat totam Ecclesiam: viuente verò Sum. Pontifice, si legitime fuerit congregatum, faciet vnum cum ipso Sum. Pōtifice, atque adeo in vtroque casu poterit Generale Conciliū consulere bono spirituali totius Ecclesiæ, etiam mediantibus indulgentijs. Idem dicendum erit (regulariter loquendo) de legatò à latere, secundùm maiorem, seu minorem facultatem quoad hoc ipsi concessam.

10 Quoad Archiepiscopos, autẽ, & Episcopos, certum est, illos non posse indulgentias concedere pro tota Ecclesia, cùm non extẽdant suam iurisdictionem, nisi tantùm in propriam Diœcesim, pro qua, licèt iure Diuino habeant ordinariam potestatem concedendi absolute indulgentias, attamen cùm hanc eadem potestatem habeant dependenter à Sum. Pontifice, ab eodem de facto limitatur, itaut nequeant (ordinariè loquendo) concedere indulgentiam Plenariam, sed quadraginta tantùm dierum; & vnius anni in ipso Dedicationis die alicuius Ecclesiæ eiusdem Diocesis, ex *C. Cum ex eo de pœnit. & rem.* iuxta Decretum Gener. Conc. Lateranẽsis, & hoc etiamsi solùm electi sint, & confirmati, quamuis non adhuc consecrati. Ratio autem est, quia concedere Indulgentias est potestas iurisdictionis, non ordinis, vndè Episcopus excommunicatus denunciatus nequit indulgentias concedere, poterit tamen concedere suis subditis, vt alios odeant Episcopos pro Indulgentiarum consecutione.

11 Eadẽ ratione cōueniunt DD. posse ex commissione Sum. Pōtificis concedi indulgentias nō solùm à Clericis, sed etiam à laicis, nam potestas concedendi indulgentias cùm non sit potestas Ordinis sed tantùm Iurisdictionis (vt dictum est) consequenter poterit Sum. Pontifex illam cuilibet delegare, prout de facto ex Historijs habemus, huiusmodi potestatem aliquando commissam fuisse etiā simplicibus Cardinalibus nullum Ordinem habẽtibus; decentiùs tamen est, illā solis Sacerdotibus committere, & ex consuetudine solis Episcopis hoc concessum est.

12 Demum conueniunt DD. nō posse Abbates, Generales, Prouinciales

uinciales,& reliquos superiores locales Religionum concedere indulgentias,quamuis hi omnes habeant curam animarum, & Ordinariã iurisdictionẽ in proprios subditos. & ratio est, quia hi non sunt de iure *Diuino* Prælati, neque in Apostolica dignitate successores,vt Archiepiscopi, & Episcopi. Dicendum nũc sequitur de indulgentiarum varietate: pro qua sit.

DIFFICVLTAS IV.

Quotuplex sit Indulgentia?

13 DIuidunt cõmuniter DD. Indulgentiam ex *extrauag. vnigenitus, de pænit. & remiss.* primò in Totalem, & Partialem: Totalis est, per quam tota pœna peccatis debita totaliter remittitur; an verò hęc à Plena, seu Plenaria, siue Plenissima differat, dicetur fusè *Diff.* sequẽti. Partialis autem est, per quam aliqua tãtùm pars dictæ pœnæ temporalis remittitur, plus vel minus iuxtà indulgentiarũ concessionem, & qualitatem.

14 Diuidunt secundò DD. indulgentiam in localem, Realem, & Personalem. Localis ergò est, quæ alicui loco inhæret, v.g. Ecclesię, vel Altari, vel Imagini, non quidem primò & per se in ordine ad ipsum locum, sed in ordine ad fidelem vt orantem in tali Ecclesia, vel coram tali altari, seu imagine, atque adeo nisi quis talem determinatum locũ visitet, aut ibidem oret, non lucrabitur indulgentiam.

15 Realis autem est, quę rebus mobilibus, ac manualibus inhęret, huiusmodi sunt indulgentię concessæ granis, rosarijs, iconibus, habitulis pręsertim S. Marię de Monte Carmelo, & similes; quę similiter neque in ordine ad res ipsas primò, & per se conceduntur, sed in ordine ad nos, vt scilicèt eorum vsu lucremur indulgentias ipsismet rebus affixas, & consequenter nisi talibus rebus vtamur, neque illarũ indulgentias lucrabimur.

16 Personalis demum est, quę ita conceditur personę, vt vbilibet talis persona exequatur opus iniunctum, sub quo concessa fuit ea indulgentia, v.g. celebrando, seu missam audiendo, vel Eucharistiam sumendo &c. statim talem indulgentiam consequatur, Cruciatę autem indulgentię (vt supra diximus D.1.Q.1.n.13.) neque sunt absolutè locales neque absolutè personales, sed velut mixtę, de vtraque scilicet participantes. Quomodò autem alię sint partiales, alię verò totales, seu Plenarię, dicetur infrà.

17 Diuidunt 3. DD. indulgentiã in Perpetuam, & Temporalem. Temporalis quidẽ est, quę pro aliquo determinato tempore v.g. vnius anni conceditur, vt de facto hodie sunt omnes indulgentię, quę per bullam Cruciatę conceduntur, ante tamen Pium V. per biennium, & triennium concedebantur.

18 Perpetua verò indulgentia est, quę absolutè, hoc est absque vlla tẽporis determinatione cõceditur: vel si in illius concessione dicatur, vsque ad beneplacitum Sedis, vel quid simile, in quibus casibus semper durabit, quousquè expresè reuocetur. vel si fuerit localis, quousquè destruatur locus, cui fuit concessa, vel si fuerit realis, quousquè cõsumatur, seu deperdatur res, cui talis indulgentia inhęrebat. ac demum

demum si fuerit personalis, quousquè moriatur persona, cui fuerit concessa.

19 Diuidi poterit quartò indulgentiæ in omninò gratuitam, & in illam, quæ datur per modum cōtractus onerosi. Prima est illa quæ communiter conceditur rosarijs, iconibus, granis, & huiusmodi. per modum autem cōtractus præcipuè sunt, quæ virtute Cruciatæ conceduntur, nēpè sub determinata eleemosyna, ieiunio, &c. & similiter indulgētia plenaria quæ virtute Iubilei conceditur.

20 Demum indulgentia adæquatè diuiditur, in Indulgētiam per modū Absolutionis, & per modum solius solutionis, seu suffragij, de qua infrà Diff. 6. dicemus.

DIFFICVLTAS V.

An Indulgentia Plena, seu Plenaria, siue totalis differat ab Indulgētia Pleniore, seu plenissima?

21 RAtio dubitandi pro parte affirmatiua est, primò quia in *extrauag. Antiquorum, de pœn. & rem.* concedit Bonifacius VIII. omnibus fidelibus accedentibus ad Basilicas Apost. Petri, & Pauli anno Iubilæi centesimo, peccatorum veniam non solùm Plenam, & largiorem, sed etiam Plenissimam, ergò dictæ tres Indulgentiæ inter se differunt. secundò quia in quibusdā bullis Pontificijs vltrà Indulgētiam Plenariam, conceduntur etiam aliquæ quadragenæ, ergò per indulgentiam Plenariam seu totalem, non remittitur tota pœna. tertiò quia aliquæ indulgentiæ etiam Plenariæ dicūtur absoluere à culpa, & à pœna, aliquæ verò non, atque adeò hę erunt solùm Plenæ, illæ verò Plenissimæ. Quartò demū quia indulgentia per modum Iubilæi differt ab alijs indulgētijs etiam Plenarijs, ergò perfectiorem caussat remissionem, & consequenter per Indulgentiam plenariam vt sic, non habetur perfecta, & totalis remissio; indulgētiæ ergò Plena, Plenior, & Plenissima etiam quoad effectum remissionis videntur inter se differre.

22 Hinc *Palud. in 4. D. 2. q. vlt.* cū alijs putat per Indulgētiam plenariam relaxari omnem pœnam pro mortalibus commissis debitam: per Pleniorem verò remitti etiam pœnam pro venialibus: at per plenissimam relaxari vltrà pœnam, etiam culpas veniales. Sed contrà est, primò quia (vt supra diximùs) indulgentia ex natura sua, ad remittendam solam pœnam tendit, non autem culpam. Secundò quia culpa etiam venialis aufertur aut per Sacramentum, aut per actū oppositum, prout communiter Theologi docent. *Palud.*

23 At *Nauar. de Iub. notab. 9. n. 5.* docet, indulgentiam plenariam esse de pœnitentijs à Confessario iniunctis pro peccatis tantùm confessis: Pleniorem verò se extendere ad pœnitētias tàm iniunctas, quàm iniungendas pro solis peccatis similiter confessis: plenissimam autem esse de pœnitētijs debitis tàm pro peccatis confessis, quàm pro oblitis & inculpabiliter ignoratis. *Nauarr.*

24 Demum *Lauorius p. 2. de Ind. C. 10.* asserit, Indulgentiam Plenam, seu plenariam remittere totam pœnitentiam iniunctam: Pleniorem verò, seu largiorem remittere pœnitentiam iniungendam

gendam

gendam secundùm Canones: at Plenissimam relaxare totã pœnitentiam, quæ à Diuino iudicio exigi posset.

25 Negant tamen communiter DD. sub dictis diuersis vocibus, diuersas concedi indulgentias. Et meritò, primò quia in *extrau. Vnigenitus, de pœn. & remis. ci.* diuiditur indulgentia in Totalem, & Partialem, ergò sub Totali continetur Plena, Plenior, & Plenissima. Secundò quia Sixtus IV. in *extrau. Quemadmodum eod. tit.* reuocans omnes indulgentias Iubilæo æquiualentes, ait, se reuocare omnes indulgẽtias plenarias, ergò per plenariã indulgẽtiam intelligit. Totalem, qua totalis pœna absolutè remittitur, atquè adeò indulgentia Plenior, & Plenissima non habent quid vltrà remittant, & sic tres istæ indulgentiæ quoad effectum remissionis hodie non differunt, quomodò autem olim aliquam inter se differentiam dixerint, dicetur infrà.

Auctor.

26 Ad primam autem rationem dubitãdi in cõtrarium dico Bonifacium VIII. in *extrau. ci.* loqui iuxta antiquum morem, qui cũ satis varius pro tẽporũ varietate fuerit, nihil sanè de illarum differẽtia certò assignari potest; probabiliùs tamen dici posset, Indulgentiam Plenam, seu Plenariam referri ad remissionem totius pęnitentiæ iniunctæ à Cõfessarijs: pleniorem verò ad remissionem totius pœnitentiæ, quæ secundùm Canones esset iniungenda: & plenissimam ad remissionem totiùs pœnæ, quæ à Diuino Iudicio exigi posset pro peccatis commissis. quæ tamen differentia per nouam formam concessionis Indulgentiarum, iamdiu aboleta est.

27 Ad secundam autem respondet *Suar. to. 4. in 3. p. D. 50. se. 4.* se numquam inuenisse formam illã concedendi Indulgentias. Sed adhuc admissa tali formà, dicendum, Indulgentias illas dierum suprà Plenariam concedi, vel vt alijs applicentur per modum suffragij, vel pro tempore subsequenti post consecutionẽ plenariæ, nam si septies in die cadit iustus, vtiquè toties capax erit indulgentiæ. Suarez.

28 Ad tertiã verò Dico, aliquas indulgentias remittere etiam culpam veluti indirectè, & per accidens, seu concomitanter, quatenus in illarum concessione datur simul facultas eligendi Confessarium, à quo etiam peccata reseruata absoluantur, vnde remissio culpæ tribuitur etiã indulgentijs, reuera tamen, ac per se, sola pœnæ remissio tribuenda est indulgentijs, vt ex supradictis *Diff. 1.* patet.

29 Ad quartam Dico, indulgentiam per Iubileum nihil differre quoad effectũ remissionis pœnæ, à reliquis Plenarijs indulgentijs, sed tantùm differre quoad modum cõcessionis; nam per Iubilæum conceditur etiam libera facultas eligendi Confessarium, commutatio votorum, absolutio à reseruatis, & censuris, & huiusmodi, quæ per simplicem concessionem indulgentiæ etiam Plenariæ minime conceduntur. Vnde quando Pontifex in §. 1. huius bullæ dicit, concedi sumẽtibus bullam Cruciatæ, indulgentiam illam, quæ anno Iubilei concedi consueuit, intelligi debet quoad solam substantiam indulgentię, nempè quoad talẽ pœnę remissionem, an verò remissio pœnę virtute indulgentiarum fiat per modum

Absolu-

Abſolutionis, an verò ſolutionis, dicemus Diff. ſequenti.

DIFFICVLTAS VI.

An Indulgentia ſit propriè Abſolutio an verò ſolutio?

Durand. Palud. D. Anto Adrian. Syłueſt.

30 DVrand. in 4. d. 20. q. 3. Palud. ibi. q. 4. D. Anton. 1. p. tit. 10. C. 3. Adrian. IV. in 4. q. 9. de Indul. Sylueſt. V. Indul. & alij. aſſerũt, Indulgentiam nihil aliud eſſe, niſi ſolutionem, nempe cõpenſationem pœnarum ex Eccleſiæ Theſauro. Sed contrà eſt, nam ſi in cõceſſione Indulgẽtiæ nulla requireretur iuriſdictio, vtiquè quilibet poſſet indulgẽtias concedere, quod eſt apertè falſum. vel quando vnus pro alio ſuum opus offert, concedere indulgentias diceretur.

Mayro.

31 At *Mayron. in 4. D. 19.* alijque docent, Indulgentiã nihil aliud eſſe, niſi iudiciariam abſolutionem; quibus videntur fauere vetuſtiora Concilia, dum aſſerunt, pœnitentes abſolui per Epiſcopos ab aliqua parte mulctæ impoſitæ, nullà factà mentione de Eccleſiæ Theſauro, quo pęnarum debita compenſantur. Contrà tamen eſt, nam per conceſſionem indulgentiæ applicantur nobis merita, & ſatisfactiones Chriſti Domini (vt ſuprà diximus) ergò indulgentia eſt verè ſolutio. Hinc,

D. Bona Sotus. Caiet. Cordub. uarez. ..liarm. Lud à cr.

32 *D. Bonau. in 4. D. 20. p. 2. q. 5. & 6. Soto D. 21. q. 1. ar. 2. Caiet. tr. 15. C. 6. Cordub. l. 5. q. 4. & 5. Suar. to. 4. in 3. p. D. 51. ſe. 3. nu. 3. Bellar. l. 1. de Indul. C. 5. Lud. à Cruc. D. 1. C. 3. d. 8.* alijque communiter DD. volunt, vtrumque ſimul in conceſſione Indulgentiarum reperiri, nempe abſolutionem, & ſolutionem; & meritò, vt ſatis patet ex impugnationibus vtriuſque oppoſitæ ſententiæ allatæ. nam concedere Indulgentias ex officio, ſolùm competit Sum. Pontifici, & Epiſcopis (iuxtà ſupra dicta Diff. 3.) ergò neceſſaria eſt iuriſdictio. Nequè Sum. Pontifex, vel Epiſcopus remittit debitum pœnę vt ſic, ſed ex Theſauro Eccleſiæ, hoc eſt, ex ſatisfactionibus Chriſti, ergò verè ſoluit pro tali debito pœnæ. An verò ſit eadẽ ratio pro Defunctis, dicemus infra Diſp. vltima. Auctor.

DIFFICVLTAS VII.

An vtile omnibus ſit, Indulgentias lucrari?

33 NEgant *Luther. art. 1. aſſer. concl. 1.* eiuſque nefariæ aſſertionis aſſeclæ. primò quia indulgentia non eſt opus meritorium, ſed tantùm ſatisfactorium, atquè adeò nequit eſſe vtilè viris perfectis, qui nullà, aut modicà indigẽt ſatisfactione. Secũdò quia vtiliùs eſt proprijs operibus pro ſe ſatisfacere, quàm alienam quærere ſatisfactionem. Tertiò quia perfectorum eſt potiùs quærere pœnas, quàm illas fugere, tùm ob Chriſti imitationem, tùm ob patientiæ exercitium; atquè adeò non erit vtile omnibus indulgentias lucrari, ſed ſolis peccatoribus; ita Hæretici. Luther.

34 Affirmant tamen communiter Catholici, & meritò, nam ſatis vtile eſt omnibus, ſe omni via expedire ab ijs rebus, quæ retardant fruitionem Summi Boni: huiuſmodi autem eſt reatus pœnæ temporalis, cum quo Auctor.

Carol. Latius in Bull. Cruc.

reatu, si quis ab hac vita discedit, nequit intrare in vitam æternam, nisi priùs in Purgatorio dictum reatum perfectè expiauerit.

35 Ad primam autem rationem AA. in contrarium dico, quod licèt effectus ipsius indulgentię cõsistat in sola satisfactione dicti reatus pœnę, attamen actio illa, qua lucramur indulgentiã, est actio etiam meritoria, prę. sertim si ex amore Dei procedat, nempè si fiat, vt citiùs ad fruendum Deo euolemus Adde quod quamùis viri perfecti modicà indigeant satisfactione, vix tamen vllus inuenitur, qui aliqua saltem non indigeat; & consequenter etiam istis vtile erit indulgentias lucrari.

36 Ad secundùm verò concedo, vtiliùs, ac tutiùs esse proprijs operibus pro se satisfacere, quã indulgentias quærere; attamen longè vtiliùs est, vtroque modo Deo satisfacere. vnde viri prudentes, quàmuis indulgentias lucrentur, nõ ideo tamen à bonis operibus cessant.

37 Ad tertiam autèm Dico, perfectorum esse quærere pœnas, quæ ducunt ad promerendum Deum, & animæ salutem citiùs acquirendam, vt est Martyriũ, aliæque pœnæ voluntariè susceptæ, ad quas etiam sacræ litteræ libentèr patiendas, nos passim adhortantur. è contrà verò satis perfectorum est, pro viribus sese à debito pœnę liberare, quod Paradisi ingressum impedit, ac retardat.

videndum igitùr hìc solum restat, An Indulgentiarũ fructus æqualiter ab omnibus participetur.

DIFFICVLTAS VIII.

An sumentes Bullam Cruciatæ participent æqualiter fructum Indulgentiarum, quæ per eandem Bullam conceduntur?

38 NEgant *D.Bonau.in 4.D.20 q.vlt.Coninb. de sacr. D. 6.n.34.Laymã. l.5.sum. tr.7.C.5.* & alij, quorum ratio est, quia non æquali deuotione omnes adimplent opera iniuncta pro lucrandis ipsis indulgentijs, ac proinde fructus dictis operibus correspondens nequit esse æqualis: sicuti in Sacramentis, qui meliùs se disponit, maiorem recipit gratiam, vt docet *Tridentinum sess.6.C.5. de Bapt. adult.* Confirmant etiam ex *extrau. Antiquorum, 1. de pœnit. & remiss.* vbi Bonifacius VIII. concedens anno Iubilæi plenissimas Indulgentias, subiungit: *Vnusquisque tamen plùs merebitur, & Indulgentiam efficaciùs consequetur, qui Basilicas ipsas ampliùs, & deuotiùs frequentabit.* D. Bona. Coninb. Layman. Trident.

39 Affirmant tamen *Suar.tom.4. in 3.p.D.52.se.8.Filluc.tr.8.nu.6. Nuñus in add.ad 3.p.q.24.ar.3. d.6.Lud. à Cruc. D.1.C.8.d.10. n.11.Bardi p.2.tr.1.C.1.se.2.* & communiter DD. & meritò, nã fructus Indulgentiæ, sicuti & aliorum priuilegiorum, primò, & per se respicit opus iniunctũ vt sic, & tanquam conditionem sine qua nõ præscindendo à modo, quo dictum opus adimpletur. quarè si ad lucrandam Indulgentiam Plenariam iniungatur visitatio alicuius Ecclesiæ, vtiquè in ordine ad Indul- Suarez. Filluc. Nuñus. Lud. à cr. Bardi. Auctor.

indulgentię fructum ex opere operato, omninò æqualiter se habebit, tàm qui è longinquo, seu pedes, quàm qui è vicino loco, aut eques, seu curru visitabit Ecclesiam.

40 Excessus autem deuotionis, & charitatis solùm pertinebit ad meritum ex opere operantis, atquè adeò per accidens se habebit ad cõsequutionem indulgentiarum, aliorumque priuilegiorum, quæ in hac bulla continentur; in quo quidem sensu loquitur Bonifacius VIII. in *extrau.ci*.

41 Idem puto euenire in receptione Sacramentorum, vt suo loco, Deo dante, videbimus. Sed etiam dato, quod in Sacramẽtis maior gratia recipiatur etiã ex opere operato, ex maiori deuotione, ac dispositione recipiẽtis, non inde tamen sequitur, hoc idem euenire in lucrandis indulgentijs, cùm Tridẽtinum (in quo solo fundatur cõtraria opinio) de solis Sacramentis loquatur, non autem de indulgentijs, ad quas lucrandas solùm præscribitur, vt pura conditio, tale, vel tale opus.

QVÆSTIO II.

De Indulgentijs Partialibus, ac Stationum, quæ per Cruciatam conceduntur.

ANtequam de indulgẽtia Plenaria specialiter disseramus, quæ similiter per bullã Cruciatæ conceditur omnibus illam sumentibus, dicendum priùs erit, Quæ nam, & Quomodo indulgentiæ Partiales, & Stationum per eandem Cruciatam conceduntur.

DIFFICVLTAS I.

Quænam sint Indulgentiæ Partiales, quæ virtute Cruciatæ conceduntur?

1 SVm. Pontifex incipiens à §.XIII. enumerare Indulgentias, quæ virtute Cruciatæ conceduntur, ait primò, se cõcedere sumentibus dictam bullam Cruciatæ quindecim annos, & totidem quadragenas de pœnitentijs iniunctis.

2 *Pro* quorum intelligẽtia sciẽdum est, quod olim Confessarij, iuxtà primitiuæ Ecclesiæ Canones, qui *Pœnitentiales* dicebantur, longè grauiores pœnitentias, ac nunc pœnitentibus iniungebat; aliquando enim pro delictorum grauitate imponebant tot, ac tot Septenas, hoc est pœnitentiam per tot, ac tot septennia, pro quo tempore pœnitens singulis diebus, vel singulis septimanis tenebatur ieiunare, vel aliquas orationes fundere, vel aliquod aliud pium opus exercere. aliquando verò imponebant Quadragenam, hoc est pœnitentiam quadraginta dierum; aliquando demum ad domandam carnem iniungebãt Carenam, hoc est carentiam omnium ciborum per integrum diem naturalem (quod etiam hoc temporis aliqui sustinent feria V. maioris hebdomadæ) vel solo pane, & aqua per aliquot dies alebantur, iuxtà peccatorum grauitatem.

3 Sum. igitur Põtifices pro relaxandis præcipuè huiusmodi pœnitentijs, varias concessere indul-

indulgentias, quæ earundem pœnitentiarum nomina sortitæ sunt. vnde remissio, seu indulgentia pro pœnitentia septennij dicta est *Septena*: pro remittenda pœnitentia quadraginta dierum *Quadragena*; & *Careña* concedebatur pro vltimo dicto genere pœnitentiarum.

4 Iam verò Sum.Pontifex concedens quindecim annos, & totidem quadragenas, vtriquè relaxat obligationem agendi pœnitentiam pro peccatis commissis, vel in hac vita, vel in alia in Purgatorio, tali tempore designatam, quamuis coram Deo possit his correspondere non solùm extentio pœnæ peccatis debitæ, verùm etiam eiusdem pœnæ intensio, vt discurrenti patebit. De Ieiunio autem, & Oratione, sub quibus dictæ indulgentię conceduntur, dicemus infrà Q.4.

DIFFICVLTAS II.

An supradicta Indulgentia per Bullam Cruciata concessa, sint de solis Pœnitentijs iniunctis, an etiam de reliquis?

5 SVpradictas indulgẽtias quĩdecim annorum, ac totidẽ quadragenarum, esse de pœnitentijs tùm iniunctis à Confessario, tùm de non iniunctis, & quomodocunque debitis pro peccatis, clarè patet ex ipsiusmet bullę verbis, sic: *Dicto anno durante, quindecim anni, & totidem quadragenæ de iniunctis eis, & quomodolibet debitis pęnitentijs, misericorditer in Domino relaxantur.*

6 Solùm igitur hic ex occasione queri potest, An indulgẽtia concessa pro pęnitentijs iniunctis, valeat etiam pro alijs non iniunctis?

7 Negant *Herriq.l.7. C. 6.nu.3. Nuñus in 3.p.to.2.q.25.ar.1.q.3. Lugo D.27.de pœn.se.2.n.11.* nonnullique alij, quorum ratio est, quia gratię non se extendunt vltrà verborum significationẽ, atquè adeò quando Pontifices limitant concessionem indulgentię ad pęnitentias iniunctas, nequimus tunc extendere illam ad pœnitentias etiam non iniunctas. *Herriq. Nuñus. Lugo.*

8 At *Caiet.opusc.de Indul.tr.10. q.1. Sotus leo. 2.* alijque docent, indulgentias omnes absolutè intelligi debere de solis pęnitentijs iniunctis, non solùm quando expressè conceduntur pro pœnitentijs iniunctis (vt vult prima opinio) sed etiam quotiès absolutè, & absquè vlla limitatione conceduntur. Primò quia concessio indulgentiarum est odiosa, quatenùs eneruat pœnitentias, & sacramentales satisfactiones à Cõfessario iniũctas, ac Thesaurum Ecclesię dispensat, ergò etiamsi absolutè concedantur indulgentię, ad solas tamen pęnitentias iniunctas restringi debent. Secundò quia ex *c. licet, de Translat.* concessio generalis explicari debet iuxtà Ius commune cùm igitur in iure communi forma, sub qua conceditur indulgentia, est cũ restrictione, nempè *de iniunctis*, vt patet ex *c.cum ex eo, de pœnit. & rem.* alijsq; iuribus, ergò etiamsi aliquando concedatur indulgentia absque tali restrictione, semper tamen talis restrictio intelligi debet. *Caiet. Sotus.*

9 Affirmant tamen absolutè *Suar.to.4.in.3.p.D.50.se.2.nu. 3.* *Suarez. Coninb.*

Coninb. Layman. Candid. Bardi.

Coninb. de Indul. D. 12. d. 3. concl. 3. Layman l. 5. sum. tr. 7. C. 3. Candid. D. 24. disq. mor. ar. 69. d. 34. Bardi tr. 4. C. 1. n. 24. alijque communiter DD. & meritò, nam ex *c. Ex parte, 27. de Decim.* quotiès conceditur id, quod est maius, toties minus concessum videtur, presertim in ijs quę sunt eiusdem rationis, vt de facto sūt pœnitentię iniunctę, & non iniunctę: omnes enim sunt in ratione satisfactionis debitę pro peccatis, & solùm differunt per aliquod extrinsecum, nempe per impositionem à Confessario factam, hec autem impositio est quid extrinsecum obligationi pœnitentię, & solùm illam modificat, ac ita qualificat, vt illā reddat difficilioris dispensationis, nam pœnitentia sacramentalis difficiliùs relaxatur, quàm non sacramentalis, ac proindè eo ipso, quod relaxatur pœnitentia iniuncta, quę est quid supremum in ratione satisfactionis, consequēter relaxatur etiā pœnitentia non iniuncta, quę est quid minus in eodem genere satisfactionis.

10 Cōfirmatur, & exemplificatur assumptum, nam siquis haberet potestatem dispensandi in Votis iuratis (quę quidem sunt difficilioris dispensationis) vtiq; is posset ex hoc dispensare etiā in Votis non iuratis quatenus sunt facilioris dispensationis. Similiter impedimenta dirimentia si inueniantur coniuncta, sūt difficilioris dispensationis, ac quando sunt separata; ac proinde si concederetur alicui facultas dispensandi in ijs impedimētis sic coniunctis, poterit is absque dubio similiter dispensare in eisdem impedimentis etiam separatis, atquè adeo idem dicendùm erit in presenti casu.

11 Quotiès igitùr in concessione Indulgētiarū dicitur de *Iniunctis*, non restrictiuè sumi debet talis particula, sed ampliatiuè; ita vt sensus sit, per Indulgētiam concessam remitti pœnitētias etiam iniunctas. Ex quibus satis patet ad rationem AA. in contrarium pro prima sententia, atquè adeò multò magis Indulgentia absolutè concessa valebit etiam pro pęnitentijs non iniunctis contrà DD. secundæ sententiæ.

12 Ad quorum primam rationē in cōtrarium nego, concessionem indulgentiarum esse odiosam, atquè adeò restringendam & dico esse absolutè fauorabilē, atquè adeò ampliandam, nam huiusmodi Indulgētiarum concessio non cedit in præiudicium alicuius tertij, sed solius concedentis, quatenùs est contentus remittere in partim, vel totum Ius, quod habet ad exigendam adæquatam vindictam pro offensis contrà ipsummet factis, pręiudicium verò ipsius concedentis non reddit priuilegium odiosum (vt diximus D. 1. Q. 1. n. 10.

13 Ad secundam autem eorumdē rationem etiam in contrariū Concedo, in aliquibus Decretis concedi indulgentias cum supradicta restrictione, nempè ad pœnitentias iniunctas; nego tamē haberi decretum, per quod saltem significetur, cum eadem restrictione reliquas indulgentias concedi. indulgentias igitùr absolutè, & absque vlla restrictione concessas, absolutè etiam concedi, dicendum est, nempè tàm pro pœnitentijs à Confessario iniunctis, quàm etiam pro reliquis pœnitentijs, quas

quas pro commissis peccatis me remur, quamuis à nullo Confessario imposite fuerint.

DIFFICVLTAS III.

An per supradictas Cruciatæ Indulgentias relaxentur pœnæ pro aliquo delicto, saltē à Iudice ecclesiastico imposita?

14 RAtio dubitandi pro parte affirmatiua est, quia in eadem bulla Cruciatę absolutè, & absq; vlla limitatione conceditur remissio de pœnitētijs non solùm iniunctis, sed etiam *Quomodolibet debitis*, ac proinde sub hac adeò vniuersali remissione vidētur etiam cōprehendi pœnę pro aliquo delicto saltem à Iudice Ecclesiastico impositę, & sic, si quis ex aliquo delicto suspensus fuerit à Diuinis, videtur, consequendo huiusmodi indulgentias, ab omni pœna absolui, & idem consequenter dici poterit de alijs pęnis, quę vel à sacra pęnitentiaria, vel ab eodem Sum. Pontifice in dispensationibus imponi solent.

15 Negat tamen *Bardi p.2. tr. 4. C.1.n.47.* & meritò, nam per supradictas indulgentias remittūtur solùm pœnitentię, quibus priuilegiatus tenetur coram Deo, & in foro conscientię pro peccatis commissis satisfacere, non remittuntur pœnę illę, quę pro bono regimine in foro externo imponuntur à Iudice, vel à Principe. & ratio est, quia Sum. Pontifex nullo modo intendit per concessionem harū indulgentiarum, tollere, seu perturbare ipsum bonum regimen Reipublicę, eiúsque iudiciariam potestatem; aliter enim deberent per hanc bullam remitti omnes etiam pœnę temporales, vt exilia, fustigationes, capitis diminutio, detentio in carceribus, omnesque pœnę pecuniarię, & cetera huiusmodi, quod est omninò absurdum. Atquè hęc de indulgentijs partialibus Cruciatę; ad indulgētias igitur Stationum progrediamur.

Bardi. Auctor.

DIFFICVLTAS IV.

Quænam sint Stationum Indulgentiæ, quæ per Bullam Cruciatæ conceduntur?

16 PRęter Indulgentias supradictas, concedit Sum. Pōtifex in §. XIV. omnibus bullā sumentibus omnes alias indulgentias, quę conceduntur fidelibus visitantibus quinque Ecclesias Stationum Romę, sic: *Item, qui dicto anno durante in singulis diebus Stationum Almę Vrbis quinque Ecclesias, seu Altaria, seu in illorum defectum quinquies vnum Altare deuotè visitauerint, precesque ad Deum pro vnione, & victoria predictis fuderint, omnes, et singulas Indulgentias Stationum intra, & extrà muros prædictæ Vrbis, tàm pro se, quàm per modum suffragij pro Defunctis, pro quibus visitauerint, consequantur.*

17 Pro quorum intelligentia sciendum est, quod D. Gregorij Magni temporibus (suprà quàm credibile est) per totam Italiam exitialis Pestis morbo immaniter grassante, instituit statim tunc Sum. Pōtifex quasdam Romę Ecclesias, in quibus fideles statutis diebus, vnitim orantes,

orantes, sic citiùs iustam Dei iram placarent; ad quas vt faciliùs, ac sanctiùs confluerent, cōcessit, idem Sum. Pontifex quolibet assignato die, ad designatam Ecclesiam accedētibus septem annos indùlgentiæ, dictasque ecclesias appellauit *Stationes*, seu Stationum Ecclesias, quas alij Sum. Pontifices alijs indulgentijs successiuè ditarunt, quæ singulæ in calce summarij eiusdem bullæ adnectuntur.

18 Iam verò *Statio*, propriè loquendo, est actus illius, qui stat; vnde milites stantes in custodiā, *Stationarij* dicebantur; similiter & locus, in quo dicti milites custodientes præsidebāt, appellabatur Statio, seu Præsidium, seu Propugnaculum, ad cuius similitudinem Ecclesiæ prędictæ, in quibus fideles validissimis Orationum armis contrà communem tunc Pestis hostem, custodiebant Ecclesiam militantē, meritò Stationes dictæ sūt, sicuti similiter & Rogatio, seu Processio, quæ ex vna in aliam Ecclesiam fit, etiam ratione termini, benè Statio nuncupatur.

19 Hæ igitur sunt Stationum Indulgentiæ, quæ similiter sumētibus Bullam conceduntur, ac si prædictas Romæ Ecclesias personaliter visitarent; dummodò tamen locò illarum, alias quinque Ecclesias, seu quinque Altaria, vel vnam Ecclesiam, vel vnum altare quinquies personaliter visitauerint, prout infrà dicemus Q. 4.



DIFFICVLTAS V.

An per Bullam concedantur indulgentiæ Stationū non solùm Partiales, sed etiam Plenariæ, & quotidie?

20 CORduba l. 5. Indul. q. 41. Herriq. l. 7. C. 10. n. 2. Nauar. de Iub. notab. 9. n. 15. Lud. à Cruc. D. 1. C. 8. du. 2. n. 3. Granad. in 3. p. de cōtr. 12. tr. 6. d. 2. Lauor. de Ind. p. 2. C. 10. Sua. to. 4. in 3. p. D. 52. se. 8. alijq; docēt, virtute bullæ Cruciatę concedi solas indulgentias partiales Stationum, non autem Plenarias. primò quia in §. XV. eiusdem bullæ expresè Sum. Pōtifex declarat, se per hanc bullā semel in vita, & semel in articulo mortis concedere indulgentiam Plenariam (de qua infrà Q. 5.) ergò præter hanc vnam & alteram, nulla alia indulgentia Plenaria per hanc bullam conceditur. *Cordub. Herriq. Nauarr. Lud. à cr. Granad. Lauor. Suar.*

21 Probant secundò, quia Stylus Romanæ curiæ est (vt inter regulas Cancellariæ apparet) nunquam indulgentiam Plenariam intelligi concessam, nisi explicetur; hic autem non dicitur concedi indulgentiam Plenariam, sed tantùm indulgentiā, atquè adeò de solis indulgentijs partialibus intelligi debet præsens concessio, non autem de Plenarijs. Probant tertiò, quia si per bullam cōcederentur Stationum indulgentiæ etiam plenariæ, cum hæ, ex eadem bulla possint applicari animabus Purgatorij, vtiquè per illas iam animę Purgatorij liberarentur: hoc autē nō videtur admittendū, ex eo, quia facultas liberandi has animas (prout similiter habetur ex eodem stylo Romanæ Curię) nunquā

nunquam eodem modo intelligitur concessa, nisi expresse cōcedatur.

22 Absolutè tamen affirmant *Rodriq.* §. 8. *n.* 5. *Villalob. tr.* 27. *Clauf.* 8. *Trullen. l.* 1. §. 6. *d.* 1. *Bardi p.* 2. *tr.* 4. C. 4. *n.* 18. alijque magis communiter; & meritò, nam in Compendio eiusdem bullę Italico, expresse dicitur, visitantibus quinque Ecclesias, seu quinque Altaria &c. concedi omnes indulgentias, ac remissiones, quas lucrantur illi, qui personaliter visitant Ecclesias intra, & extra Romam; cum igitur ex his indulgētijs plures sint plenariç, vt videre est in fine dicti Compendij, consequenter visitantes quinque Ecclesias, seu quinque altaria (modo infrà dicēdo Q. 4.) lucrabuntur virtute bullę Cruciatę, non solùm indulgentias Stationum partiales, sed etiam Plenarias.

Rodriq. Villalob. Trullen. Bardi. Auctor.

23 Ad hęc respondens *Sorbus tr. de Ind.* ait dictas indulgētias Plenarias Stationum additas fuisse in bullę Summarijs, vel à Quęsitoribus, vel à Cōmissarijs, siue lucri caussa, siue ex ignorātia. Verùm in personis tàm qualificatis neutrum præsumendum est; nō primum vt potè valde scandalosum; esset enim decipere fideles in re satis graui. Multò minus secundum in re tot Prelatorum oculis, totq; annis exposita, imò etiam (vt credendum est) à Sum. Pontificibus approbata.

Sorbus.

24 Ad primam autem rationem AA. in contrarium dico, indulgentiam illam Plenariam semel in vita, & semel in morte concedi per bullā absque vllo onere: indulgentias verò Plenarias Stationum concedi sub onere visitandi Ecclesias, seu altaria, modo infra explicando; illam insuper esse à Confessario applicandam, secùs istas.

25 Ad secundam verò rationem Dico, satis esse vt explicitè concedantur indulgentię Stationū. Adde, in Summario, quo aliqua dubia bullę plumbeę enodantur expresse concedi etiam plenarias indulgentias Stationum, vt dictum est.

26 Ad tertiam similiter Dico, liberationem animarum Purgatorij sufficienter exprimi, dùm Pontifex expresse cōcedit, posse has indulgētias applicari Defunctis per modum suffragij; has autem indulgentias esse etiam Plenarias aliunde cōstare. Quomodo autem dictę indulgentię sint applicandę Defunctis, dicemus D. vlt. huius operis.

27 Ceterùm posse dictas indulgentias acquiri singulis diebus, certum est; ita enim expresse habetur in fine dicti Summarij eiusdem bullę Italicè editi, vbi assignatis aliquibus anni diebus, nempè Quadragesimę, Aduentus, Quatuor temporum, alijsq; solēnioribus festiuitatibus, hęc adduntur: *Tutti gl'altri giorni dell'anno si guadagnano l'Indulgenze, che in Roma, per esserui in quella ogni dì Statione.* quare per hanc bullam non conceduntur omnes indulgentię Romę, sed tantùm illę, quę indulgentię Stationum dicuntur. An verò possint pluriès eodem die acquiri, dicemus Diff. sequenti.

DIFFICVLTAS VI.

An supradicta Bulla Indulgentia possint pluriès eodem die lucrifieri?

28 INdulgentias quindecim annorum, ac totidem Quadrage-

dragenarum ſupradictas Diff.1. poſſe lucrifieri toties, quoties ponuntur onera, ſub quibus cõceduntur, patet ex ipſamet Bulla. non poſſe autem eaſdem Indulgentias pluries eodem die lucrifieri, ſimiliter certum eſt, nã dictæ indulgentię (vt infra videbimus) cõceduntur ſub onere ieiunij, quod cũ nequeat fieri niſi ſemel in die, conſequẽter & ipſę indulgentię non niſi ſemel in die poterunt lucrifieri.

29 Difficultas igitur præſens ſolùm procedit circa Indulgẽtias Stationum, & huiuſmodi; nam cum tales Indulgentię cõcedãtur ſub onere viſitãdi Eccleſias, ſeu Altaria (vt infra dicemus Q.4.) hęc autem viſitatio cùm pluries eodẽ die fieri poſſit, meritò conſequẽter videndũ erit. An etiam pluries eodem die dictęStationum indulgẽtię lucrifieri poſſint.

D.Anto. Palud. Cordub. Syluest. Felin.

30 Negant *D. Anton.1.p.tit.10. C.3.§.3.Palud in.4.d.20.q.4.ar.7 Cordub.de Indul.q.25.Syluest.V. Indul.q. 8.d.3. Felin.tr.de Indul. aliique Iurisperiti in c.fin.de pænit.& remiſ.* Quorum ratio eſt, quia alioqui indulgentia perennis, quę valet toties, quoties, nõ diſtingueretur à non perẽni.

Rodriq: Nauarr. Angelus. Roſſell. Curiel. Nuñus. Villalob. Auctor.

31 Affirmant tamen *Rodriq. §.8. n 15. Nauar.§.in leuit. notab.32. n.46.Angel.V.Indul.§.4.Roſsel.§. 12.Curiel.de Iubil.f.94.Nuñus in 3.p.to.2.§.10 Villalob. to. 1.ſum. tr. 27.claus.8.n.8.* pleriq; alij. & meritò, nam conceſſio indulgẽtiarum eſt priuilegium abſolutè fauorabile, ac proinde latiſſimè interpretandum, & ſic non eſt, cur prędictę indulgentię ad ſemel tantùm in die reſtringantur, ſed toties, quoties viſitabuntur quinque Eccleſię, ſeu quinque altaria.

32 Ad rationem autem in contrarium dico, quod indulgentia perennis ſatis diſtinguitur à nõ perenni, ex eo quia non perennis pro aliquo determinato tẽpore conceditur, perennis verò abſolutè, & abſque vlla temporis determinatione.

33 Iam verò ſupradictę indulgẽtię, cum pro Defunctis etiã acquiri poſſint (vt ſupra diximus) conſequẽter pro eiſdem defunctis poterunt etiam multoties vno, eodemque die ſum; nullũ enim incõueniens ex hoc ſequi videtur.

QVÆSTIO III.

De Bonorum operum Participatione, quæ per Cruciatam conceditur.

PRoſequitur Sum.Pontifex in eodem §.XIII. concedere virtute Cruciatę participationem omnium Orationum, Eleemoſynarum, Peregrinationum, ac reliquorum bonorum operum, quę à ſingulis Chriſti fidelibus in tota militanti Eccleſia fiunt. Vidẽdum igitur in pręſẽti erit, in quo nam conſiſtat hęc Bonorum operũ participatio, quę ſumentibus bullã hic conceditur.

DIFFICVLTAS I.

An detur in Eccleſia participatio bonorũ operũ,& in quo conſiſtat?

1 VT diſtinctiùs intueamur, quid ſpecialiter à Sũ. Põtifice virtute Cruciatæ in præſenti concedatur, videndum priùs erit, quid independenter ab hoc Cruciatæ priuilegio, de

solo Iure communi cõcessũ sit.

2 Et quidem Fide sanctum est, dari inter fideles aliquam communicationem bonorum operum, quibus alij alios iuuare possunt; apertè enim hoc ipsum cõfitemur in Symbolo: *Credo SS. Communionem*; cuius sensus est, esse inter Sanctos, qui sunt viua membra Christi, communicationem aliquam in operibus bonis, quatenus vnusquisque suis bonis actionibus potest alios iuuare, ex eo quia sumus eiusdē corporis membra, teste *Apost. 1. ad Corinth. 12. & ad Ephes. 4.* atq; adeò, sicut in eodem corpore humano vnumquodque membrum non in suam tantùm, sed etiam aliorum vtilitatem operatur, ita & in mystico Ecclesiæ corpore, membra quæ viua sũt, & vtiliter operari possunt, non solùm poterunt sibi mereri, sed etiam alijs auxilium præstare. quod nam hoc sit, patebit ex dicendis.

3 Iam verò dicta SS. communio consistit non solùm in influxu, quo Christus Dominus tanquã Ecclesiæ caput in sua membra iugiter influit, vt loquitur *Trid. ses. 6. C. 16.* & in communicatione Sacramentorum, eiusdemque sacræ doctrinæ, aliorumque mysteriorum, sed etiam in actuali bonorum operum participatione, quatenus iustus potest applicare sua opera in satisfactionem pro alijs, & insuper impetrare, & mereri de cõgruo proximis aliquod donum siuè naturale, siuè supernaturale. *Tridenti.*

4 Dicitur autem mereri de Congruo, quatenus condecens est, congruum, ac diuinæ liberalitati valde consonum, vt attendēdo iustorum opera, eorum fratribus benefaciat, qui fide, & fraterna charitate sunt illis coniuncti, ad quod alludit Propheta *in Psal. 118.* vbi Deum alloquens ait: *Particeps ego sum omniũ timentium te.* Sed videamus, quid vltrà hoc vi Cruciatę concedatur.

DIFFICVLTAS II.

An hic per Cruciatam concedatur aliquid aliud vltrà Ius commune, circa bonorum operum participationem?

5 Potissima ratio dubitãdi est, quia etiam secluso hoc bullæ priuilegio, adhuc Christianus ex eo præcisè quod sit in gratia, est particeps omnium bonorum operum iustorum, vt communiter docent Patres, & in Symbolo confitemur, (vt supra dictum est) atquè adeò nihil supra Ius commune videtur Sum. Põtifex concedere vi præsentis priuilegij.

6 Neque dicas, per hanc concessionem participationis bonorũ operum concedi à Pontifice Indulgentiam aliquam; contra enim est, nam Indulgentiæ conceduntur de communi Ecclesiæ Thesauro, qui est cumulus meritorum, seu satisfactionum superabundantium Christi, & Sãctorum (vt supra Q. 1. dictum est) præsens autem concessio nõ est, nisi de satisfactionibus viuorum, vel etiam Beatorũ, quę in prędicto Ecclesię Thesauro nunquã repositè fuerunt. hinc.

7 *Herriq. l. 1. C. 30. n. 1.* alijsque docent, nihil suprà ius commune à Sũ. Pontifice hic concedi, sed tantùm prędictam participationem nouo titulo assequendã: Sed contra est, quia priuilegium cũ sit priuata, seu priuati lex, seu *Herriqu.*

priuans

priuans legem, vtiquè aliquem specialem effectum suprà Ius commune sortiri debet, aliter omninò vanum, & absolutè inutile estimari debet.

Trullen. Lud. à cr. Auctor. 8 At *Trullen. l. 1. §. 5. n. 3. Lud. à Cruc. D. 1. C. 8. d. 15. à n. 9. & Bardi p. 2. tr. 4. C. 2. n. 6.* asserunt, & meritò, aliquid aliud à Pontifice hec concedi vltrà ius commune circa dictam bonorum operum participationem, hoc autem esse, quod superabundat viatoribus iustis ex ipsorum satisfactionibus non applicatis supponunt enim, nullum purum hominem quamtumuis perfectum, ac superabundantes operantem satisfactiones, posse ex ijs operibus priuatum Thesaurum congregare, ex eo quia esset ei prorsus inutilis, cùm non posset illum propria auctoritate alijs dispensare, & applicare, ac proinde dum iustus operatur, si nulli alij propriȩ operationis satisfactionem tunc applicet intentione formali, vel saltem virtuali, statim talis superabundans satisfactio reponenda est in Ecclesiȩ Thesauro: Sum. tamen Pontifex antequã in dicto Thesauro reponatur, inter sumentes hanc bullam (dummodò in gratia tũc inueniantur) distribuit.

9 Verùm quamuis doctrina ista vera sit, sola tamen non videtur sufficiens ad saluandam præsentem concessionem; nam per hoc priuilegium conceditur sumentibus bullam participatio *Omnium bonorum operum, quæ in vniuersali militanti Ecclesia, & singulis eius membris fiunt*; iam supradictus excessus satisfactionum non est omnium & singulorum bonorum operum, quȩ in Ecclesia fiunt, sed tãtùm paucissimorum hominum iustorum vt patet; neque iustorum omnium, sed tantùm illorum, qui desides fuere applicãdi sua opera bona.

10 Dicendum igitur est, per hãc concessionẽ participationis dictorum bonorum operum, qui sumit bullam, speciali modo aggregatur Iustorum societati, ratione cuius societatis nõ solùm fit particeps excessus satisfactionum superabundantium iustorũ (iuxtà supra dicta) sed etiam lõgè specialiori modo meretur de congruo, hoc est intuitu bonorum operum hominum iustorũ, quibus nouo modo, ac titulo aggregatus est, dona aliqua vel naturalia, vel supernaturalia, vt si v.g. erit in gratia, vt in illa cõseruetur: si minùs, vt citiùs conuertatur, & huiusmodi, atquè adeò per hoc priuilegiũ aliquid aliud supra Ius commune absolutè conceditur.

11 Ad gaudendum autem præsẽti priuilegio, non sufficit sumere tantùm bullam, sed necesse est, vt oret pro Victoria contra Infideles, pro Vnione inter Principes Christianos, & huiusmodi: quod etiam ieiunet, ieiunio omninò supererogationis (vt quæstione sequenti fusè dicemus) vel si nequeat ieiunare, in aliquid aliud à Confessario commutari potest, iuxtà ea, quæ infrà de Commutatione Votorũ dicemus. Verùm, antequam deueniamus ad dicta onera, sub quibus supradictæ Indulgentiæ, ac bonorum operum participatio conceduntur, iuuat aliquid innuere circa participationem bonorum operum Religiosorum.

DIFFICVLTAS III.

An Prælati Regulares possint efficere extraneos participes omnium bonorum operum suorum subditorum?

Cordub. Suar. Lauor. 12 AFfirmant *Cordub. l. 5. de Indul.C.24.Suar. to.4. in 3.p.D.55.se.5.n.6.Lauor.de indul. p.2.C.4.*& communiter DD.posse, per se loquendo, quoscunque Religionum Prælatos, hoc est tàm Generales, & Prouinciales, quàm locales superiores admittere extraneos ad participationem bonorum operum, quæ à proprijs subditis fiunt. Et meritò, *Auctor.* primò quia de facto ita practicatur. Secundò quia nulla in hoc afferri potest implicantia. Dixi tamen *per se loquendo*, ex eo quia peraccidens poterit dicta facultas à superioribus Prælatis respectù inferiorum Prælatorum limitari, vt de facto in Soc. Iesu in solo residet Generali.

13 Conueniunt similiter DD. istam bonorum operum participationem non consistere in applicatione alicuius Indulgentiæ. patet, nam Prælati Religionum (saltem de facto) nequeunt Indulgentias concedere, prout supra q.1.dictum est.

14 Restat igitur dicendum, dictam bonorum operum participationem consistere primò in communicatione satisfactionũ, quæ supersunt ijs religiosis, eodem modo, quo in corpore naturali videmus, vnum membrũ communicare alteri, quod sibi de alimento superfluum est (vt supra etiam dictum est) requiritur tamen ad hoc operantis intentio vel formalis, vel saltem virtualis (vt infrà dicemus.

15 Consistit insuper huiusmodi bonorum operum participatio in hoc, quod participans ratione dictæ specialis coniunctionis cum tali religione, obtineat etiam speciali modo à Deo beneficia tàm supernaturalia vt præseruationem à peccatis, illuminationes, gratiam conuersionis, & similia: quàm naturalia, vt corporis sanitatem, periculorum euasionem, & huiusmodi; eo ipso enim quod quis speciali modo effectus est membrum, seu socius alicuius religiosæ cõmunitatis, Deus ex sua liberalitate intuitu meritorum illius communitatis mouetur ad ei præmiandum, etiamsi ea communitas ad hunc finem nõ operetur; & hoc est mereri de congruo, & indirectè plùs, vel minùs prout participans erit de illa religione benemeritus, vt suprà etiam dictum est.

16 Valet etiam dicta bonorum operum participatio alicuius religionis, ad directam benificiorum tum spiritualium, tum temporalium impetrationem; nam quamùis adhũc fructum requiratur necessariò intentio orantis, attamen ceteris paribus, efficacior est iusti Oratio facta pro persona sibi cõiuncta, quàm pro extranea. Valet præterea ad participandum omnium Orationum, quæ fieri solent generaliter pro ipsa Religione, & mẽbris eius, nam sic illas participant non solùm indirectè, sed etiam directè.

17 Valet demum ad participandas, & lucrandas Indulgentias eidem religioni concessas; & quidem directè, & per se si ex speciali Pontificis concessione illius indulgentiæ etiam ad has perso-

personas extendantur, prout de facto religionibus Mendicantiū concessum est: indirectè verò, & per accidens quatenus mediantibus indulgentijs communitas religionis fit aptior tàm ad satisfaciendum, quàm ad impetrandum à Deo beneficia tum naturalia, tum supernaturalia, & præsertim personis coniunctis, prout dictum est. Sed videamus nunc an ad hoc intentio operātis necessariò requiratur.

DIFFICVLTAS IV.

An ad participanda bona opera Religiosorum, requiratur necessariò intentio operantis?

18 EX supradictis Diff. præcedētis constat, tribus præcipuè modis participari posse bona opera alicuius religionis; primò per modum satisfactionis, secundò per modum impetrationis de congruo, seu indirectè, & tertiò per modum directæ impetrationis, atquè adeò secundùm hunc triplicem participandi modum procedit hęc Difficultas, quam triplici etiam conclusione absoluemus.

19 Et quidem conueniunt DD. nullam requiri intentionē operantis, adhoc vt admissus, modo dicto participet de cōgruo, seu per modum indirectę impetrationis bona opera Religionis, ad cuius consortium, ac societatem admittitur. & meritò, nā mereri de congruo nihil aliud est, nisi quod Deus attendendo opera bona illius Religionis, benefaciat etiam eius fratribus, & coniunctis: si enim congruū, satisque consonum liberalitati terreni Principis existimatur, propter opera, ac merita vnius Herois toti eius familię, ac coniunctis etiam benefacere, sanè multò magis hoc ipsum infinitę Dei congruet liberalitati; ad quod non requiri intentionem operantis, satis patet.

20 Conueniunt similiter DD. ad participandum aliorum opera per modum directę impetrationis, necessariò requiri intentionem ipsorum operantium. patet, hoc enim formalissimè sentimus participare alterius opera per modum directę impetrationis, quando quis scilicet orat, vel aliud operatur cū expressa intentione, vt alteri impetret à Deo aliquod beneficiū siue naturale, siue supernaturale.

21 Difficultas igitur solùm restat, An ad participandum aliorum opera per modum satisfactionis, requiratur necessariò intentio operantis: seù An Prælatus Religionis possit applicare alijs satisfactiones suorum subditorum, saltem quoad excessum, absque vlla intentione suorum subditorum.

22 Affirmant Cordub. q. 42. p. 3. d. 5 Soto D. 21. q. 1. ar. 4. alijque; quorum ratio est, quia Prelatus Religionis est Dominus omniū actionum sui subditi, & earumdem fructuum, atquè adeò poterit, sua sola intentione, efficaciter applicare alteri talem satisfactionem, imitando omnem voluntatem subditi, si fortè repugnauerit. Et confirmari potest, nam Prelatus Religionis non est minus Dominus operū, ac satisfactionum subditorum, quàm Sum. Pontifex respectù omnium fidelium; cum igitur Pontifex possit sua sola intentione applicare alijs excessum satisfactionum à fidelibus non appli- Cordub. Soto.

applicatum (vt suprà n. 8. dictũ est) cõsequenter idem dici poterit de Prelato Religionis respectù excessus satisfactionum subditorum.

Suarez. Lauor. Bardi. 23 Negant tamen *Suar.to.4. in 3.p.D.55.se.5.n.6.Lauor.de indul. C.42.n.24.Bardi p.2.tr.4. C. 2.n. 14.* & communiter DD. & meritò, nam applicatio operis solùm spectat ad illum, qui suprà tale opus habet immediatum dominium quoad eius vsum, hic autem est ille solus, qui proximè operatur; Prelatus enim quamuis habeat aliquod ius ad illud, attamen cum non sit proximè operans, nequit consequenter habere immediatè, & directè dominiũ suprà opera, quę fiunt ab alijs etiã subditis, ac proinde, etiamsi Prelatus pręcipiat subdito, vt applicet suum opus pro tali determinata persona (de quo Diff. sequenti), cum toto tamen hoc, nisi subditus sua voluntate illud tale opus similiter offerat, vel expresè, & directè, vel saltem virtualiter, hoc est suam intentionem ad superioris intentionem referendo, nunquã illud opus intelligetur applicatum iuxtà ipsius Prælati voluntatem; & sic patet ad rationem AA. Auctor

24 Ad Confirmationem autem, nego paritatem; nam excessus satisfactionum iustorum ab eisdem nõ applicatus pertinet per se ad cõmunem Ecclesiæ Thesaurum, cuius dispensatio, seu applicatio mediantibus indulgentijs ad solum Pontificẽ spectat (vt supra Q. 1. dictum est) atquè adeò patet disparitas. si verò loquamur de ipso opere per se sumpto, dico, neque ipsũ Pontificem posse sua sola voluntate applicare opera aliorum, absquè vlla ipsorum operantiũ voluntate. Videre hic solùm restat, An superior præcipere possit subditis, vt alijs aliqua ipsorum opera applicent. pro quo sit.

DIFFICVLTAS V.

An Prælati Religionum possint præcipere suis subditis, vt applicent alijs aliqua ipsorum opera satisfactoria?

25 NEgat *Scotus quodl.* 20. ex eo, quia talis bonorum operum applicatio est opus merè internum, atquè adeò non videtur cadere posse sub humanum præceptum. Scotus.

26 Affirmant tamen *Suar.to.4.in 3.p.D.55.se.5.n.8.Lauor.de indul. C. 42. n. 25.* alijq; communiter DD. & meritò, nam sicuti religiosus potest vi suæ regulæ obligari ad aliquos interiores actus, vt ad orationem mentalem, & huiusmodi, ita similiter poterit obligari ad eosdem actus interiores vi præcepti sui Superioris, qui est eiusdem subditi regula viua, vnde corruit ratio in contrarium, & maximè ex ipsa praxi. Suar. Lauor.

27 Sed adhuc dato, quod opus merè internum non possit cadere sub humanum præceptum per se, & directè, negari tamen nullo modo potest, tale opus merè internum posse saltem indirectè, & per accidens sub humanum pręceptum cadere, quotiès scilicet tale opus internum se habet, vt circumstantia necessariò completiua operis externi, quod pręcipitur, vt ex multis exemplis constat: e. g. Ecclesia cùm pręcipit annuam confessionem, pręcipit consequenter,

sequentèr, seu indirectè etiam actum internum doloris, alioqui erit simplex peccatorum enarratio, non sacramentalis accusatio. Similiter Iudex Ecclesiasticus, in varijs casibus, præcipere potest contractionẽ matrimonij; iam in ijs casibus consensus internus necessariò cadit, saltem indirectè, sub Iudicis præceptum, aliter tunc nõ erit matrimonium, sed actus fornicarius; ita & in præsenti dicendum est de applicatione boni operis, quod à Superiore pręcipitur pro alijs faciendum.

28 Quod dictum est de Prelatis Religionum, dicendum similiter est de Sum. Pontifice, & Episcopis respectù suorum subditorum, si caussa publica, & proportionata occurrat; vt si v. g. precipiant ieiunium, aliasue orationes fieri pro Defunctis in bello pertinente ad caussam Religionis, vel aliud huiusmodi; rarissimè tamẽ, & non nisi ex vrgentissima caussa, frequentiùs autem, & ex minori caussa licebit Religionum Prelatis, qui ratione voti Obedientię habent speciale ius, & dominium in subditorum voluntatem, ac proinde faciliùs poterunt de eorum operibus disponere.

29 An verò Regulares teneantur sub peccato, necne applicare pro benefactoribus, vel alijs caussis aliqua ipsorum pia opera, tàm ex vi proprij instituti, quàm ex precepto Superioris, non est huius loci, sed dignoscendũ est ex modo, quo talia opera pręcipiuntur. Transeundũ nunc erit ad onera, sub quibus supradictę Indulgentię, ac participatio bonorum operũ totius Ecclesię vi bullę Cruciatę conceduntur.

QVÆSTIO IV.

De Oneribus, sub quibus cõceduntur supradictæ Indulgentiæ vì Bullę, ac bonorum operum participatio.

SVpradictę indulgentię, ac participatio bonorum operum, de quibus hactenus loquuti sumus, non absolutè per bullam conceduntur, sed sub quibusdã Oneribus, nempè ieiunio, Oratione, & Ecclesiarum, seu Altariũ visitatione, de quibus in pręsenti Quęstione singillatim agemus, quęnam scilicet, & qualiter esse debeant.

DIFFICVLTAS I.

Quale debeat esse Ieiunium, sub quo supradictæ Indulgentiæ Partiales, ac participatio bonorum operum per Bullam conceduntur?

1 COnueniunt primò DD. ieiunium, quod à Sum. Põtifice iniungitur pro lucrandis supradictis Indulgentijs partialibus, ac participandis de bonis operibus totius Ecclesię, debere esse supererogationis, hoc est, nõ debere esse ieiunium aliquod, quod ex precepto Ecclesię adimplere tenemur: sic enim expressè in eadem bulla statuitur his verbis: *Qui diebus non suppositis Ieiunio voluntarium ieiunium fecerint*; hinc

Con-

2 Conueniunt secundò DD. ieiunium hoc iniunctum debere esse omninò voluntarium, hoc est, quamlibet obligationem, ex quolibet capite prouenientem excludens, & consequenter omninò liberum. vnde excluditur ieiunium ex Voto, quod licèt sit liberum in caussa, attamen absolutè loquendo, est debitum, & consequenter nequit absolutè dici liberum.

3 Excluditur similiter ieiuniũ, quod pro lucrando Iubileo, seu aliqua alia indulgẽtia assumitur; nam quamuis tàm Iubileum, quàm alias indulgentias liberè lucremur, posita tamen voluntate lucrandi illa, ieiunium consequenter ab illis iniunctũ euadit necessarium, & sic alio capite debitum.

4 Excludunt etiam communiter DD. ieiunium à Confessario in confessione sacramentali impositum. Sed immeritò quidem, nam iuxtà cõmunissimam opinionem, atque adeò satis probabiliter potest pœnitens omnem suorum peccatorum pœnam differre post mortem in Purgatorio luendam, & sic quodlibet ieiunium à Confessario impositum dici poterit absolutè liberum. Adde, posse pœnitentem benè assumere has indulgentias loco pœnitentiæ à Confessario impositæ, vt ex Q. sequenti patebit.

5 Conueniunt tertiò DD. quod si quis ex Voto, vel ex pœnitẽtia à Pontifice, seu à Prælato imposita, teneretur singulis anni diebus ieiunare, tunc ex præsumpta Sum. Pontificis voluntate, posse illum, non obstante dicta quotidiana obligatione ieiunandi, satisfacere vnico ieiunio pro vtraque obligatione. Et meritò, nam non videtur rectæ rationi consentaneum, ex hac præcisè obligatione quotidiè ieiunandi excludere hominem à tot Cruciatæ indulgentijs, ac totius Ecclesiæ bonorum operum participatione, siue stante hoc impedimento, alio opere eundem grauare.

6 Dubitari tamen solùm poterit, An stante longo ieiunio, vt communiter est ieiunium Quadragesimale, possit tunc satisfieri vtrique obligationi vnico ieiunio?

7 Affirmant *Herriq. l. 1. C. 17. & Bardi tr. 4. C. 3. n. 5.* Et meritò, nã ex vna parte neque rectæ rationi consentaneum videtur, priuare fideles priuilegiatos, ad lõgum tempus, tot Cruciatæ priuilegijs, & indulgentijs tam liberaliter concessis: ex altera verò parte neque cogendi illi videntur ieiunare diebus Dominicis contra Ecclesiæ consuetudinẽ; ac demùm neque videtur suprà diuturni ieiunij onus, aliud alterius operis onus superimponendum. *Herriq. Bardi. Auctor*

8 Hinc cõueniunt quartò DD. quod si à Sum. Pontifice concederetur aliqua Indulgentia cũ onere ieiunandi aliquo determinato die, quo priuilegiatus teneretur etiam ex Voto v. g. ieiunare, tunc similiter vno ieiunio posse vtrique obligationi satisfieri.

9 Verùm, quamuis ego hoc probabile existimem, probabiliùs tamen videtur in tali casu, commutandum ieiunium in aliud opus æquiualens; nõ enim videtur adeò graue onus, subire duo pia opera vnico die pro duplici spirituali lucro eodem die consequendo, dummodo absq; vllo dispendio fieri hoc possit.

Demum

10 Demùm conueniunt quintò DD. quod si sumens Bullam detineatur aliquo legitimo impedimento ad ieiunandum, tunc si velit dictas indulgentias lucrari, posse à Confessario, vel à Parocho dictum ieiunium in aliud pium opus commutari iuxta cōditionem, & qualitatem priuilegiati. ita enim in eadem bulla expresse statuitur.

DIFFICVLTAS II.

Quænam, & Qualis debeat esse Oratio, sub qua supradictæ Indulgentiæ, ac participatio bonorum operum vi Bullæ conceduntur?

11 SEcundum Opus, quod iniungitur pro lucrandis supradictis Cruciatæ indulgentijs, & participandis totius Ecclesiæ bonis operibus, est Oratio, circa quam cōueniunt primò DD. debere illam esse supererogationis, vt de ieiunio suprà à n.1. dictum est. Et meritò, nam Sum. Pontifex sub eadem forma iniungit ieiunium, ac Orationem, ergò sicuti ieiunium debet esse omninò voluntarium, ac liberū, hoc est nullo alio titulo debitū, ita & Oratio.

12 Conueniunt secundò DD. in hac Oratione iniuncta teneri priuilegium orare pro eisdem rebus, quæ in eadē bulla iniunguntur, nēpè pro vnione Christianorum Principum, pro eorundem Victoria contra Infideles, & huiusmodi prout suprà D. 2.Q.1.n.56.dictum est.

13 Controuertitur ergò solùm, An dicta Oratio debeat esse necessariò vocalis, an verò sufficiat sola Oratio mentalis?

Carolus Latius in Bull.Cruc.

14 Et quidem *Rodriq.in add.ad §. 7.n.2.* putat dictam Orationem debere esse necessariò vocalem, ex eo quia Sum. Pontifex quando præcipit opera satisfactoria, intendit præcipere externa, & visibilia. *Rodriq.*

15 Communiter tamen *DD.* docent, sufficere tam mentalem, quàm vocalem. Et meritò, nam sub nomine Orationis vt sic, & genericè sumptæ venit ex æquò tàm mentalis, quàm vocalis: tū breuis, tum prolixa; cùm igitur Sum.Pontifex circa dictam orationem genericè loquatur, consequenter quomodocunque priuilegiatus orabit, adhuc breuissimè, sufficienter iniunctæ orationi satisfaciet. *Auctor.*

16 Quod autem *Rodriquez* asserit, pro consequutione Iubilei, aliarumque indulgentiarum debere opera iniuncta esse necessariò externa, satis gratis asserit; nam quamuis opera externa sint ad hoc magis proportionata, præsertim respectù personarum in via spirituali omninò rudium, non sunt tamen simpliciter necessaria, nam potest absolutè Sum.Pontifex concedere indulgentias sub opere merè interno, vt est contritio, oratio mentalis, & huiusmodi, vt infrà n.65.dicemus; estò vt plurimùm indulgentiæ sub onere orationis vocalis expresse concedantur, vt recitando Rosarium, septem Psalmos, aliasque huiusmodi Orationes, in quo casu vltrò cōcedo, orationē debere esse necessariò vocalē, sed tunc nō sumus in casu.

Q DIF-

DIFFICVLTAS III.

Quid veniat nomine Ecclesiæ, & altaris, quorum Visitatio imponitur pro lucrandis Indulgentijs Stationum?

17 SIcuti pro lucrandis Indulgentijs quindecim annorum, ac totidem quadragenarũ imponitur ieiunium, & Oratio (de quibus suprà) sic pro lucrãdis Stationum Indulgentijs imponitur per eandem bullam visitatio quinque Ecclesiarum, seu quinque Altarium, & similiter Oratio, quæ cùm sit illa eadem Oratio, de qua in superiori Diff. dictum est, de sola Ecclesiarum, seu altarium visitatione remanet hic dicendum. Et quidem primò, cuiusnam Ecclesiæ, seu Altaris visitatio requiritur pro dictis Stationum indulgentijs lucrandis?

18 Conueniunt DD. nomine Ecclesiæ venire Templum Deo dicatum, & Episcopi auctoritate erectum, in quo missa, aliaque Diuina officia celebrari possunt, &c. quamuis ratione alicuius Canonici impedimenti, neque missa, neque alia Diuina Officia actu in illo celebrentur. Et meritò, nam cum actuali priuatione celebrationis Missæ, aliorũque Diuinorum Officiorum, adhuc stat intrinseca aptitudo proxima ad missam, aliaque Diuina Officia, in tali loco, celebrãda, atque adeò etiam in omni rigore dicitur Ecclesia, ac proinde sufficit huiusmodi locũ visitare pro lucrandis dictis Stationum indulgentijs; secùs autẽ si absolutè priuetur celebratione Missæ, aliorumque Diuinorum Officiorum, vt si magna ex parte esset dirutum, &c. quia tũc talis locus cùm absolutè cõsecratione priuetur, absolute etiam & nomine Ecclesiæ priuabitur, & tantùm denominatiuè, seu distractiuè, & æquiuocè tunc Ecclesia diceretur.

19 Conueniunt similiter DD. nomine Altaris venire mensam illam, in qua missa celebratur, siue lapidem sit, siue lignea: siue in Ecclesia, siue in Oratorio priuato, Episcopi tamen auctoritate erecta, iuxtà suprà dicta D. 2. Q. 1. n. 13. Vnde non sufficit ad lucrandas dictas Stationum indulgentias visitare altaria, quæ in aliquibus solemnioribus processionibus erigi solent in publicis vijs, & plateis, sed tantùm illa, super quæ conficitur, & cõsummatur Sacrosanctum missæ sacrificium, vt dictum est.

20 Controuertitur autem, An Oratorium priuatum sub nomine Ecclesiæ contineatur?

21 Et quidem affirmant *Herriq. l. 7. C. 10. n. 1. & Trullen. l. 1. §. 6. d. 2. n. 2.* Attamen *Rodriq. in add. ad §. 8. n. 1. & Lud. à Cruc. D. 1. C. 8. d. 13. n. 2.* volunt, Oratorium priuatum sub nomine tantùm Altaris compræhendi reuera tamen hoc nihil prorsus refert quoad effectũ, de quo in præsenti quærimus cùm satis sufficiat, vt sub nomine altaris veniat, vt patet. *Herriq. Trullen. Rodriq. Lud. à cr.*



DIF-

DIFFICVLTAS. IV.

An sufficiat visitare è foribus Ecclesiam, seu Altaria in illam existentia, ad lucrandas Stationum indulgentias?

22 COnueniũt DD. sufficere ad lucrandas dictas Stationũ indulgentias visitare Ecclesiam è foribus, presertim quando lucraturus indulgentias nequit pre populi frequentia Ecclesiam ingredi. et meritò, nam qui à foribus ipsius *Ecclesie* orat, verè, & in omni rigore fit ipsi Ecclesie moraliter presens, quod (saltem in presenti materia) est formaliter visitare Ecclesiam, posita semper intentione, saltẽ virtuali; illam visitandi ob finem à Sum. Pontifice intẽtum, & orandi pro concordia inter Principes Christianos, &c. prout supra dictum est Diffi.2.

23 *Difficultas* igitur solùm remanet de Altaribus, An scilicet sufficiat ad lucrandas dictas Stationum indulgentias, visitare altaria à solis foribus illius Ecclesie, in qua altaria inexistunt, saltẽ quando lucraturus indulgentias nequit Ecclesiam ingredi.

Zanard. 24 Absolutè negant *Zanard. p.1. direc. tr. de pœn. c.20. q.40.* aliique pauci. Absolutè tamen affirmant *Lud. à cruc. d.1. C.8. d.13. n.5.* alijque plures. at *Nuñus in 3. p. to.2. §.10.* docet, huiusmodi visitationem pro vnius altaris visitatione solùm valere; quare si is omninò velit, dictas indulgentias lucrari, necessariò debet alia quatuor altaria visitare.

Lud. à cr.
Nuñus.

Trullen. 25 Demum *Trullen. ci. n.4. & Bardi p.2. tr.4. C.4. n.55.* volunt, talem visitationem esse sufficientẽ quoties altaria visitanda erunt in tali situ, vt è foribus ipsius Ecclesie videri possint, secùs autem si nequeãt videri. & merito, nam vt quis censeatur sufficienter visitare aliquod altare, satis est, vt fiat moraliter presens tali altari, quod visitare intendit, eo modo quo communiter DD. docent de auditione Misse. iam (ex communi etiam DD. consensu) sufficienter quis è foribus Ecclesie est moraliter presens celebrationi Misse, seu assistit missæ, quoties ipsum altare videt, in quo ipsa missa celebratur, ita & in casu nostro; atquè adeò quod altaria è foribus Ecclesie poterunt videri, tot similiter poterunt etiam è foribus visitari. secùs autem que nõ videntur, ex eo quia tunc dicta moralis presentia non habetur; quod etiam contingere potest, etiam si intra ipsam Ecclesiam existat, qui dicta altaria visitaturus erit, vt patet. *Auctor.*

Carol. Latius in Bull. Cruc.

26 Et quibus colligitur, posse aliquem lucrari dictas indulgẽtias, si ex vno, eodemque loco visitet omnia quinque altaria, absq; vllo motu corporali, dummodo finita oratione requisita pro vnius altaris visitatione, oret similiter secundò coram altero altari, & sic coram reliquis tribus altaribus, prout cõmuniter etiam asserunt DD. cõtra paucos exigentes ad hoc aliqualem corporis motum, vt sic visitatio vnius altaris distinguatur a visitatione alterius altaris; verùm cum talis sẽsibilis distinctio, & per motum corporis ex ipsa Bulla non colligatur, nõ est cur sola cordis distinctio nõ sufficiat, vt dictum est. An verò possit quinquies vnum, & idem altare visitari ex vno eodemque

Q 2 loco

loco, absque vllo motu corporali, dicetur infrà diff. 7.

DIFFICVLTAS V.

An possint ad libitum visitari vel quinque Ecclesiæ, vel quinque Altaria, vel aliqua altaria vnius Ecclesiæ. alia verò alterius?

27 Conueniũt DD posse priuilegiatum ad sui libitum visitare vel quinque Ecclesias, vel quinque altaria, etiam si in toto illo oppido sint quinque Ecclesiæ. & meritò, nam onus hoc visitationis imponitur sub particula disiunctiua *Vel*, ergò absolutè in potestate priuilegiati erit eligere quid voluerit, vt ex multis exemplis patebit discurrenti.

28 Conueniunt similiter DD. posse priuilegiatum ad sui libitũ visitare aliqua altaria v.g. tria vnius Ecclesiæ, alia verò duo altius Ecclesiæ. & meritò, nam in eadem bulla non præscribitur visitare quinque altaria vnius,& eiusdem Ecclesiæ, sed vel quinque Ecclesias, vel quinque altaria absolutè; ac proinde sicuti possunt visitari hæ, vel illæ Ecclesiæ: hæc vel illa altaria alicuius Ecclesiæ ità similiter poterunt visitari aliqua altaria v. g. tria vnius Ecclesiæ, reliqua verò duo alterius Ecclesiæ.



DIFFICVLTAS VI.

An sufficiat visitare quinquies vnã, & eandem Ecclesiam, seu quinquies vnum, & idem altare, etiamsi sint quinque Ecclesiæ, seu quinque altaria?

29 Probabiliter affirmat *Riccius in add.ad.§.8. n. 15.* Negant tamen communiter DD. & meritò, nam in ipsamet bulla, visitatio quinaria eiusdem Ecclesiæ, seu eiusdem altaris conceditur ex defectu quinque ecclesiarum, seu quinque Altarium, atquè adeò existẽtibus quinque ecclesijs, seu quinque altaribus in toto Oppido, non sufficit, per se loquendo, visitare quinquies vnam, & eandem ecclesiã seu vnum, & idem altare. *Riccius* *Auctor.*

30 Dixi, existentibus quinque Altaribus in *Toto Oppido*, nam quinaria visitatio eiusdẽ altaris (vt dictum est) conceditur ex defectu quinque altarium; iam etiamsi in ecclesia, quæ eligitur visitanda non extent quinque altaria, si tamen in toto oppido habeantur quinq; altaria, tunc simpliciter, & absolutè nequit dici ibi haberi defectum quinque altarium. & hoc etiamsi intra oppidum vnum tantùm altare habeatur, reliqua verò per aliquot passus ab illo distẽt, dũmodo tamen priuilegiatus, spectata ipsius conditione, & complessione, possit commodè huiusmodi altaria visitare, aliter respectu huius se habebunt, ac si non essent, & consequenter sufficiet, si ab eo quinquies vnũ & idem altare visitetur. Hinc.

31 Dixi similiter, *Per se loquendo* nam

nam per accidens sufficere poterit, etiamsi in illa Ciuitate sint multę Ecclesię, multaque altaria, quando scilicet quis ex aliquo legitimo impedimento nequeat, nisi vnum tantùm altare visitare, vt sunt communiter moniales, in quarum Ecclesia vnum tantùm extat altare, secùs autem si omnia quinque altaria ibi fuerint. similitèr siquis ob ægritudinem, vel ob nimiam senectutem, vel ob inimicis timorem, aut iustitiæ, vel in carcere detentus, vel aliter legitimè impeditus nequeat, nisi vnum altare visitare, quia in his, & huiusmodi casibus, reliqua altaria perinde se habent, ac si non essent.


32 Dubitari tamen hic potest, an in casu, quo tria v.g. altaria tantùm visitari possunt, tunc similiter sufficiat, vnum ex ijs altaribus quinquies visitare?

33 Negat *Trullenc. l.1.§.6.d.2.n.3.* docetque necessariò esse tunc visitando omnia altaria, quæ extant, & loco altarium, quæ desunt, alia vel aliud altare iterū, seu bis, aut ter visitare, vsque dum visitationes compleantur.

Nuñus. Lud. à cr. Bardi.

34 At *Nuñus in 3.p.10.2.§.10.Lud. à Cruc.D.1.C.8.d.13. n.3. Diana p.1.tr.11.res.102. Bardi p.2.tr.4. C.4.n.46.* & cōmuniter DD. docent, vtrumq; sufficere in tali casu. & meritò, ex eo quia adhuc existentibus tribus altaribus v.g. semper verum erit dicere cum omni rigore, nō extare quinque altaria, atquè adeò sufficiet, visitare duo bis, & vnum semel, vel vnum quinquies.

Auctor



DIFFICVLTAS. VII.

An ex vno, eodemque loco, absque vllo motu corporali, possit quinquies vnum, & idem altare visitari?

35 Ratio dubitandi pro parte affirmatiua est, quia suprà n.26. satis probabilitèr diximus, cum communi *DD.* consensu, posse ex vno eodemque loco, absque vllo motu corporali, visitari omnia quinque altaria, dū modo finita oratione requisita pro vnius altaris visitatione, oret similitèr secundò coram altero altari, & sic pro reliquis, absq; eo quod ex vno loco moueatur; ac proinde idem videtur dicendum hic quoad quinariam eiusdem altaris visitationem; finità enim oratione requisita pro vna visitatione, poterit similitèr secundò orare pro secūdà visitatione, & sic vsque ad complendam omnem quinariā visitationem.

36 Hoc tamen non obstante, absolutè negandum puto, sicuti & paritatem. disparitas autem est, quia quando ex vno, eodemque loco visitantur quinque altaria, modo supradicto, quamuis nō habeatur distinctio quinariæ visitationis ex parte subiecti, seu accessus visitantis, satis tamen habetur ex parte obiecti, nempè altarium; in pręsenti autem casu ex nullo capite dici poterit visitatio quinaria. diuersitas autem Orationis nihil facit ad rē, nam plures vtique personę poterunt vnico accessu visitari, si in vno eodemque loco pręsentes inueniantur, non autem vna eademque persona poterit vnico *Auctor.*

co accessu visitari, etiamsi diuersa, ac disparata colloquia tunc intercedant.

35 Similitèr in physicis, siquis vnico ictu interficiat quinque homines, vtique quinque homicidia commisisse dicitur; siverò diuersis ictibus, vel diuersis tormentorum generibus vnum & vnicum hominem interficiat, non ideò plura, sed tantùm vnicum commisisse homicidium diceretur.

DIFFICVLTAS VIII.

An opera iniuncta pro lucrandis Indulgentijs debeant in gratia exerceri?

38 Affirmant *Caiet. tr. 10. de Indul. Nauar. in repert. de Indul.* alijque; primò quia opus in peccato mortali factum non habet valorem ad vitam æternã consequendam, ergò neque ad lucrandam Indulgentiam, patet consequentia, quia lucratio indulgentię est medium ad citiùs consequendam ipsam vitã eternam. Secũdò quia opera facta sine gratia sunt mortua, cum eis deficiat vita Charitatis; ergò nequit Thesaurus vitæ Christi pro illis dispensari, patet consequentia, quia thesaurus ciuilis nequit dispensari; nisi pro caussa ciuile, ita & Thesaurus vitę similitèr dispensari nequit pro operibus non viuis.

Caiet. Nauarr.

39 Negant tamen *D. Anton. 1. p. tit. 10. C. 3. §. 5. Cordub. de Indulg. quæst. 24. Suar. tom. 4. in 3. p. D. 52. sect. 5. num. 8. Palud. in 4. D. 20. q. 4. ar. 3. concl. 1. Ludou. à Cru. D. 1. C. 8. d. 4. num. 5.* & communitèr DD. & meritò, nam licèt ad lucrandam Indulgentiam de facto, hoc est ad percipiendum Indulgentię fructum, opus sit tunc esse in gratia, ex eo quia Christi, ac Sanctorum satisfactio, quę est in indulgentijs, nõ applicatur nisi membro viuo, & vnito eidem Christo, hoc tamẽ non necessariò requiritur, dùm exercentur opera iniuncta pro lucrandis dictis indulgentijs.

D. Anto. Cordub. Suar. Palud. Lud. à cr. Auctor.

40 Probatur primò, nam ex vna parte Sum. Pontifex potest absolutè concedere indulgentiam hoc modo operanti, dummodo inueniatur in gratia tempore recipiendi fructum ipsius indulgentię: ex altera verò parte Pontifices solent communiter in Bullis, & Iubileis exigere primò eleemosynas, orationes, ieiunia, aliaque similia opera, & deinde quod confiteantur, & Eucharistiam sumant, & ita praxis ostendit, & tamen benè noscunt Põtifices, multos ante cõcessionem non inueniri in gratia, ergò non est, cur exigamus, debere in gratia fieri dicta opera iniuncta pro lucrandis indulgentijs.

41 Probatur secundò, nam indulgentia cõceditur in præmiũ operis non quatenùs est meritorium augmenti gratię, & glorię, neque quatenùs est satisfactoriũ pro pœna, sed in quantùm conducit ad finem, pro quo indulgentia cõceditur: iam verò elargitio eleemosynę absolutę conducit ad bellum contra infideles, pro quo bullę indulgentiæ conceduntur: similiter ieiuniũ, Oratio, & Ecclesiarum visitatio quamuis in peccato mortali fiãt, sunt tamen ex Diuina misericordia impetratoria victoriæ contra infideles, aliarumque gratiarum, pro quibus indulgentię, & iubilea concedi solent.

Ter-

42 Tertiò demum probatur, ex eo quia alitèr, qui bullam sumpsit in pec. mor. nullam deinde Indulgentiam lucrari posset, quamùis gratiam sanctificantem recuperaret: quod quamuis cōcedat *Caietanus ci.* satis tamen contra rectam rationem videtur.

43 Ad primam autem AA. rationem in contrarium Dico, quod licèt illa opera non habeant valorem meritorium de cōdigno, habent tamē valorē de cōgruo, quatenùs sunt impetratoria, & conducunt ad id, quod in bulla præscribitur, quod quidem sufficit, vt patet ex dictis. Ad secūdam autem rationem Dico, illā solùm probare, quod ad percipiendum fructum indulgentiæ, debeat suscipiens tunc, ac pro illo instanti esse in gratia, non autem quod opera præcedentia fieri debeant in gratia. An verò ipsummet opus in indiuiduo debeat esse necessariò bonum, dicemus Diff. sequenti.

DIFFICVLTAS IX.

An Opus iniunctum pro lucrandis Indulgentijs, debeat esse necessariò, etiam in indiuiduo, moralitèr bonum?

44 CONueniunt DD. opus iniunctum vt medium, seu vt conditionem ad lucrandam indulgentiam, debere esse necessariò ex genere suo moralitèr honestum. Et meritò, nam potestas Sum. Pontifici, alijsque Prælatis collata est ad ædificationem, & non ad destructionem, atquè adeò dum concedunt indulgentias, nequeunt exigere opus pietati repugnans.

45 Solùm igitur controuertitur, An huiusmodi opus debeat esse moralitèr bonum etiam in indiuiduo, nam opus quamtumuis ex genere suo moralitèr bonum, potest ex aliqua circumstantia cōcomitante reddi hic & nunc, seu in indiuiduo peccaminosum, & malum. Et quidem.

46 Affirmant *Adrian. de Indul. q. 4. Nauar. de Indul. notab. 19. Angles in 4. de Indul. q. 3.* & alij. primò quia in eadem bulla habetur, Qui quinque altaria &c. *Deuotè* visitauerint. Iam visitatio, quæ in indiuiduo est mala, & peccaminosa nequit dici Deuota, neque eam ponens dici poterit Deuotè visitare, vt Sum. Pontifex exigit, & per consequens talis visitatio non sufficiet ad lucrandam hāc Indulgentiam, & similitèr Iubileum, quotiès pro eius consecutione eadem conditio *Deuotè*, vel quid simile apponitur. *Adrian. Nauarr. Angles.*

47 Probant secundò absolutè, quia Indulgentia conceditur vt quoddam spirituale stipendium ex Ecclesiæ Thesauro depromptum, atquè adeò præsupponit ex parte lucrantis actus meritorios, saltem de congruo talis stipendij; actus autem mali sunt potiùs demeritorij, & indigni dicto indulgentiarum stipendio.

48 Probant tertiò ex eo, quia opus prærequisitum ad lucrandam indulgentiam, vel est caussa ipsius indulgentiæ, vel saltem conditio, sine qua non concedit Pontifex talem indulgentiam; si primum, iam repugnat actum malum caussare fructum spiritualem bonum: si secundum, absurdum quidem est, existimare Deum expectare actū moraliter malum vt conditionem necessariam ad communicādam indulgentiam, quæ est remissio pœnę

peccati

peccatis debitæ. requiritur igitùr ad lucrandam indulgentiam opus moralitèr bonum etiam in indiuiduo.

Cordub. Suar. Herriqu. Lud.à cr. Ledesm. Granad.

49 Negant tamen *Cordub. l.5. de Indul.q.25.Suar.tom.4.de pæn.D. 52 se.6.nu 3.Herriq.l.7.sum. C. 9.n.5.Ludou.à Cruc.D.1.C.8.d.3. n.5.Ledes.p.2.q.29.ar. 1.Granad. in 3.p.de sacr.contr.12.tr.5.d.4. n.*10.alijque, & meritò, primò quia ad implenda mandata Dei, & Ecclesiæ præcepta, sufficit quod opera, quibus implentur, sint moralitèr bona ex genere suo, etiamsi in indiuiduo sint peccata; sic præceptum eleemosynæ in extrema necessitate sufficientòr impletur ab eo, qui dedit eleemosynam propter vanā gloriam: similitèr preceptū ieiunandi, vel restituēdi, satis impletur ab eo, qui propter laudē humanam ieiunat, vel restituit, ergò similia opera sufficient etiā ad lucrandam indulgentiam; nō enim verisimile videtur, plùs requiri à Pontifice dum iniungit huiusmodi opera ad lucrandam indulgentiam, quam ad implendam Diuina præcepta.

Auctor.

50 Probatur secundò, quia opus ex genere suo moralitèr bonū, quamuis in indiuiduo peccaminosum, absolutè est opus pium, & meritorium de congruo bonorum tēporalium, & nonnullorum spiritualium ex *D. August. 5.de ciu.C.11.& 15.*vbi ait, Romanos obtinuisse à Deo imperium pro iustitia, alijsque operibus ex genere suo moralitèr bonis, quamuis factis ex vana gloria, & cōsequentèr fuerint in indiuiduo moralitèr mali, atq; adeò sufficient ad impetrandam absolutionem à pena temporali mediante indulgentia. Confirmatur ex eo, quia alioqui ferè nunquam acquirerentur indulgentiæ, cum omnia opera nostra bona Tanquā pannus menstruatæ à Spiritu Sancto dicantur.

D.Aug.

51 Ad primam autem rationem in contrarium Dico, quod satis deuotè diciturvisitare Ecclesias, qui illas visitabit animo lucrandi indulgentiam, & Iubileum, profitendo eo facto Sum. Pontificis auctoritatem in dispensando Ecclesiæ Thesauro, etiāsi mala aliqua circumstantia talis visitatio vitietur, sicuti satis perfectè dicitur obseruare ieiuniū Quadragesimale, qui reuera in tota Quadragesima ieiunat, etiāsi ex vanagloria ieiunet &c. & idē dico de Oratione, alijsq; operibus iniunctis pro lucranda indulgentia, vel Iubileo.

52 Ad secundam vero nego, indulgentiam concedi per modū stipendij, nam indulgentia (vt docent communitèr *DD.* nostræ sententiæ) habet quodammodo effectum ex opere operato in ordine ad remissionem pœnæ. Adde, actus ex genere suo moralitèr bonos, quamùis in indiuiduo moralitèr malos, adhuc mereri de congruo bona temporalia, & nonnulla etiam spiritualia, vt supra diximus cum *D.Aug.*

53 Ad tertiam autem Dico, repugnare quod actus ex genere suo etiam malus causset fructum spiritualem, non autem si fuerit ex suo genere bonus, & solùm fuerit malus in indiuiduo; eamdemq; distinctionem applico ad secundam partem eiusdem rationis in contrarium.

DIF-

DIFFICVLTAS X.

An Opus iniunctum ad lucrandam Indulgentiam, seu Iubileum, possit per alium fieri?

54 RAtio dubitandi pro parte affirmatiua est, quia inter opera iniuncta ad lucrandas Cruciatæ indulgentias est ipsius bullæ susceptio, & tamen dicta bulla potest per alium suscipi, vt infrà dicemus. Similitèr eleemosyna imposita pro lucrando Iubileo poterit per alium fieri; ergò idem dici poterit de Ecclesiarum, seu altarium visitatione, Oratione, & ieiunio, præsertim si lucraturus indulgētias, seu Iubileū fuerit legitimè impeditus. Et Confirmatur, nam lucrari indulgentias pro animabus Purgatorij idem est, ac ab animabus Purgatorij lucrari indulgentias per opera ab alio facta.

55 Negant tamen *Herriq. l. 7. C. 10. n. 5. Bonac. de sacr. D. 6. q. 1. p. 5. n. 24. Bardi p. 2. tr. 4. C. 4. n. 64.* & communitèr DD. & meritò, nā dicta opera videntur imponi à Sum. Pontifice vt personalia. Et ratio à priori videtur esse, quia dicta opera imponuntur vt aliquo modo afflictiua illius, qui indulgentias, seu Iubileum lucrari voluerit.

Herriq. Bonac. Bardi. Auctor.

56 Ad rationem autem in contrarium Nego paritatem, nam eleemosyna etiam pro sumenda bulla, eo ipso quòd fit ex bonis proprijs, & à Deo collatis, omninò per accidens erit, si per seipsum fiat, siue mediante alia persona, quæ etiamsi ex suis proprijs bonis pro me eleemosynam eroget, attamen cum mihi priùs talis eleemosyna acquiratur, idē omninò erit, ac si de meis pecunijs illam erogaret; non ita autèm erit, siquis pro me ieiunaret, vel oraret, vel Ecclesias, aut altaria visitaret, vt patet. quarè in casu quo lucraturus indulgentias, seu Iubileum nequit ieiunare, vel Ecclesias, vel altaria visitare, tunc hæc in alia pia opera similiter personalia commutanda erunt, vel à Confessario, vel à Parocho, iuxtà ea, quæ infrà dicemus de commutatione Votorum.

57 Ad confirmationem autem Dico, nullum esse assumptum, nam eo ipso quòd Pontifex cōcedit, posse nos lucrari pro animabus Purgatorij indulgentias, consequentèr etiam concedit, posse dictas animas frui indulgētijs per nostra opera acquisitis, dum constat, non posse dictas animas in hoc personalitèr concurrere.

DIFFICVLTAS. XI.

An siquis, ob aliquod legitimum impedimentum, nequeat aliquod opus ex præscriptis exequi consequatur tamen indulgētiam seu Iubileum?

58 NEgant absolutè *D. Th. in add. q. 27. ar. 3. D. Anton. p. 1. tit. 10. C. 3. §. 4. Nauar. §. in leu. notab. 17. Soto D. 21. q. 2. ar. 3. Suar. to. 4. in 3. p. D. 52. se. 5. n. 5. Syluest. V. Indulg. q. 7. p. 4. Bellar. l. 1. de Indul. C. 13. q. 4. Palud. 4. D. 20. q. 4. ar. 5. Lud. à Cruc. D. 1. C. 8. d. 12. n. 4. Bardi p. 2. tr. 4. C. 3. n. 14.* & communitèr DD.

D. Th. D. Anto. Nauarr. Soto. Suar. Syluest. Bellar. Palud. Lud. à cr. Bardi.

59 Quorum ratio est, quia opera præscripta pro lucrandis indulgentijs, vel Iubileo sunt conditio, sub qua conceduntur indulgentiæ, & Iubileum, ergò quacunq; ex caussa nō adimpleatur talis conditio, vtiquè non acquiritur indulgentia, neque iubileum; nisi aliud in contrarium statuatur in ipsamet concessione indulgentiarum, & Iubilei. Insuper omnia dicta opera se habent vt indiuisibilis conditio in ordine ad consequutionem indulgētiæ, seù Iubilei, ergò etiamsi aliqua tantùm pars ex dictis operibus omittatur, nihil tamen de Indulgentia, seu Iubileo acquiritur.

Rodriq. Pauinus. Curiel. 60 Affirmant tamē absolutè *Rodriq.§.2.n.7. Pauinus in extrau. de pæn. & remis. Curiel. de Iub. pag.*90.nonnulliq; alij, quorum ratio est, quia *l.cum hæres,§.Stichus, ff.de statu libert.& in l.fin. Cod.de cōd.insert.* statuitur, quod si alicui seruo concedatur libertas sub aliquo onere faciendo, pro certo, & determinato tempore, si deinde casu fortuito, absque sua culpa impediatur, tale opus exequi, hoc non obstante libertas acquiratur ergò similitèr, qui bullam sumpsit, & deinde nequit opera iniuncta adimplere, ob aliquod legitimum impedimentum, adhuc lucrabitur Cruciatæ Indulgentias, vel Iubileum.

61 Media autem via hic incedendum puto. Et quidem si loquamur de gratijs, & priuilegijs in indiuisibili consistentibus, vt est absolutio à Censuris, & reseruatis, commutatio votorum, & huiusmodi, verissima videtur prima Opinio; neque obstat ratio in contrarium pro secunda opinione allata, cum sit longè dispar ratio; nam ibi legislatori placuit id in fauorem libertatis specialitèr statuere, quæ quidem specialitas cum non apponatur in concessione dictarum indulgentiarum, vtiquè illarum concessio accipienda est, vt sonat. quod si Sum.Pontifici placuisset talis excusatio, vtiquè illam opposuisset, vt de facto illam opposuit, in *Extrau. Vnigenitus, de pœn.& rem.* vbi declarat, tēpore Iubilei vniuersalis, Romā accedentes pro lucranda indulgētia, si post iter inceptū, nequeant ob aliquod legitimū impedimētum ad Vrbē peruenire, adhuc eandē indulgentiam lucrari, si verè pœnitentes fuerint, & confessi.

Auctor.

62 Si verò loquamur de sola, ac mera indulgentiæ consequutione, seu fructu (prout de facto hanc Difficultatem instituimus) dicendum puto, eum qui ex operibus iniunctis aliqua adimplet, aliqua verò non, præsertim si fuerit absque sua culpa, lucrari vtiq; indulgentiam, non quidem totam, seu secundùm adequatam sui concessionem, vt asserit secunda opinio, sed tantùm secūdùm partem correspōdentem pro rata operibus iam adimpletis. Probatur quia ex vna parte fructus indulgentię consistens in remissione pœnę est diuisibilis, itaut possit vna pars remitti, altera non remissa vt patet.

63 Ex altera verò parte satis durum videtur, & rationi minimè consentaneum asserere, eum qui aliàs tria ieiunia Iubilei exactè adimpleuit, Ecclesias deuotè visitauit, ritè confessus est, Eucharistiā etiā sumpsit animo lucrādi indulgētia, nihil tamē consequi de tam amplissima indulgentia, ex eo precisè quia in eleemosinā inad-

inaduertenter erogauit nummũ falsum, pro vero: vel ex eo tantùm quia seruus sibi retinuit eleemosynam, quam à suo Domino accepit, vt inter pauperes distribueret, vel aliud simile, vt communiter admittunt DD. pro prima opinione ci. Confirmatur, quia ex hoc nullum videtur sequi inconueniens.

DIFFICVLTAS XII.

An Opus iniunctum ad lucrandas Indulgentias, seu Iubileum possit esse merè internum?

64 RAtio dubitandi pro parte negatiua est, quia ex vna parte Ecclesia non iudicat de occultis, neq; habet iurisdictionem in actus merè internos: ex altera verò parte concessio indulgentiæ est quidam actus Ecclesiasticæ iurisdictionis, ergò absolutè nequit indulgentia cõcedi sub aliquo actu merè interno. Confirmatur, quia indulgentia vel conceditur ad gloriam, & laudem Dei, ac Sanctorum, vel ob publicam Ecclesiæ vtilitatem vtrumque autèm fieri debet per actus exteriores, vt sunt eleemosynæ, peregrinationes, & similia, vnde de facto propter huiusmodi actiones solent indulgentiæ concedi.

Suar. Auctor. 65 Affirmant tamen *Suar. to.4. in 3. p. D.52. se.5. n.6.* & communiter DD. & meritò, primò quia (vt dicemus Diff. sequẽti) potest indulgentia concedi etiam absq; vllo opere iniuncto, ergò multò magis cõcedi poterit sub aliquo opere saltem interno. Secundò quia de facto conceditur indulgentia ei, qui in mortis articulo, profert nomen Iesu saltem corde, si ore nequeat. Tertiò quia huiusmodi concessio indulgentiæ non excedit Ecclesiæ iurisdictionem, vt patebit ex solutione rationum in contrarium.

66 Ad rationem autèm in contrarium Dico, in tali casu Ecclesiam non iudicare de huiusmodi actu interno, nequè absolutè exercere iurisdictionem in illũ, sed tantùm exigere illum vt conditionem necessariam, in casu quo velit quis pro suo libito cõsequi talem effectum, quæ quidẽ conditio, cum non oporteat constare Ecclesiæ, sed soli Deo, consequentèr poterit esse merè interna, vt est Oratio mentalis, Contritio, deuotio, & huiusmodi.

67 Ad confirmationem autèm Dico, etiam Orationem mentalem cedere in honorem Dei, Sãctorum, & Ecclesiæ vtilitatem. Sed videamus iam, An possit aliqua Indulgentia concedi absquè vllo prorsus opere iniuncto.

DIFFICVLTAS XIII.

An Indulgentia, saltem aliqua, concedi possit absquè vllo opere iniuncto?

68 RAtio dubitandi pro parte negatiua est, primò quia Sum. Pontifices semper sub aliquo onere concedunt indulgẽtias, ergò signum est, opus iniunctum esse de substantia indulgentiæ. Secũdò quia alitèr Sum. Pontifex posset pro suo libito remittere omnem pœnam cuicũque homini, illo nihil cooperante, imò etiam nihil de tali beneficio sciẽte, nequè cogitante, quod videtur absurdum.

Suarez. 69 Affirmant tamen *Suar.D.52.ci.se.4.n.3.*& communiter DD. & Auctor. meritò, nam ex communi Theologorum doctrina, tria requirũtur ad indulgentiam consequendam, videlicèt Potestatem in concedente, Gratiam in recipiente, & proportionẽ in caussa; sed hæc tria sufficienter possunt haberi absque vllo alio onere iniuncto, ergò &c. minor quoad primam, & secundam partem patet; quoad tertiam verò partem probatur; & quidem primò potest indulgentia concedi per modum gratitudinis, propter scilicèt obsequia Ecclesiæ exibita, quæ absquè alio nouo opere vtiq; poterunt esse satis proportionata caussa Indulgentiæ concessæ.

70 Potest secundò concedi indulgẽtia per modum medicinę, vt scilicèt is, cui conceditur indulgentia, vel in spem erigatur, vel excitetur ad seruiendum Deo feruentiùs, quæ poterunt similiter esse sufficiens caussa ad illam concedendam.

71 Potest Tertiò concedi indulgentia propter intercessionem seu merita alterius iusti, sic in primitiua Ecclesia remittebãtur pœnæ lapsis in honorem Martyrum, hoc est illorum, qui in vinculis propter fidem à Tyrannis detinebantur.

72 Demùm cõcedi potest indulgentia per modum liberalis cõdonationis ex aliqua rationabili caussa; sic Pontifex posset die suæ coronationis, vel alia simili solemnitate, concedere liberalitèr aliquam indulgentiam, nullo opere iniungendo. imò de facto Sum. Pontifex in aliquibus solemnioribus festiuitatibus, & præsertim Feria V. Cœnæ Domini, solet sua benedictione cõcedere præsentibus indulgẽtiam Plenariam, & Episcopi similitèr quadraginta annos indulgentiæ. ex quibus patet ad primam rationem dubitandi in contrarium.

73 Ad secundam autèm, concedo sequelam, quam nego esse absurdam; nam remissio pœnæ temporalis, cuiusmodi est indulgentia, non requirit de se actualem, vel internam dispositionem in recipiente, Præter statum gratiæ, imò nequè cognitionem, nequè spicialem voluntatem, vt patet.

74 Confirmatur à pari, nam missa pro alio oblata, & suffragium & vnius hominis pro alio similitèr oblatum, remittunt illi pœnam temporalem, etiamsi is de hoc nihil cogitet, aut velit, dummodò obicem peccati mor. non inueniant; cur igitùr idem de indulgentia dici non poterit? Atquè hæc de Oneribus, sub quibus indulgentiæ partiales, ac Stationum vi Cruciatæ conceduntur. de sola igitùr indulgentià Plenaria, quæ vi eiusdem bullæ conceditur semel in vita, & semel in morte, dicendum erit.

QVÆSTIO V.

De Indulgentia Plenaria, quæ vì Cruciatæ semel in vita, & semel in morte conceditur.

SVm. Pontifex in §. XV. concedit accipientibus bullã Cruciatæ indulgentiã plenissimã, longè quidẽ diuersa à præcedentibus; hæc

hæc enim sub nullo onere conceditur, & à Cōfessario erit applicanda, ille verò sub certis quibusdam oneribus (vt vidimus) conceduntur, neque à Confessario applicantur. Circa hanc igitur indulgentiam varia erunt dilucidanda.

DIFFICVLTAS I.

Quotiès Indulgentia Plenaria Bullæ possit lucrifieri?

1 CErtum est, hanc Indulgentiam Plenariam bullæ semel in vita, & semel in morte posse per sumptionē vnius Bullę lucrifieri, ita enim expresse, in eadē bulla statuitur his verbis: *Conceditur, vt possint eligere Confessarium approbatum &c. & ab eo quorumcunque peccatorum, & censurarum, Plenariā Indulgentiam, & remissionem semel in vita, & semel in morte obtinere.* quarè siquis velit iterū eodem modo frui tali Indulgētia, debet secundò aliam Bullā sumere, non autem tertiò, vt infrà dicemus.

2 Qui verò ad bellum contrà Infideles proficiscuntur, poterunt toties quoties voluerint hanc Indulgentiam lucrari, si tamen ritè cōfessi fuerint &c. prout benè notant *Rodriq. §. 2. d. 6. n. 15. Villalob. to. 1. sum. tr. 27. claus. 1. n 3.* & communitèr DD. & meliùs infra D. 11. *Rodriq. Villalob.*

DIFFICVLTAS II.

An Indulgentia Plenaria Bullæ possit sub conditione applicari moribundo?

3 NEgant *Trullen. l. 1. §. 7. C. 2. d. 19. n. 8. Cordub. q. 39. de Indul. d. 2. & Bardi p. 2. tr. 4. C. 5. n. 26.* quorum ratio est, quia talis Indulgentia applicanda est, eo modo, quo à Sum. Pontifice conceditur; cum igitur absolutè concedatur pro mortis articulo, absolutè etiam applicanda erit. *Trullen. Cordub.*

4 Affirmant tamen *Fernand. p. 3. Theo. mor. C. 9. §. 9. Villalob. to. 1. su. tr. 27. claus. 11. n. 3. Vega to. 2. su. C. 7. cas. 23. Dian. res. 106.* aliijq; & meritò, nam sic ex vna parte, si æger ex illa infirmitate postea conualuerit, & iterùm in alium mortis articulum inciderit, nō vtiquè indigeret tunc nouam bulla ad lucrandam talem indulgentiam. ex altera verò parte nullum videtur sequi inconueniens, si sic dicta Indulgentia applicetur, neq; in Bulla habetur, quod non possit conditionatè applicari, ergò absolutè prudentius erit, hanc indulgētiam tunc conditionatè applicare. vnde patet ad rationem in contrarium. *Fernan. Villalob. Vega. Diana. Auctor*

5 Confessarius igitùr intendens hanc indulgentiam moribundo applicare, poterit his, aut similibus verbis vti: Applico tibi vi Bullæ indulgentiam Plenariam, si reuera morieris, alioqui seruet illam tibi Deus tēpore mortis. neque necesse est, vt tunc Cōfessarius vtatur forma à Cōmissario Generali ad hoc traditâ, sed satis erit breuitèr dicere, Concedo tibi omnes, & singulas gratias, quas virtute Cruciatę tibi concedere possum; & hoc vel expressis verbis, vel etiamsi sola mente intendat impertiri illi dictas gratias, & indulgentias, quę virtute Bullę poterunt concedi.

DIF-

DIFFICVLTAS. III.

An Indulgētia Plenaria Bullæ applicari possit nonsolùm in vero, ac reali articulo mortis, sed etiam in præsumpto?

6 ARticulus mortis verus, ac realis est, quotiès mors intra aliquod breue tempus erit certa, & ineuitabilis, naturę tamen cursu spectato (esto per accidens, vel ex miraculo mors deinde non sequatur) & quidē si certitudo mortis proueniat à caussa intrinseca, hoc est ab aliquo morbo, tunc dictus articulus mortis dicitur physicè ineuitabilis; moraliter autem ineuitabilis dicitur, quando certitudo mortis prouenit ab extrīseco, vt cum quis vel per Iudicis sententiam, vel ab inimico intrà breue temporis spatium certo erit interficiendus.

7 Articulus autem mortis Præsumptus dicitur, quotiès mors non est adeò certa, & ineuitabilis modo dicto, attamen pensatis omnibus caussis tàm intrinsecis, seu physicis, quàm extrinsecis, seu moralibus, secundum prudentum hominum existimationem, satis parua vitę spes remanere videtur (etiamsi reuera ita non sit) tunc absolutè dicitur mors pręsumi tantùm, non autèm certò haberi, seu Articulus mortis pręsumptus, non autem verus.

8 Videndum igitur hic erit, An dicta Bullę Indulgentia possit etiam applicari in articulo mortis pręsumpto. Et quidem ratio dubitandi pro parte negatiua est, quia in Bulla Hispana additur, dictam indulgentiam concedi prò vero mortis articulo: verus autèm mortis articulus excludit pręsumptum, vt communitèr notant DD. atquè adeò idem dicendum erit de nostra bulla, quamuis in hac expressè hoc non habeatur; ex eo quia vtraque ex Bulla latina extrahatur.

9 Affirmant tamen communitèr DD. & meritò, nam Articulus mortis est veluti genus ad articulum mortis verū, & pręsumptum, ergò nisi aliud in contrarium exprimatur, ęquè benè sumi poterit tàm pro vero, quā pro pręsumpto, præsertim in fauorabilibus vnde Sacramentū Extremę Vnctionis, quod in mortis tantùm articulo conferendum est, applicatur etiam in articulo mortis pręsumpto. quarè cum dicta Bullę indulgētia tam in Bulla latina, quam nostra italica concedatur ex vna parte absolute, & absquè restrictione, ex altera vero parte cōcessio indulgentiarum sit fauorabilis, vtriquè æquè benè dicta indulgentia poterit applicari etiam in articulo mortis pręsūpto, ac in vero articulo mortis. *Auctor*

10 Ad rationem autèm dubitandi in contrarium Concedo, vi bullę dictę Hispanę non posse vtilitèr hanc indulgentiam applicari in articulo mortis pręsumpto, positā restrictione ad solū articulum mortis verū: nego tamen idem dici debere vi nostrę Bullę proptèr rationem supradictam. An vero idem dicendum sit in periculo mortis, dicemus Diffi. sequenti.

DIF-

DIFFICVLTAS IV.

An dicta Bullæ Indulgentia possit applicari etiam in mortis periculo?

11 Aliqui confundunt mortis periculum cum articulo mortis præsumpto, alij verò asserunt, articulum mortis præsumptum non differre à vero mortis articulo, reuera tamen hæc tria inter se (strictè loquendo) differunt; nam vt dictum est n. 6. Articulus mortis verus est, quando mors, spectato rerum cursu, est post aliquod breue tēpus certò futura, præsumptus verò est, quando mors non est ita certa, sed habetur aliqualis spes vitæ. Periculum autèm mortis tunc dicitur haberi, quādo quis in his, aut illis inuenitur circumstantijs, ex quibus prudentèr mors timetur: vt siquis febri maligna laboraret, aut alio periculoso morbo, aut vulnere graui; vel si infirmis contagiosis inseruiret, vel ad bellum proficisceretur, vel longam iniret nauigationem, vel in mari validis agitaretur fluctibus, vel ab inimico acritèr ad necē quæreretur, vel si mulier actuali partu satis laboraret, &c. In his igitùr ac similibus casibus quærimus hic, An possit hęc Bullę Indulgentia applicari.

12 Et quidem negare tenentur omnes illi, qui putant, omnia Cruciatæ priuilegia esse strictè interpretanda. Econtrà verò affirmant omnes illi, qui (vt diximus D. 1. q. 1. n. 9.) nobiscū sētiunt, hoc Bullæ priuilegium esse amplè interpretandum.

Auctor. 13 Et meritò, nam in multis Iuribus articulus mortis, & periculum mortis indiscriminatim sumuntur. sic *in c. Eos qui, de sent. excom. in 6.* Sū. Pontifex ait initiò, in articulo mortis absolui posse ab alio, quàm à Sum. Pontifice, eum qui incidit in excommunicationem latam in *c. Siquis suadente &c.* posteà verò idem Pontifex, quem priùs dixerat articulum, dixit periculum. Idemque videre est in aliquibus alijs iuribus; atque adeò indulgentia hæc concessa pro mortis articulo, æquè benè vt fauorabilis, poterit etiam extendi ad mortis periculum, dūmodò tale periculum non sit lōgè remotum, hoc est, vt ex illo mors non sit nimis distans.

DIFFICVLTAS V.

An dicta Indulgentia Plenaria Bullæ possit applicari etiam extrà Cōfessionem?

14 Conueniunt DD. posse absquè vlla pręuia Confessione applicari dictam Indulgentiā ei, qui confessionis est omninò incapax, vt siquis sensibus destituatur, vel in phręnesim, aut alium inciderit morbum, qui vsum rationis totalitèr impediat.

15 Controuertitur igitùr solùm, quando priuilegiatus est sui cōpos, An scilicet is tunc possit dictam Indulgentiam lucrari absque præuia cōfessione, dummodo conscientiam peccati mortalis non habeat.

16 Negant *Cordub. q. 9. de Indul. prop. 4. Acosta q. 14. d. 2. Trullen. l. 1. §. 7. C. 2. d. 19. n. 4.* nōnullique alij, quorum ratio est, quia in eadem bulla pręcipitur, posse à Priuilegiato eligi Confessarium, vt ab eo absoluatur, & Plenariā Indul- *Cordub. Acosta. Trullen.*

Indulgẽtiam peccatorum obtineat, ergò in confessione necessariò debet applicari, si id commode fieri poterit.

Herriqu. *Lud.à cr.* *Graff.* *Suarez.* *Bonac.* *Reginal.* *Bardi.* *Diana.*

17 Affirmãt tamen *Herriq.l.7.C.10.Lud.à Cruc.D.1.C.8.d.14.n.6. Graf.1.p.l.4.C.15.n.19.Suar.to.4. in 3.p.D.52.se.3.Bon.D.6.de sacr. q.1.p.5.n.7.Reginal.t.1.l.7.C.vlt. n.173.Bardi C 5.ci.n.12.Diana ref.* 107. & communiter DD. & meritò, nam eo ipso quod priuilegiatus est capax Indulgentiæ vtique à Confessario potest illi applicari, imò debet; sed potest esse capax absquè eo, quòd actu confiteatur, vt patet, vt si sola venialia habeat, vel si sua peccata alteri Confessario iam aperuerit, ergò etiam extrà Confessionem poterit dicta indulgentia applicari. Confirmatur, nam sicutì Confessarius potest commutare vota, & absoluere à Censuris etiam extrà confessionem (vt infrà dicemus) ita similitèr poterit, & indulgentias applicare. *Auctor.*

18 Ad rationem autèm AA. in contrarium Dico, quod quando in cõcessione tàm huius, quã aliarum indulgentiarum fit mẽtio de confessione; semper intelligenda est de confessione illius, qui cõscientiam habet peccati mortalis, nisi aliud in contrarium expressè apponatur. ratio autèm est, quia Ecclesia nũquam consueuit præcipere confessionem nisi de mortalibus, atquè adeò confessio absolutè accepta, de solis peccatis mortalibus sumẽda est habens autẽ cõscientiã peccati mortalis, tunc necessariò tenetur cõfiteri, si velit fructũ indulgentię percipere; quod si copiã cõfessarij tunc nõ habeat, tenetur conteri, nã cõtritio cum contineat in voto sacramentum pœnitentię, vtique similitèr sufficiet ad fructum indulgentię percipiendum. similitèr dicendum erit in casu, quo quis post confessionem recordabitur alicuius peccati mortalis inuincibilitèr obliti.

DIFFICVLTAS VI.

An Indulgentia Plenaria Bullæ possit à Confessario applicari etiam absentibus?

19 Negant *Trullen.ci.n.7.* omnesque illi, qui similitèr negant, non posse indulgentiam extrà confessionẽ sacramentalẽ applicari: nam cum confessio sacramentalis nequeat fieri inter absentes, consequenter nequè ipsa indulgentia poterit per dictos DD. applicari absenti. *Trullen*

20 Affirmant tamen *Bardi p.2.tr. 4.C.5.n.15.* omnesque illi DD. qui nobiscum asserunt (vt superiori *Diff.* dictum est) posse hãc indulgentiam applicari etiam extrà confessionem. & meritò, nam posito, quod non requiratur actualis confessio ad illius applicationem, nulla apparet ratio, cur dicta indulgentia applicari non possit etiam absenti. *Bardi.* *Auctor.*

21 Confirmatur, nam applicare indulgentiam, nihil aliud est, (vt supra vidimus) nisi relaxare, seu condonare pœnam temporalẽ peccatis debitã: iam verò posse Principem relaxare, & condonare reo etiam absenti quamlibet pœnam pro quocunque delicto debitam, nulla est difficultas, ergò absolutè etiam absentibus poterit dicta indulgentia applicari.

DIF-

DIFFICVLTAS VII.

An Indulgentia Plenaria Bullæ, saltem in articulo mortis, applicari possit à non Sacerdote?

22 COnueniūt DD. dictam indulgentiam Plenariam bullę, per se, ac regularitèr loquendo, necessariò applicandā esse à Confessario approbato ab Ordinario. & meritò, nam per eandem Bullam, eidem confessario approbato, cui conceditur potestas absoluēdi à casibus & censuris reseruatis, conceditur similitèr facultas applicandi dictam indulgentiam, ac proinde necessariò applicanda erit à solo confessario ad audiendas confessiones approbato.

23 Difficultas ergò solùm est, An saltem per accidens, nempè in articulo mortis, nequè habita copia confessarij, possit dicta indulgentia applicari à non Sacerdote?

Nauarr. Herriq. Trullen. Diana. Bardi. 24 Et quidem affirmant *Nauar. not.30.n.9.Herriq.l.7.C.9. Trullen. d.ci.n.6.Diana p.5.tr.12. res. 40.Bardi C.ci.n.17.* alijque quorum pręcipua ratio est, quia relaxatio pœnę, qualis est applicatiò indulgentię, non est actus ordinis, sed solius iurisdictionis. ergò absolutè applicari poterit à non sacerdote, imò à laico, alioqui fidelis absquè tali indulgentia ex hac vita discedet.

Lud. à cr. Auctor 25 Negant tamen *Lud. à Cruc. D.1.C.8.d.14.n.2.*& alij; ac meritò, nam quamuis relaxatio pœnę non sit actus Ordinis, sed solius iurisdictionis, attamen talis iurisdictio à nemine exerceri potest, neque per accidens, nisi ab illo, cui Sum.Pontifex illam delegauerit; iam verò Sum.Pontifex (vt suprà dictum est) soli confessario approbato concedit, ac delegat potestatem applicandi hanc indulgentiam, atquè adeò nullus alius, nequè per accidens, poterit applicare hanc indulgentiam, & multò minus laicus; ex quibus patet ad rationem AA. in contrarium.

26 Nequè ex nostra sententia sequitur, in casu posito, quando scilicèt non habetur copia confessarij, discedere Priuilegiatum ex hac vita absq; tali indulgētia; ex eo quia tunc Sū.Pontifex sua auctoritate supplet, eo modo quo quādo quis repētè moritur (de quo infrà *Diffi.* 11.) nam dū quis moritur, antequam copiā habeat confessarij, qui dictam indulgentiam possit applicare, vtiquè quoad hunc effectum cōsequendi indulgentiam, verè repentè eum mori, dicendum est, dummodo in gratia decedat, neq; fuerit negligens consequēdi dictam indulgentiam modo consueto per confessarium, vt meliùs infrà patebit loco ci.

DIFFICVLTAS VIII.

An si quis ritè dispositus petat à confessario huius Indulgentiæ applicationem, Confessarius autèm renuat, An is, hoc nō obstante, Indulgentiā lucretur?

27 TAlis casus ob confessariorum pluralitatem, moralitèr loquendo, vix, aut nunquam hodie contingere poterit nam renuente hoc, aut altero confessario, tenetur priuilegiatus, si velit hanc indulgentiam lucrari, necessariò adire alterū,

& alterũ Confessarium; ad pleniorem autẽ doctrinã, etiã speculatiuè, videndũ erit, An in tali casu hęc Indulgentia lucrefiat.

28 Affirmant *Rodriq.S.9.n.43. & Curiel. de Iub p.33.* ex eo, quia Sum.Pontifex (vt infrà dicemus) cõcedit in morte repentina hãc eandem indulgentiam, si Confessarius non aderit &c. cum igitur idem sit, non habere aliquid, ac illud habere, si inutilitèr habeatur, consequentèr etiamsi tunc adsit Confessarius, si tamen renuat hanc Indulgentiam applicare, idem erit, ac si absolutè non adesset, ac proindè in tali casu poterit dicta indulgentia lucrifieri. *Rodriq. Curiel.*

29 Negant tamen *Nauar. de Indul. notab.30.n.14. Cordub.l.5. de Indul.q.37. Bard.p.2.tr.4.C.5.n.3. Trullen.l.1.S.7.C.2.d.19.n.3.* alijque, & meritò, nam Sum.Pontifex soli confessario, & approbato (vt suprà dictum est) delegat potestatem applicandi hanc bullę indulgentiam, atquè adeò si confessarius vt delegatus nolit exercere munus sibi commissum effectus numquam poterit haberi, vt patet in omnibus alijs delegationibus: v.g. si Sum.Pontifex deleget potestatem dispensandi, commutandi, &c. si delegatus nolit dispensare, commutare &c. vtiq; non benè inferretur tunc obtentam esse dispensationem, seu commutationem &c. *Nauarr. Cordub. Bardi. Trullen. Auctor.*

30 Ad rationem autèm in contrarium dico, benè illam procedere pro articulo mortis, secùs autèm pro applicatione indulgentiæ in vita. disparitas autèm est, quia cùm Pontifex expresse concesserit repentè morientibus absquè copia confessarij hanc indulgentiam, rectè præsumendum est, nolle Pontificem, vt quis ex hac vita decedat absque tali indulgentia; & consequentèr idem dicendum erit in quocunque casu, quo quis absquè tali indulgentia absolutè discederet; in vita autèm siquis nequeat nunc indulgentiã commodè lucrari, poterit alterà hebdomadà, vel altero mẽse illam commodiùs lucrari, ac proindè ex nullo capite cogimur asserere pro applicatione presentis indulgentię in Vita, quod pro tẽpore mortis asseruimus n.26. & infrà etiã dicemus.

DIFFICVLTAS IX.

An pœnitens lucrando hanc Indulgẽtiã Bullæ, possit omittere pœnitentiam sacramentalem?

31 NEgant *Suar.to.4.in 3.p.D.38.se.10.n.10.* nonullique alij, primò quia pœnitentia sacramentalis est pars integralis Sacramenti pęnitentię, vt constat ex *Trid. ses.14. de pœn.C.3.* ergò nullo modo omitti potest, alioqui redderetur dictum Sacramentum mancum, & defectuosum. secundò quia in iubileis etiam plenissimis solẽt confessarij imponere pœnitentibus aliquam pœnitentiam. Tertio quia pœnitentia sacramentalis non solùm imponitur in satisfactionem, sed etiam in medicinam, & remedium, quo pœnitens pręcaueat peccata, vt colligitur ex eodem *Trid.ci.C.8.* atquè adeò etiamsi pœnitentia à confessario iniuncta posset relinqui vt satisfactio est, nequit tamen relinqui vt remediũ à peccatis preseruatiuum est: omnis enim absolutè tenetur adhibere remedia preseruatiua ad salutẽ. *Suar.*

Affir-

otus. 'ordub. 'drian. 'ngel. .ugo. Auctor.

32 Affirmant tamen *Sotus in 4. D.21.q.2.ar.1.Cordub.q.8.de Indul. Adrian. ibi q.7. Angel. V. Indul.§.1.Lugo D.27.de pœn.se. 2.n. 22.* & communitèr DD. ac meritò, primò quia pœnitentia imponitur à confessario, vt pœnitens pro suis peccatis Deo satisfaciat; per indulgentiam autèm Plenariam cum relaxetur tota pœna pro eisdem peccatis debita, consequentèr qui hanc Indulgentiam lucratur, à tota pœna suis peccatis debita absoluitur, ac proinde non habebit ampliùs locum pœnitentia à Cōfessario imposita, & sic poterit omitti. secundò quià Indulgētię, & præsertim Cruciatæ (vt suprà diximus) conceduntur tàm pro pœnitentijs à Confessario iniunctis, quàm iniungendis; ergò absolutè qui lucratur hanc Cruciatæ Indulgentiã, ad nullam aliam pęnitētiam tenetur, alioquin huiusmodi Indulgentiæ essent frustratorię.

Glossa.

33 Confirmatur, quia vt refert *Glossa in Extrau. Antiquorum de pœn. & remis.* Sum. Pontifex declarauit, non debere à suis Pœnitentiarijs imponi anno Iubilei pęnitentibus alia onera præter ea, quæ in eodem Iubileo præscribuntur, ne scilicèt talis Indulgentia sic frustraretur, ergò Sum. Pontifex existimauit, quod positis requisitis ad indulgentiam lucrandam, non opus esse alijs pęnitentijs.

34 Ad primam autèm rationem incōtrarium nego, sic reddi Sacramentum Pœnitentiæ mancũ & defectuosum. neque obstat, quod pœnitentia sacramentalis sit pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, nam cum hoc Sacramentum non remittat per se, & ex natura sua reatum pœnę, sed tantùm reatum culpæ, consequentèr ad restituendum hominem in integrum, hoc est ad reponendum illum in eodem statu, à quo per peccatum excidit liberum scilicèt non solùm à culpa, sed etiam à pœna, requritur vlteriùs pœnitentia luenda vel in hac vita, vel in Purgatorio, vnde rectè pœnitentia sacramentalis dicitur pars integralis sacramenti pœnitentiæ; verùm si alià vià dictus reatus pęnę tollatur, siuè per perfectissimam contritionem, siue in casu nostro per consecutionem indulgentię plenariæ, iam haberetur dictum complementum Sacramenti pœnitentiæ, absquè alia pœnitentia, ex eo quia tunc indulgentia iam substitueretur loco pœnitentiæ à Confessario imposite, ac proinde non remaneret sacramentum pęnitentiæ incompletum, seu defectuosum.

35 Ceterùm quia nobis constare non potest, an habuerimus perfectam contritionem, de peccatis commissis, vel an indulgentias reuerà lucremur, hinc satis prudentèr à Confessarijs aliqua pęnitentia imponitur, etiam in Plenissimis Iubileis, sed hoc est, per accidens. ex quibus patet ad secundam rationem AA. in contrarium.

36 Ad Tertiam autèm rationem Dico primò, pęnitentiam sacramentalem formalitèr imponi in satisfactionem; quòd autem sæpe sępiùs habeat rationẽ medicinę, est omninò per accidēs sicuti solutio debiti formalitèr est extinctio ipsius debiti; quòd autem aliquando auferat à debitore etiam fomitem, seu occasionem peccandi, vel è contra subministret creditori peccandi

fomitem, siue eosdem ad inuicē reconciliet, est similitèr omninò per accidens, atq; adeo est separabilis ratio medicinæ, à ratione satisfactionis, & de facto multotiès pęnitētia à Cōfessario imposita nullam habet rationē medicinæ, nisi valdè remotè, vt meliùs ex sequentibus patebit.

37 Dico secundò, pœnitentiam medicinalem aliquando primò, per se, ac directè tēdere ad pręseruādum hominem à peccatis, vt est omnis ablatio, & remotio occasionis proximæ ad peccandū, quæ etiamsi à Cōfessario nō iniūgeretur, à nemine tñ negligi potest, vt patet, nā qui amat periculum, peribit in illo; aliquando verò dicitur pœnitentia medicinalis secundariò, seu remotè, quatenùs primò, & per se iniungitur vt satisfactio, habet tamen consequentèr, & veluti remotè præseruare hominem à peccatis, vt est quodlibet bonū opus, de quo procedit præsens Difficultas, & affirmatiuè dicendum existimamus propter rationes supradictas, & in eodem sensu similitèr loqui Pontifices necesse est, dum concedunt indulgentias pro pœnitentijs iniunctis vel iniungendis.

38 Qui igitùr indulgentiam plenariam lucratur, poterit absolutè omnem pœnitentiam omittere; qui verò partialem solùm lucrabitur indulgentiam, solum itidem pœnitentiam partialem poterit omittere; quarè si v. g. concedatur indulgentia pro solo mense, vel pro vno anno, tunc omnes pœnitentiæ à Confessario impositæ pro mense, vel pro anno vtiquè omitti poterunt, nō autèm reliquæ vltrà tēpus in concessione indulgentiæ præfixum.

DIFFICVLTAS X.

Quibusnam personis Indulgentia hæc Cruciata conceditur?

39 Conceditur primò supradicta indulgentia omnibus illis, qui Zelo fidei succensi ad Bellum contra infideles personalitèr, ac proprijs sumptibus profecti fuerint, & hoc siue pugnauerint, siue aliud quodcumq; seruitij genus gratis exhibuerint, dummodo per annum integrum in illo perseuerent, quam etiam consequuntur, si ante Belli expeditionem, mortui fuerint in itinere, vel in exercitu, siue ex aliqua infirmitate, vel alia legitima caussa non potuerint in illo perseuerare, vt infra fusiùs dicetur.

40 Conceditur secundò illis, qui alios suis expēsis ad dictum Bellū miserint, secundū statum, & qualitatem personarum, vt si fuerint Primates, Patriarchæ, & huiusmodi mittant ad minus decem, aut saltem quatuor, si plures mittere nequeant, vt meliùs patebit ex infrà dicēdis *Disp.* 11.

41 Conceditur tertiò supradicta indulgētia Clericis sæcularibus, qui ab Ordinarijs, similiter & Regularibus, qui à suis superioribus habita licētia verbum Dei in dicto exercitu prędicauerint, aut alia Ecclesiastica, & pia ministeria exercuerint.

42 Conceditur demum quartò eadem indulgentia semel in vita, & semel in morte, iuxta supradicta, omnibus, qui duo realia erogauerint pro eadem bulla sumenda in subsidium dicti Belli contrà infideles, de qua eleemosyna infrà agemus Disp. 11. non quidem

quidem absolutè, vt primis, sed per applicationem Confessarij, vt hactenùs dictum est, nisi in casu mortis repentinæ, vt in sequenti Diff. dicemus.

DIFFICVLTAS XI.


Sub quibus conditionibus conceditur repentè morientibus dicta Indulgentia Plenaria?

43 QVamuis Sum. Pontifex illis, qui bullam sumunt, concedat præsentem indulgentiam mediante Confessarij applicatione (vt suprà satis dictum est) attamen in sequenti §. 16. absolutè, & absquè alia applicatione concedit illam ijs, quibus, durãte adhuc anno durationis ipsius bullæ, accedit per repentinam mortem ex hac vita decedere, sub tribus tamen conditionibus, quarum.

44 Prima est, vt qui sic repentè mortuus est, contritionem habuerit, posita scilicèt conscientia peccati mortalis, non deleti, vt benè notat *Bardi ci, n. 29.* quarè sicuti supra n. 17. & 18. diximus, non necessariò requiri confessionem de venialibus, sic similitèr hic asserimus, nequè in tali casu posito, requiri contrictionem de eisdẽ venialibus, ad eandem indulgentiam lucrandam; atquè adeò dicta cõtritio solùm requiritur vt dispositio subiecti pro illius consequutione, non autèm vt forma.

45 Secunda est, vt statuto tempore, hoc est ab Ecclesia præscripto fuerit ritè confessus, quarè si tempore debito is omiserit culpabilitèr confessionem, etiãsi in gratia moriatur, hanc indulgentiam non lucrabitur; atquè adeo dicta Confessio ab Ecclesia præscripta se habet vt forma. ratio autem est, quia per contritionem homo redditur absolutè capax indulgentiæ, & tamen, hoc non obstante, adhuc à Sum. Põtifice requiritur vltrà contritionẽ dicta confessio, ergò non requiritur vt subiecti dispositio, & cõsequentèr requiritur vt forma, atquè adeò nisi talis confessio præcesserit, etiamsi contritus moriatur, talem tamen indulgentiam non lucrabitur.

46 Tertia autèm conditio est, vt qui repentè moritur, non fuerit negligens ob fiduciam præsentis concessionis, hoc est, si ob fiduciam, & spem consequendi talem indulgentiam fuerit negligens in via spirituali, & in agenda pœnitentia pro peccatis cõmissis, secùs autem si in hoc alia caussa fuerit negligẽs tunc enim illa negligentia non impediet dictæ indulgentiæ consequutionẽ.



DISPV-

DISPVTATIO QVINTA


DE POTESTATE ELIGENDI CONFESSARIVM.

In §.XV. Sum.Pontifex, præter Indulgentiam Plenariam,(de qua satis dictum est in superiori D.Q.5.) quatuor alias gratias cōcedit. Prima est facultas eligendi Confessarium; Secunda est potestas absoluendi à peccatis etiam Sedi Apostolicæ reseruatis; Tertia est potestas absoluendi à Censuris; & Quarta demùm est potestas commutandi Vota, de quibus quatuor etiam distinctis Disputationibus agemus. Et quidem primò hic præcipuè agemus de personis, quæ virtute Bullæ Cruciatæ poterunt in Confessarios eligi.

QVÆSTIO I.

De approbatione necessariò in Sacerdote requisita, ad hoc vt validè in Confessarium vi Bullæ eligatur.

TRes sub præsenti instituemus Quæstiones; & quidem in prima agemus de Approbatione veluti in communi necessariò requisita, ad hoc vt quis validè in Confessarium vi bullæ eligatur. in secunda verò agemus de eligibilitate ad hoc Parochorū, ac Regularum in Tertia, tàm de Iure communi, quàm vi eiusdem Cruciatæ.



DIFFICVLTAS I.

Quænam requirantur in Confessario de Iure Communi?

1 Vlta quidem, ac varia requirūtur tàm de Iure Diuino, quàm de Iure naturali, atquè etiam positiuo ad hoc, vt quis possit munus Confessarij ritè exercere, de quibus communitèr DD. in materia de Pœnitentia, & nos ibidem etiam, Deo dante, fusè agemus, hic tamen breuitèr Dico primò, conuenire Catholicos contrà Hæreticos, neminem posse in Confessarium eligi, nisi sit Sacerdos, adeò vt in nullo prorsus casu valida sit Confessio non Sacerdoti facta.

2 Conueniūt etiā DD. necessariò requiri similitèr in ministro Sacramēti pœnitentiæ vsū rationis po-

potentiam loquendi ad proferendam formam absolutionis, ac intentionem absoluendi saltem virtualem, hoc est, dum accedit ad audiendas cõfessiones, habeat animum fugendi suo munere, quem animum non retractet; insuper & iurisdictionem in ipsum pœnitentem vel Ordinariã, vel delegatam, de qua Diff. sequenti.

3 Conueniunt similitèr DD. saltem ad licitam Sacramenti pœnitentiæ administrationem, requiri in Confessario aliquam sciẽtiam circà ea, quæ pertinent ad suum munus, vt scilicet cognoscat differentiam inter peccatum venialem, & mortalem: similitèr sciat, quæ communitèr sint peccata mortalia ordinaria, circumstantias mutantes speciẽ, & huiusmodi, etiamsi non habeat harum rerum notitiam perfectam, sciat tamen in difficilioribus dubitare, & consulere Doctores; vt sciat etiam formam absolutionis, aliaque requisita ad perfectionem dicti Sacramẽti pœnitentiæ, & ad directionẽ ipsius pœnitentijs in rebus necessarijs, & his similia.

4 Requiritur præterea vt dictus minister, ad hoc vt licitè ministret dictum Sacramentum, sit in gratia, alioqui grauitèr peccabit toties, quoties absoluet, quãuis validè absoluat; quarè si Cõfessarius conscientiam peccati mor. habuerit, debet confiteri, vel conteri, vel saltem existimare, se esse contritum.

5 Demùm Sacerdos excommunicatus vitandus non solùm illicitè, sed etiam inualidè absolueret, nisi fortè in extrema necessitate pœnitentis, quando scilicèt non adesset alius sacerdos, vel in loco, vbi esset incognitus, & haberetur communitèr pro legitimo Confessario, seu cum titulo colorato, nam in huiusmodi casibus censetur Ecclesia dare illi iurisdictionem. Sacerdos verò excommunicatus nõ vitandus non amittit Iurisdictionem ad absoluẽdum, ac proinde validè absoluet, si nihil aliud desit, peccabit tamen, & sic illicitè absoluet, si absq; necessitate se se ingerat ad audiẽdas confessiones.

6 Quia verò hìc à bulla solùm Ordinarij Approbatio requiritur, & consequentèr reliqua prærequisita supponantur de iure communi, adhoc vt quis in Confessarium vi eiusdem bullæ eligi possit, de hac igitur Approbatione solùm in præsenti agendum erit.

DIFFICVLTAS II.

Quid sit Approbatio, & quomodo differat à Iurisdictione?

7 IVrisdictio, quæ est Ius, seu potestas exercendi actum in alium tanquam in subditum, diuiditur communitèr in Ordinariam, & Delegatam: Ordinaria est illa, quam de iure habent Prælati, qui ex vi proprij muneris, & officij sunt Superiores Ordinarij suorum subditorum; & in præsenti materia sunt omnes, qui ex proprio officio sunt Pastores, habentque animarum curam, quam proinde possunt etiam alijs commitere.

8 Hi autem Ecclesiæ Dei Prælati, qui dictam ordinariã iurisdictionem habent in foro consciẽtiæ suprà proprios subditos, ad tres veluti Classes reducũtur, Et quidem in prima, & suprema est solus Sum. Pontifex, qui habet

iustitię eumdẽ approbare, poterit tamen suam iurisdictionẽ eidem non committere, seu delegare, cũ collatio iurisdictionis sit actus meræ, ac gratuitæ voluntatis, & consequentèr Approbatio absolutè stare poterit absq; iurisdictione, quamuis non è contrà.

DIFFICVLTAS III.

An Sacerdos, quem Ordinarius declarauit idoneum ad audiendas Confessiones, non tamen illi cõtulit iurisdictionem, possit vi bullæ eligi in Confessarium?

14 DIximus suprà n. 13. posse Ordinariũ absolutè declarare aliquem Sacerdotẽ esse idoneum ad Confessiones audiendas, & tamen nullã adhoc iurisdictionem conferre; quærimus in tali casu, An talis sacerdos, qui ab Ordinario habet Approbationem, & nõ iurisdictionẽ, possit virtute bullæ eligi in Confessarium?

15 Et quidem ratio dubitandi pro parte negatiua est, primò quia in bulla solùm conceditur, virtute illius posse eligi in Cõfessarium ab Ordinario approbatum: simplex autèm Sacerdos nullam habens iurisdictionem, nequit dici Confessor, ergò &c. Secundò quia ex hoc sequeretur, quod omnes, qui examinantur ad obtinedũ aliquod beneficium Curatũ, si digni ab Ordinario iudicati fuerint ad illud munus exercendum, vtiq; possent similitèr eligi in Cõfessarios virtute eiusdem bullæ, nã approbatus ad officiũ Parochi, est similitèr etiã approbatus ad confessiones audiẽdas, vt patet.

16 Affirmant tamen cõmunitèr *Carolus Latius in Bull. Cruc.* DD. & meritò, primò quia ex vna parte in bulla sola Ordinarij approbatio requiritur ad hoc, vt aliquis Sacerdos eligi possit in Confessarium vi eiusdẽ bullæ: ex altera verò parte huiusmodi approbatio benè stare potest absq; eo, quod Ordinarius conferat illi iurisdictionem (vt suprà dictum est) ergò sola Ordinarij approbatio sufficiet adhoc, vt eligibilis sit in Confessarium vi eiusdem bullæ; & hoc etiamsi Ordinarius repugnet, nam Ordinarius nequit Sum. Pontificum impedire priuilegia; ratione tamen contẽptus eiusdem Ordinarij poterit aliquando interuenire culpa, saltem venialis. *Auctor.*

17 Probatur secundò, nam approbatus ab Ordinario, statim ac virtute bullæ eligitur in Cõfessariũ, eo ipso accipit immediatè à Sum. Pontifice ad hoc munus iurisdictionem, & consequentèr nulla alia iurisdictio requiritur; sicuti cum Prælatus Religionis concedit licentiam alicui religioso ad eligendum quemcunq, Sacerdotem sui Cõuentus pro absolutione à reseruatis, statim ac quis ex illis in Confessarium eligitur ab habẽte dictã licentiam, eo ipso intelligitur is recipere iurisdictionẽ immediatè ab eodẽ Prelato.

18 Ad primã autẽ artionẽ dubitandi in cõtrariũ Dico, nõ opus esse, vt qui virtute bullę in Cõfessarium eligitur, sit antea Cõfessor, sed quod p talẽ electionẽ Cõfessor instituatur, ex speciali Sedis Apostolicę priuilegio, virtute bullę Cruciatę cõcesso; sicuti cũ eligitur Episcopus, vtiq; non eligitur, qui priùs erat Episcopus, sed qui Episcopus non erat, in Episcopum eligitur.

19 Ad secundam verò, concedo sequelam, dummodò huiusmodi approbatio sit absoluta, hoc est tum quoad scientiam, tum quoad mores, & prudentiam; secùs autèm si fuerit approbatio secundùm quid, hoc est de sola scientia, vel de solis moribus, &c. nam virtute bullę est solùm in Confessarium eligibilis, qui est absolutè ab Ordinario approbatus, vt ex dicēdis meliùs patebit.

DIFFICVLTAS IV.

An Sacerdos, quem Ordinarius verè interiùs inhabilem existimat ad audiendas cōfessiones, si tamen exteriùs adhoc illum approbet, possit vi bullæ in Confessarium eligi?

20 CONtingere potest, vt Episcopus interiùs existimet verè inhabilem aliquem Sacerdotem ad audiendas confessiones, & tamen beneuolentiâ, aut alio humano fauore ductus illū exteriùs adhoc approbet: quærimus hic, An is Sacerdos possit absolutè vi bullæ in Confessarium eligi?

Bonac. 21 Negat *Bonac. D.5.q.7.p.4.§.1 n.29.* ex eo quia à Tridentino duo requirantur ad idoneitatē Confessarij, primū vt ab Episcopo iudicetur idoneus, secundū vt approbetur, ergò sicuti solū iudiciū non sufficit, vt Confessarius sit proximè capax iurisdictionis, itâ nequè sola externa approbatio sufficiet absque iudicio interno.

Suar. Bardi. Lugo. Auctor. 22 Affirmāt tamen *Suar. D.28.se. 5.n.7. Lugo D.21.se.1.n.25. Bard. p.2.tr 5.C.1.n.113.* alijq; & meritò, nā approbare sacerdotē ad audiendas confessiones est actus iurisdictionis exterioris: probatur, nā nō sufficit ad hoc quęlibet approbatio, vt patet, sed requiritur approbatio iuridicè lata per modum cuiusdā sententiæ, ergò non exigit ad sui perfectionem, seu validitatē internū iudiciū illam iuridicè proferentis: sententia .n. Iudicis lata in fauorem vnius ex partibus litigantibus, etiamsi Iudex interiùs habeat contrarium iudiciū & existimet oppositū, attamen omninò valida est, vt oēs concedunt, esto sit illicita; igitùr similitèr Episcopus tanquam legitimus Iudex, dum approbat Sacerdotem ad cōfessiones excipiendas, suamque in hoc sententiam profert, quàmuis sit illicita talis sententia, & contrà conscientiam ipsius Episcopi approbantis, erit tamen valida.

23 Ex quibus remanet solutum fundamentū oppositę scientiæ; nego .n. Iudiciū, quod à Tridētino pro dicta Approbatione requiritur, esse iudiciū internū, sic .n. ad multos scrupulos pateret aditus; sed dico, esse ipsūmet iudiciū externū sensibile, ac tale vt probari possit, si negetur, quod vtiquè est inclusū in eadem sententia iudiciaria approbationis dictæ, vt dictū est.

24 Demum ad tollēdos aliquot scrupulos ab Ordinarijs approbantibus, seù deputantibus aliquando sacerdotes absolutè inhabiles ad cōfessiones excipiendas, Noto hic, quod huiusmodi approbatio, seu deputatio poterit esse non solùm valida, vt dictū est, sed etiam licita, quotiès scilicet habetur penuria Sacerdotū sufficiētis doctrinæ, in quo casu, cū meliùs absolutè sit Fidelibus habere aliquos cōfessarios, quamuis insufficientis doctrinę,

quàm

quã nullos, cõsequentèr nõ peccabit Ordinarius, si tales ad Cõfessiones approbabit, seu deputabit, dummodò sufficientiores quoad poterit adhoc eligat, curetque deinde, vt sic approbati, quoad fieri poterit, saltem in necessarioribus instruantur.

DIFFICVLTAS V.

An sola ratihabitio Approbationis sufficiat, vt quis in Confessarium vi bullæ eligi possit?

25 Conueniunt DD. (paucis quibusdam exceptis) nõ sufficere adhoc ratihabitionem de futuro; quare si quis Sacerdos carens facultate absoluendi, attamen ductus spe, seu ratihabitione, quod scilicèt Superior deinde sciens factum, illud sit ratum habiturus, excipiat Confessiones, inualidè in tali casu absoluet. & meritò, nã effectus, seu valor Sacramẽti nequit manere suspẽsus seu depẽdere à futuro cõsensu alterius.

26 Controuertitur ergò solùm, An ratihabitio de præsenti, quæ maiori verborum proprietate dicitur *Tacitus consensus*, sufficiat adhoc, vt Sacerdos censeatur approbatus, itaut si vi bullæ eligatur, valide absoluat.

27 Negant *Gabr. D.17.q.2.ar.3. d.2. Maior D.19.q.1. Anton. 3.p. titul.17.C.4.cas.8. Palud. in 4.D. 17.q.3.n.28. Adrian. q.5. de conf. Medin. q. de multip. lic. Suar. to.4. D.26.se.1.n.14. Pharaon. tract. 1. sess.17.cas.11. de pœnit.* alijque, ex eo quia putant, nullam dari ratihabitionem de præsenti, sed omnem ratihabitionem, volũt, proprie respicere actum præteritum. quod si ratihabitio de præsenti vocetur voluntas aliqua presens, exteriùs manifestata non signo expresso, sed implicito, tunc dicunt, nõ debere dici talem voluntatẽ proprie ratihabitionem, sed iurisdictionis collationem, seu licentiam per cõsensum de præsenti. cum tota tamen hac explicatione, addunt, difficile esse explicare, in quonam consistat ista implicita concessio.

Gabriel. Maior. Anton. Palud. Adrian. Medin. Suarez. Pharaon.

Carolus Latius in Bull. Cruc.

28 Affirmant tamen *Sotus in 4. D.18.q.4.ar.3. Caiet. sum. V. Absolut. Nauar. in man. C.9. nu. 6. Nuñus in add. ad 3.p.S.T. q.8.ar. 5.d.9. Syluest. V. Confess. 1. qu. 6. Vasq. to.4. in 3.p.D.93.ar.2. d.2. Herriq. l.6. de pœnit. C.12. nu. 13. Mart. Ledesm. p.4.q.7.ar. 5.d.3. Bart. Ledes. de pœn. D.28. Coninb. D.10.d.5.n.33. Sanch. 3. de matr. D.35.n.20. Sancius in selec. D.44 n.3. Tolet. in sum. l.3.C.13.nu.3. Fagund. in 2. prac. Eccl. l.7. C. 2. n.71.* alijque.

Sotus. Caiet. Nauarr. Nuñus. Syluest. Vasquez Herriq. M. Ledes. Bar. Led. Coninb. Sanch. Sancius Tolet. Fagund.

29 Et meritò, nam iure receptũ est, quòd vbi requiritur Superioris licentia in actu, sufficiat tacita, & præsumpta per ratihabitionem de presenti; sic v.g. valide contrahitur matrimonium corã alieno Parocho, si is tacitam habeat licentiam à proprio Parocho. similiter Procurator reuocatus, gerens cum toto tamen hoc negotia sciente, & patiente Domino, valide agit, vt docet *Gloss. l. qui mutuũ, V. instaurauerit, ff. mãdati*, & cõmuniter DD. varijs exẽplis cõfirmant, idẽ ergò dicẽdũ est in casu nostro. & ratio à priori est, quia dum ad licitũ vsũ alicuius actionis requiritur volũtas, & cõsensus alterius exteriùs manifestatus, per accidẽs est, vt talis consensus vel hoc, vel alio modo innotescat exerceri illã actionem, dummodò legitimè, ac iuridicè innotescat.

Auctor. Glossa.

T 2 Legi-

30 Legitimè autèm, ac iuridicè innotescet talis cõsensus, si v.g. Superior dum scit, seu actu videt Confessarium illum audiẽtem confessionem, sileat non ex eo, quod timeat aliquod damnum sibi, vel alijs futurum, si confessionem illam impediat: nequè sileat ex pusillanimitate, aut aliquo errore, existimans talem Sacerdotem vel esse iam approbatum, vel aliundè habere iurisdictionem, &c. sed verè sileat ex eo, quod gratum ipsi sit, vt à tali Sacerdote administretur tunc pœnitentiæ Sacramentum, & ideò illum non impedit ab illo exercitio, cum facilè posset; alitèr tacitus ille superioris cõsensus, cum sit absolutè inuoluntarius, vtiquè reddet nullam ratihabitionem illã, qua munitur talis Sacerdos ad audiendam illam Cõfessionem.

31 Insuper ad hoc necessariò requiritur, vt talis Confessor habeat notitiam dicti taciti consensus, qui in superiore actu inuenitur: alitèr cum ipse sciat non habere vi bullæ iurisdictionem, nisi præsupposita dicta approbatione, hanc autèm absolutè non habeat: similitèr sciat, absolutionem absque iurisdictione esse omninò inualidam, consequentèr impossibile est, vt habeat efficacem intentionẽ validè absoluendi. Quarè si pœnitens aliqua peccata confiteatur tali Sacerdoti, antequam superueniat superior, cuius approbatio prærequiritur, tenetur iterum talia peccata confiteri, ex eo quia non fuerint tũc coram legitimo Cõfessario confessa; breuitèr tamen sic: Confiteor iterum peccata, quæ ante approbationem confessus sum.

32 Notant insuper communitèr DD. Confessarium, qui inscio pœnitente, cum dicta tantùm tacità approbatione audit sacramentalitèr illius peccata, teneri totum hoc aperire ipsi pœnitenti, antequam incipiat confessionem, alitèr grauiter peccare: & meritò, nã illi iniuriam irrogaret in re graui; potest enim contingere, vt pœnitens nolit sic sua peccata tali sacerdoti aperire.

33 Notant similitèr DD. huiusmodi approbationem, seu licẽtiam, aut iurisdictionis collationem, non intelligi absolutã, sed tãtùm secundùm quid, hoc est pro illa sola vice, pro qua superior videt Confessarium audientem confessionem, & nõ impedit, cum absolutè posset, sed ratum habet. & meritò, nam circumstantię tunc occurrẽtes, nequeunt absolutè, ac semper haberi.

34 Ex quibus satis patet ad rationes AA. in contrarium, nisi velint instituere quæstionem de solo nomine. Cum toto tamen hoc, quamuis Opinio ista, quam amplexi sumus, verissima speculatiuè appareat, attamen in praxi absquè necessitate vix sequi illam debemus, nam in dubijs, maximè vbi de Sacramentorum validitate agitur, tutior pars semper erit eligenda.

DIFFICVLTAS VI.

An Sacerdos petens Approbationem ab Ordinario, si iniustè illi denegetur, sit adhuc per bullam eligibili?

35 PRæsens Difficultas procedit in casu, quo satis manifestè, & euidentèr iniustè negatur ab Ordinario approbatio

nam

nam si iniustitia talis non fuerit, certum est per omnes, talem Sacerdotem, cui denegatur approbatio, non esse vi bullæ, neque vi alterius similis priuilegij in Confessarium eligibilem.

36 Posita autem manifesta, & euidēti iniustitia, vt dictum est, affirmant aliqui, primò quia absolutè putant, actionem euidenter iniuriosam nemini debere esse nociuam: iam dum Sacerdos per examen inuenitur idoneus, & tamen Episcopus vel ex odio, vel alio iniusto motiuo denegat approbationem, vtiquè facit illi iniuriam, vt patet, ac proinde non debet illi nocere: noceret autèm si adhuc is Sacerdos non esset vi bullæ, aut alio simili priuilegio in Cōfessariū eligibilis. Secundò quia, dùm requiritur consensus alicuius, qui illum præstare debet, si iniustè nolit consensum exibere, habetur pro exhibito, prout colligitur ex *C. licèt de Regular.* vnde ibidem dicitur, quod si religiosus petat à suo Superiore licentiam transeundi ad perfectiorem religionem, si illi licentia denegetur, poterit ad illum ordinem transire, adhuc non obtenta licentia.

37 Negant tamen *Suar. D. 28. se. 5. n. 7. Fagund. præc. 2. l. 7. C. 2. n. 59. Trullen. l. 1. §. 7. C. 1. d. 8. n. 1. Lugo D. 21. se. 3. n. 50. Bardi p. 2. tr. 5. C. 1. n. 107.* & communitèr DD. ac meritò, loquendo tamē de Sacerdote sæculari (de Regularibus enim dicemus infrà Q. 3.) nam *Trid. sess. 23. C. 15.* absolutè determinat, nullum reputandum esse idoneum ad Cōfessiones sæcularium audiendas, nisi aut Parochiale beneficium obtineat, aut ab Episcopis approbetur. iam conditionalis; *Nisi*, significat, vt actu, & positiuè ponatur Sacerdotis approbatio ad hoc, vt idoneus ad cōfessiones audiendas reputetur. quarè sicuti Sacerdos nominatus, seu electus ad parochiale beneficium, si iniustè reprobetur ab Episcopo competenti, non censetur idoneus, vt per bullam titulo beneficij eligatur in confessarium, ita similitèr neque vi eiusdem Bullæ poterit in Confessarium eligi, qui ab Episcopo per examen approbādus, iniustè tamen reprobatur.

Suarez. Fagund. Trullen. Lugo. Bardi. Auctor.

38 Ad primam autèm rationem in contrarium nego, absolutè loquendo, actionem iniuriosam nemini esse nociuam; de facto enim dū Iudex liberat reum à pœna soluenda Fisco, vel alteri, iam talis iniusta sententia est alteri nociua vt patet, ac multis alijs exemplis probari potest.

39 Ad secundam verò nego similitèr, absolutè loquendo, verùm esse, quod consensus iniustè negatus habeatur pro exibito, alioqui pœnitens, cui negauit iniustè Confessarius absolutionem, deberet haberi pro absoluto, quod est apertè falsum. Valet ergò principium illud in solis illis casibus, qui specialitèr in Iure assignantur.

DIFFICVLTAS VII.

An Sacerdos, qui per vim, & metum extorsit ab Ordinario licentiam audiendi cōfessiones, possit vì bullæ in Confessarium eligi?

40 CONueniunt DD. licentiam extortam per vim, ac metum non cadentem in costantē virum, esse absolutè validam. Difficultas igitùr procedit in casu

casu, quo talis licentia extorqueatur per vim, & metum cadentem in constantem virum, in quo etiam sensu absolutè af- firmat *Sanch.l.3.de matr.D.39.n.13.* exceptis tamen casibus qui in iure signantèr excipiuntur; atquè adeò secundùm hanc opinionem, Sacerdos qui per vim, & metum etiam cadentem in constantem virum, extorsit ab Ordinario licentiam audiendi Confessiones, posset absolutè illas audire; ac multo magis cōsequentèr virtute bullæ posset in Confessarium eligi.

Sanch.

Lud.à cr. 41 Negat tamen *Lud.à Cruc.D.1 C.2.d.21.n.6.* cuius ratio est; quia huiusmodi licentiæ concessio pertinet ad liberalitatem, & donationem, quæuis autèm donatio metu graui facta, Iure naturali non subsistit, ex defectu tituli sufficientis. nequè valet iure positiuo, cum non possit assignari ius, vnde valere colligatur, & consequentèr dispositioni dicti iuris naturalis relinquitur; atquè adeò secundùm hanc opinionem; Sacerdos, qui per vim, & metum cadentem in constantem virum, extorsit licentiam audiendi Cōfessiones, nequit nequè virtute bullæ, nequè vllo alio simili priuilegio, validè Confessiones excipere.

Auctor. 42 Pro solutione autèm præsentis difficultatis suppono hic, licentiam audiendi Confessiones duo includere (per se, & absolutè loquendo) & quidem primum est approbatio, seu declaratio ad hoc idoneitatis talis Sacerdotis, cui datur dicta licentia, secundum est collatio iurisdictionis ad eundem effectum: primum est actus Iustitiæ, atquè adeò, etiamsi per vim adhuc cadentem in constantem virum extorqueatur, validus etiam erit. Secundum verò est actus liberalitatis, & donationis (prout de vtroque suprà diximus n.13.) atquè adeò, si per vim cadentem in constantem virum extorqueatur, nullus erit, vt benè docet secunda opinio.

43 Sacerdos igitùr qui per vim & metum, modo dicto, extorsit ab Ordinario licentiam audiendi confessiones, erit vtiquè approbatus, non habebit tamen iurisdictionem ad hoc necessariò requisitam; ac proinde, quāuis nequeat is independentèr ab omni priuilegio Confessiones sacramentalitèr audire, poterit tamen hoc virtute bullæ, aut alterius similis priuilegij nullam iurisdictionem præsupponentis, sed tantùm meram, ac solam Ordinarij approbationē exigentis. & sic in hoc media via incedendum putamus.

44 Ex dictis apertè sequitur, Sacerdotem, qui per vim, & metum adhuc cadentem in constantem virum, extorsit ab Ordinario Approbatione audiendi confessiones, posse similitèr virtute bullæ, aut alterius similis priuilegij Confessiones sacramentalitèr audire.

DIFFICVLTAS VIII.

An Sacerdos, qui dolo obtinuit ab Ordinario licentiam audiendi Confessiones, possit vì Bulla in Confessarium eligi?

45 Ratio dubitandi pro parte negatiua est, primò quia Dispensatio falsa caussa obtenta est subreptitia, & nulla, prout docent cōmunitèr DD. ex *C.*

quia

quia circa, de consang.; cum igitùr prædicta licentia sit quædā dispensatio, consequentèr si ex falsa caussa obtineatur, erit nulla. Secundò quia falsitas circà caussam finalem dispensationis, illam viriat, in casu autèm nostro falsitas contingit circà caussam finalem, nam Ordinarius eà caussa mouetur ad concedēdam talem licentiam.

Couar. *Nauarr.* *Sanch.* *Lud. à cr.* *Auctor.*

46 Affirmant tamē *Couar. 1. var. C. 20. n. 2. Nauar. C. 23. sum. n. 101. Sanch. l. 3. de mat. D. 39. n. 14. Lud. à Cruc. D. 1. C. 2. d. 21. n. 9.* & communitèr DD. & meritò, nam id, quod falsò, ac dolo repræsentatur in tali casu, pro obtinendà ab Ordinario dictà licentià, quamuis moueat, & impellat ipsum Ordinarium ad il-l.m concedendā, attamèn cùm de facto talis licentia absolutè concedatur, & absq; vllo respectu ad id, quod repræsentatum est (vt hic suppono) dicendum omninò est, id quod falsò repræsentatum fuit, nihil prorsus conferre ad talem concessionē.

47 Et ratio veluti à priori est, quia ex vna parte non latet ipsos Ordinarios, sæpè fictè; ac falsò, fucatisq; rationibus multa ipsis repræsentari, pro extorquendis huiusmodi licentijs; ex alterà verò parte satis prudentèr huiusmodi licentiæ absolutè, & absq; vllo respectu ad rationes, vel verè, vel falsò repræsētatas sēper conceduntur, (vt dictum est) ergò non erit mens concedentis licentiam, vt velit illam irritam reddere, eà petitione falsà existente, ne Confessiones sic passim irritentur ac proinde error ille non erit circam finalem, sed tantùm impulsiuam, qua cessante, non ideò cessat dispositio, prout Iuristæ communitèr docent.

48 Ex quibus satis patet ad vtrāque rationem dubitandi in cōtrarium; vtraque enim verificatur, cùm error, & falsitas contingit circa caussam finalem: in casu autèm nostro solùm contingit circa caussam impulsiuā, vt dictum est. Et hoc etiamsi Ordinarius non esset talem licentiam concessurus, nisi ea caussa repræsentaretur; nam nō omnis caussa, sine qua actus nō fieret, est caussa finalis, prout constat in naturalibus; sic v. g. remouens prohibens est caussa, sine qua non descensus lapidis, & tamèn non est caussa principalis, sed tantùm occasio.

DIFFICVLTAS IX.

An Sacerdos verè approbatus validè absoluat virtute bullæ, etiā antequam certò sciat, se esse approbatum?

49 PRæsens casus ita formari potest: Approbet Ordinarius aliquem Sacerdotem absentem ad audiendas confessiones, vel ipso Sacerdote hoc petente per Epistolam, siue nuncium, vel etiam inscio ipso Sacerdote, ad petitionem tamèn alicuius amici; vel demùm ex motu proprio ipsius Ordinarij; quærimus in his & similibus casibus: An si is Sacerdos absolueret aliquem virtute bullæ antequam certò sciat, se esse approbatum, validè saltèm tunc temporis absolueret?

50 Et quidem ratio dubitandi pro parte negatiua est, quia ex satis communi DD. consensu (vt dicemus Diff. sequenti) quātumuis quis verè & absolutè iurisdictionem habeat pro audiēdis

dis confessionibus, nequit tamē neque licitè, neque validè sacramentalitèr absoluere, vsquè dum certò, ac iuridicè sciat, se talem iurisdictionē obtinuisse. atquè adeò, à pari, idem videtur dicendum circà dictam approbationem ad absoluendū virtute bullæ, aut simili alio priuilegio, solā Ordinarij approbationem exigente.

51 In partem tamen affirmatiuam inclinat *Bardi p. 2. tr. 5. C. 1. n. 139.* & meritò, nam is Sacerdos ex vna parte verè, & absolutè est approbatus (vt dictū est) ex altera verò parte absoluit quantùm potest (vt suppono) ergò nihil aliud requiritur ad hoc, vt saltem validè, absoluat virtute Bullæ non aliud exigentis, nisi solam Ordinarij approbationem.

Bardi.
Auctor.

52 Et confirmari potest à pari, nam si Titius haberet verum dominium in hanc margaritā, lateret tamē ipsum Titium tale dominium: cedo quęsò, si Titius donaret eam margaritam Gaio, eo modo quo potest, nonnè vera, ac valida esset talis donatio, verumque dominium acquireret Gaius illius margaritæ? cur igitùr in casu posito, is Sacerdos inualidè absolutionem sacramentalem impertiretur, si omni meliori modo, quo potest, tunc absolueret?

53 Ad rationem autèm dubitādi in contrarium, nego paritatem. & ratio disparitatis est, pręcipuè quia apud Iuristas notum illud principium circūfertur, nempè: *Ignoranti non prodesse iurisdictionem*, vndè mouentur communitèr DD. ad asserendū, non validè absoluere Confessarium, quantumuis Iurisdictionem habentem, nisi vsquedùm de tali iurisdictione eidem Confessario innotescat; tale autèm principium cùm de sola iurisdictione loquatur, nō est, cur etiam extendatur ad approbationem, quæ non est absolutè iurisdictio (vt suprà diximus) sed tantùm purum Superioris approbantis testimonium de idoneitate Confessarij: in nullo autèm Iure habetur, quod testimonium sit nullum, vsquedùm innotescat illi, de quo tale testimonium latum est.

54 Et quamuis validè absoluere virtute bullæ eum Sacerdotem in tali casu existimemus, negādum tamen non est illicitè absoluere, & grauitèr peccare, ex eo quod se exponat periculo faciendi nullum Sacramentum; pręsertim si nullā prorsus notitiam habeat de tali approbatione; quod si aliquam notitiam de illa habeat, tunc iuxtà maiorē, aut minorem notitiā, magis, aut minùs grauiter peccabit.

55 Demùm talis sacerdos in tali casu tenetur totum hoc aperire ipsi pœnitenti, antequam incipiat Confessionem, alitèr etiā ex hoc alio capite peccabit, quatenùs scilicèt irrogaret iniuriā eo pœnitenti in re graui; contingere enim potest, vt pœnitens nolit sic sua peccata tali Sacerdoti aperire, prout suprà n. 32. diximus de Sacerdote excepturo confessionem cum sola ratihabitione.

56 Ad pleniorem autem doctrinam, iuuat hic examinare, an idem dicēdum sit de sacerdote: reuera habente iurisdictionem excipiendi sacramentalitèr cōfessiones, ignorat tamen, se illam habere.

DIF-

DIFFICVLTAS X.

An habens Iurisdictionem excipiendi Confessiones, validè absoluat, saltèm vi bullæ, antequam de habitâ Iurisdictione ipsi innotescat?

57 QVamuis approbatio ad audiendas Cõfessiones dari possit (vt pluriès dictũ est) absq; iurisdictione, & è contrà, prout de facto vi bullæ confertur iurisdictio, non autem approbatio, sed hanc supponit; attamen collatio iurisdictionis, vt communitèr ab Ordinarijs datur, importat simul etiã approbationem; atq; adeò cum approbatus validè virtute bullę absoluat, etiamsi ignoret se esse approbatum (vt superiori Diff. dictum est) consequenter habẽs huiusmodi iurisdictionẽ, etiãsi ignoret eam habere iurisdictionẽ, quatenùs ea iurisdictio importat approbationem, poterit similitèr vi bullæ, aut alio simili priuilegio, solam approbationẽ exigente, validè absoluere, quamuis non licitè, iuxtà supradicta à num. 54.

58 Difficultas igitur hic solùm remanet, An huiusmodi iurisdictio formalitèr sumpta, prout scilicèt iurisdictio, & vltimum complementũ est ad audiendas Confessiones, validè exerceri possit independentèr ab omni alio priuilegio, etiam antequã ipsi Confessario de eâ iurisdictione habitâ innotescat.

59 Negant absolutè *Lud. à cruc. D. 1. C. 2. d. 2. n. 1. Sanch. l. 3. de mat. D. 36. n. 28.* omnesq; illi, qui absolutè asserunt, priuilegium non sortiri effectum tempore concessionis, sed tempore notitiæ, quã priuilegiatus habet de priuilegij concessione, & illud acceptat, ex eo quia collatio iurisdictionis est species quædam donationis, quæ ad sui valorẽ, & firmitatem requirit acceptationem; acceptatio autem est actus voluntatis essentialitèr supponens cognitionẽ rei, quæ acceptatur, atquè adeò nisi habita iurisdictio cognoscatur, nullius erit roboris, & valoris, eritque ac si nunquam habita fuisset; vndè est illud satis notũ principium Iuristarum: *Ignorãti non acquiritur, seu non prodest iurisdictio.* (Lud. à cr. / Sanch.)

60 At *Merolla D. 7. moral. C. 1. d. 10. n. 222. Azor. to. 1. l. 5. C. 3. quæst. 5. Palaus de priu. tr. 3. D. 4. p. 3. §. 2. n. 9.* alijque communiter DD. limitant predictam opinionem, atq; adeò docent, quod si iurisdictio, seu priuilegium directè, & immediatè concedatur alicui communitati (prout multa, ac varia priuilegia conceduntur religionibus in cõmuni) cuius pars est talis Confessarius, tunc etiamsi ille Confessarius careat illius cõcessionis notitiâ, adhuc validè absoluere; si verò talis iurisdictio directè, & immediatè concessa fuit ipsi Cõfessario, tunc iterùm distingunt, vel enim aiunt, concessa fuit illi, ipsimet Cõfessario petẽte, siue per epistolam, siue per nuncium, vel concessa fuit ex motu proprio ipsius concedentis: si primum putant similitèr eum cõfessariũ validè absoluere, etiamsi non adhùc ipsi de tali concessione innotescat, secùs autem in secundo casu. (Merolla. Azorius Palaus.)

61 Et meritò; & quidem quoad primum casum patet, nam priuilegium (Auctor.)

Carolus Latius in Bull. Cruc. V

uilegium directè, & immediatè alicui communitati concessum, statim ac potiori parte, seu à Capitibus ipsius communitatis acceptatur, eo ipso similitèr ab omnibus, & singulis eiusdem communitatis partibus acceptari intelligitur, & consequentèr omnes, & singulos illius cõmunitatis validè eo priuilegio vti. dicendum est, etiamsi illorum aliquis per accidens illius concessionis notitià careat.

62 Quoad secundum verò casũ similitèr patet, nam dum is Cõfessarius petit ab Ordinario potestatem, seu iurisdictionem excipiendi sacramentalitèr Cõfessiones, statim ac ea potestas, seu iurisdictio illi conceditur, eo ipso à tali Confessario intelligitur acceptata cõcessio. quod autèm ea petitio fiat immediatè, vel mediante epistolà, vel nuncio, &c. se habet per accidens, ac parum refert, & consequentèr si talis iurisdictio statim ac conceditur, exerceatur, vtiq; validè exercebitur, quod si talis concessionis notitia non adhuc innotescat illi Confessario, se habebit similitèr ad hoc per accidens, solùmque reddet illicitum illius exercitium, vsquedùm talis concessio legitimè innotescat illam exercenti, iuxtà supradicta à n.54. in simili de Approbatione, ad quæ me remitto.

63 Quoad generale illud iuristarum principium, quod scilicèt, *Ignoranti non acquiritur, seu non prodest iurisdictio* (in quo prima opinio tota fundatur) dicendum absolutè valere in ordine ad licitum concessæ iurisdictionis exercitium: in ordine autèm ad validitatem, quatenùs vniuersalitèr loquendo, ignoratio habitæ iurisdictionis non importat illius acceptationem, ad eius valorem necessariò requisitam, vt suprà dictum est. An verò idem dicẽdum sit de sacerdote, qui putat se habere supradictam iurisdictionem ex aliquo titulo, secũdùm quem verè eam nõ habet, sed reuera illam habet ex alio titulo, quem tamen ipse ignorat, dicemus Diff. sequenti.

DIFFICVLTAS XI.

An habens Iurisdictionem, & potestatem excipiendi Cõfessiones, si in eius titulo erret, validè absoluat?

64 Præsens Difficultas non est longè dissimilis à precedenti; quarè eadem principia ibi allata, videntur & in præsẽti militare. Et quidem casus sic formari potest; sit Sacerdos, qui reuera habeat dictam potestatem, & Iurisdictionem ex vi v.g. priuilegiorum suæ Religionis (si fuerit religiosus) id autèm ipsum lateat, sed putet eã habere ex alio capite, seu titulo, v.g. ab Ordinario, à quo verè illam nunquam habuit; & è contrà eo modo, quo v.g. si Titius haberet verum dominiũ in aliquam gemmam ex eo, quod ipsi relicta ea fuerit à suis parentibus, putaret tamen, se illam possidere alio titulo, v.g. ex dono amici. quærimus ergò in prædicto casu, An talis sacerdos, stante eo errore, validè absoluat.

65 Ratio autẽ dubitãdi pro parte negatiua est, quia collatio iurisdictionis se habet vt quædam

do-

donatio (vt dictum est) donatio autem ad sui vigorem, & firmitatem postulat acceptationem, iam stante dicto errore, non apparet quomodo habita iurisdictio acceptata remaneat, atquè adeò nequit is cum tali errore validè absoluere.

66 Affirmant tamen quamplures DD. ex recentioribus, & meritò, nam in tali casu is Sacerdos, quamuis erret in titulo suæ potestatis, non tamen intendit absoluere cum intentione exclusiua veri tituli (vt hic supponimus) hoc est, non habet hanc intentionem, volo absoluere ex potestate, quam habeo ex tali titulo, non autèm ex potestate cuiuscunque alterius tituli, sic enim inualidè absolueret, nam in tali casu, cum ex titulo præsumpto non habeat talem potestatem, & intendat excludere potestatem fundatam in quocunque alio titulo, perinde est, ac si absolueret carens omni potestate, ac iurisdictione; at si absolutè intendat absoluere pœnitentē, omni scilicèt meliori modo, quo potest, sine vlla restrictione, cum ex hypotesi sit in ipsomet Confessario potestas ad absoluendum, vtiquè ex parte ipsius nihil deesse videtur ad validè absoluendum; tunc enim error ille in titulo nō destruet generalem illam volūtatem absoluendi quantùm poterit ex vì potestatis, quam habet, & consequenter ad illius exercitium se habebit solùm concomitanter, & per accidens. Auctor.

67 Exemplificatur, & confirmatur nostra opinio; sit Titius e. g. qui verum dominium habeat in aliquam gemmam, vt à suis parentibus sibi relictam (vt *Carolus Latius in Bull. Cruc.* eodem exemplo suprà allato vtamur) putaret tamen, se illam alio titulo possidere, ex domo amici v. g. quæsò iam, si illam animo liberali donaret Caio, eo meliori modo, quo posset, absque vlla restrictione, nonne valida esset talis donatio? secùs autem si cum restrictione ex solo tali titulo, nempe ex præsumpto, & non ex alio illam donaret: ita & in casu nostro, & similibus.

68 Ad rationem verò dubitandi in contrarium dico, in tali casu habitam iurisdictionem implicitè cognosci in illo alio titulo præsumpto, cum quo faciunt vnum morale, atq; adeò similiter implicitè acceptari, & consequenter etiā validè exerceri; imò etiam & licitè si omninò inuisibiliter talis Confessarius in actionem illam progrediatur.

DIFFICVLTAS XII.

An Sacerdos, qui reuera non est approbatus, sed communitèr existimatur approbatus, validè per Bullam absoluat?

69 PRæsens hæc Difficultas, magnà ex parte pendet ab illa generalissima difficultate, An sint valida gesta à Iudice tantùm putatiuo, habente iuris impedimentum. circà quam conueniunt DD. eam habere locum, quando Iudex iurisdictione caret ob aliquod impedimentum de solo iure humano, & ab humana voluntate tantùm dependens, non autem si iurisdictione careat ob aliquod impedimentum de iure naturali, vel diuino. Hoc posito.

70 Tripliciter casus iste in vniuersũ videtur contingere posse. & quidem primò, si Iudex ille putatiuus reuera habuerit aliquando verum titulum, quo tamen postea fuit occultè priuatus, itaut priuatio communiter ignoretur. Secundò, si etiam ab initio Titulus non fuit validus, sed tantùm coloratus, & præsumptus, ex eo quia quamuis collata fuerit à superiore iurisdictio, attamen ob aliquod impedimẽtum illius, cui communicatur, fuit inualida. Tertiò demùm, si nunquam à legitimo superiore neque verum, neque coloratum titulum habuit, sed seipsum intrusit, cum toto tamen hoc verus Iudex communiter existimatur.

71 Totidem similiter modis, prout facit ad rem nostram, casus propositus formari poterit. & quidem primò contingere potest, vt aliquis Sacerdos reuera ab Ordinario approbetur, & deinde ob aliquod occultum delictum occultè similiter reprobetur, hoc tamen non obstante, excipiat is confessiones, & pęnitentes bona fide putent, eum adhuc habere legitimam potestatem absoluendi. Secundò talis approbatio, siue licentia audiendi confessiones, initiò ei collata, potuit esse irrita, & nulla ob aliquod impedimentũ occultum. Tertiò demùm si quis sacerdos absque vlla licentia, neque vnquam approbatus intrudatur ad audiendas confessiones, communiter tamen verus, idoneus, ac legitimus Confessarius existimetur.

72 In omnibus igitur tribus positis casibus videndum erit, An valide is absolutionem impertiatur. & quidem hic de primo, & secundo casu differemus, de tertio autem, vt specialiorẽ habente difficultatem, in sequenti diff. commodiùs agemus. Potissima verò ratio dubitãdi pro parte negatiua est, quia valor cuiuscunq; actus necessariò pręsupponit iurisdictionem in eo, qui eum actum exercet, vt de se patet; in casibus autem positis non apparet, à quonam iurisdictionem habeat sacerdos ille, qui solùm habeat titulum coloratum, ac proinde inualidè absoluet.

73 Affirmant tamen *Sanch. l. 3. de mat. D. 22. n. 13. Sayrus l. 2. de excom. C. 2. Lessius l. 2. C. 29. d. 8. Herriq. l. 3. de pœn. C. 6. n. 2. Trull. l. 1. §. 7. C. 1. d. 4. n. 5. Bardi p. 2. tr. 5. C. 1. n. 152.* & cõmuniter DD. qui absolutè asserunt, gesta à Iudice tantùm putatiuo esse valida, etiam in foro interno conscientiæ (paucis quibusdam exceptis putantibus, gesta à Iudice tantùm putatiuo esse valida pro solo foro externo.) *Sanchez. Sayrus. Lessius. Herriq. Trullen. Bardi.*

74 Et meritò. probatur autem communiter, gesta à Iudice tantum putatiuo esse valida, saltem pro foro externo, ex *l. Barbarius ff. de Offic. Præt. & ex c. ad probandum de sent. & re iud.* in quo statuitur, gesta à Iudice publice excommunicato non valere, ergò à contrario sensu valebunt, si fuerit is occultè excommunicatus. Quod iure quidem optimo ita statutum est, aliter enim sequerentur multa scandala, maximaque inconuenientia, si semel detecto impedimento, deberent illius gesta rescindi. hęc eadem autẽ ratio maxime militat pro foro interno, nam si repetendæ essẽt omnes confessiones factæ corã Sacerdote, qui tantùm habuit titulum *Auctor.*

tulum coloratum, maxima similiter sequerentur scandala, summaque conscientiarum confusio, ac perturbatio; atquè adeò sicuti Principes sæculares satis rationabiliter propter bonum publicum statuerunt, valere pro foro externo gesta per talem Iudicem, multò sanè rationabiliùs, dicendum est, statuisse Ecclesiam hoc ipsum pro foro interno, ad sedandas conscientias fidelium.

75 Notant tamen hic communiter DD. supradictum errorē debere esse communem, saltem in tota illa cōmunitate, in qua fiunt actus, etiamsi in alia distāti communitate talis error non habeatur; vnde non sufficit, vt talis error sit in solo superiore, nam error solius Superioris nequit dici error communis, atq; adeò erit insufficiens ad dādam iurisdictionem. Hinc è contrà, si vnus, aut alter illius communitatis sciat impedimentum iuris, seu defectum iurisdictionis, & approbationis, cum tamen scientia vnius, aut alterius non tollat, quin tunc error dicatur adhùc communis, consequenter neque impediet collationē iurisdictionis ex titulo colorato, seu præsumpto prouenientem, vt meliùs infrà patebit.

76 Notant similiter DD. dictum communem errorem, necessariò acquisitum ad actuum valorem, non debere esse crassum, vel supinum, seu affectatum, sed probabilem, aut inuincibilem. & meritò, nam error crassus, affectatus, & huiusmodi in iure c. 2. *de constit.* æquiparatur sciētiæ. Adde, Ecclesiam ex quadā æquitate supplere defectum, qui in eo sacerdote inuenitur, eiq; approbationem, & iurisdictionem conferre intuitu bonæ fidei pœnitentium, in quibus nullam agnoscit culpam, dùm errore inuincibili laborant; at quando error est supinus, & crassus, vtique reperitur culpa in ipsis pœnitentibus, atque adeo cessat omnis ratio æquitatis.

77 Ad rationem autem dubitādi in contrarium Dico, iurisdictionem in eo casu conferri à Iure communi sic disponente ad vitanda scandala, & inconuenientia, prout visum est ex Iuribus citatis, & ex communi fere omnium DD. consensu; cū quo similiter asserimus, hoc ipsum etiam valere in eo casu, in quo impedimentum, seu defectus quamuis fuerit aliquando publicus, longo tamen temporis decursu iam ab hominū excidit memoria. An verò idem dicendum sit, quando quis absquè titulo colorato se intrudit ad audiendas confessiones, dicemus *Diff.* sequenti.

DIFFICVLTAS XIII.

An qui absquè vllo titulo colorato se instruit ad audiendas confessiones, validè absoluat si cōmuniter verus ac legitimus Confessarius existimetur?

78 NEgant *Caiet. in sum. V. absol. impedim. Lessus l. 2. C. 29. d. 8. n. 65. Fagund. de 2. præcep. Eccl. l. 7. C. 2. nu. 73. Sanch. l. 3. de mat. D. 22. n. 49. Valer. in diff. vtriusq; fori Diff. 7. Coninch. de pœn. D. 8. d. 8.* & alij, ex eo quia iura suprà allata n. 74. disponūt, gesta à Iudice tantùm putatiuo esse valida, quoties cum communi errore concurrit titulus *Caiet. Lessius. Fagund. Sanch. Valer. Coninb.*

colo-

coloratus, non autem quando nullus titulus habetur; atque adeo cum valor actuum talis Iudicis tantùm putatiui à dispositione iuris dependeat, vtiq; frustrà dispositionem ipsius iuris extendimus ad illum casum, de quo iura non loquuntur.

Sancius. Pontius. Morla. Bardi.

79 Affirmant tamen *Sancius in selec.D.44.n.3. Pontius l.5.de matr.C.20. Morla in empor. p.1. tit 11.q.2.n.3. Bardi p.2.tr.5.C.1. nu.157.* alijque, & meritò, nam quando adest communis error (modo suprà dicto à num.75.) etiamsi nullus præcesserit titulus à Superiore collatus, adhuc tamen viget illud ipsum motiuum, per quod à Iure disponitur, valere gesta ab eo, qui prędicto titulo caret, circa quem versatur communis error; ergo Confessarius intrusus, quamuis careat omni titulo præcedente, si tamen ex communi errore putetur verus, ac legitimus Cõfessarius, vtique validè absoluet. patet consequentia; antecedens verò, in quo est difficultas, probatur, nam motiuum, per quod iura disposuerunt, valida esse gesta, quando cum errore communi est titulus à superiore collatus, quamuis irritus, est vitare varia, ac multa inconuenientia, quæ alioqui orirentur: sed eadem inconuenientia oriuntur, ni similitèr validentur gesta à Iudice intruso, ergò &c. & per consequens Cõfessarius, qui absquè vllo titulo se intrudit ad excipiendas confessiones, validè absoluet, dummodò ex communi errore, verus, & legitimus Confessarius existimetur, prout dictum est.

Auctor.

80 Ex dictis patet ad rationem AA. in contrarium; non raro enim quod à lege communi dispositum est pro vno casu, ad alium similem casum extenditur, si vtrobiquè eadem militet ratio, seu motiuum, etiamsi lex nihil de altero casu expressè disponat. Sed videamus iam, An huiusmodi Confessarij absolutio sit valida etiam respectù pœnitentis, qui scit tituli defectum?

DIFFICVLTAS XIV.

An absolutio supradicti Confessarij tantùm præsumpti sit valida respectù etiam pœnitentis, qui scit tituli defectum?

81 Videntur cõmunitèr conueniret DD. Confessarium tantùm præsumptum, cõcurrente communi errore (modo supradicto) validè absoluere etiam pœnitentem illum, qui eius scit tituli defectum, si tantùm spectetur ipsius Confessarij iurisdictio. Et meritò, nam posito communi errore, Ecclesia (vt patet ex supradictis) ad vitanda scandala, & inconuenientia, dat tali Confessario in tali casu iurisdictionem; iam dicta notitia, seu scientia vnius, vel alterius de tituli defectu nõ tollit, quin error sit adhuc cõmunis, & consequentèr nequè tollet, seu impediet collationē dictæ iurisdictionis, atquè adeo, in casu posito, quantùm erit ex parte iurisdictionis istius Sacerdotis, valida erit absolutio.

82 Est igitur solùm aliqua *Difficultas*, An dicta absolutio possit esse valida etiam respectù dispositionis, & capacitatis talis pœnitentis. Et quidem affirmat *Sanch.l.3.de matr. D.22.nu. 47.* videlicet quando talis Confessarius *Sanch.*

fessarius est Parochus ipsius scientis defectum, & non habetur alius Confessarius, cui fiat confessio, atque necessarium est, vt pœnitens fateatur; ceterùm extrà hos casus, absolutè ait, peccare grauitèr subditos fatendo tali Confessario, quia tenentur eundem in occulto vitare, nihil autèm occultiùs, quàm forum sacramentale, atquè adeo talis confessio erit nulla ratione obicis, quem pœnitens apponit, nisi ob inuincibilem ignorantiam excusetur.

Pontius. Medin. Adrian. Bardi. 83 Absolutè autèm negant *Pontius l. 5. de matr. C. 19. Medina q. de multip. lic. Adrian. q. 5. de confess. Bardi p. 2. tr. 5. C. 1. n. 175.* alijque, & meritò, nam Confessarius dum scit, se carere iurisdictione fundatà in vero titulo, nequit absquè graui peccato confessiones excipere, & consequentèr dum pœnitens sciētèr fatetur tali Confessario, vtiquè cooperatur peccato illius, & necessariò per se loquendo, & sic obicem ponit absolutioni, ac proinde inualidum, ac nullum reddet sacramētum. Quod si pœnitens, quamuis cognoscat defectum iurisdictionis in tali Confessario, modo dicto, inuincibilitèr tamen putet, posse licitè, hoc non obstante, cū tali Confessario confiteri, tunc valida erit absolutio etiam secundùm ea, quæ se tenent ex parte ipsius pœnitentis, sed hoc erit valde per accidens.

Auctor.

84 Conditiones autèm, seu limitationes à *Sanchez* pro se allatæ, non videntur habere locū in presenti casu; nam si loquitur de necessitate in articulo, seu periculo mortis, tunc sanè quilibet sacerdos habet potestatē absoluendi in vero titulo fundatam, & non in titulo tantùm colorato, seu præsumpto: extrà autèm talem articulum, seu periculum mortis nequit assignari casus, in quo talis pœnitens possit licitè petere absolutionē sacramentalem à Confessario non habente iurisdictionem in vero titulo fundatam; nam ponamus non reperiri alium Confessarium in eo loco, in quo reperitur pœnitens, vtiquè poterit aliò proficisci, & confiteri; quod si nequeat aliò pœnitens proficisci, & præceptum confitendi non vrgeat, tunc sanè nulla habetur necessitas cōfitendi: si verò vrgeat, tunc putandum est, pœnitentem carere copià Confessarij, & sic tale præceptum non obligare.

85 Demùm, quæ dicta sunt de confessione facta Sacerdoti habenti titulum tantùm coloratum, valent similitèr pro confessione factà Sacerdoti, absque vllo titulo, intruso, concurrēte communi errore, ex suppositione tamen nostre opinionis nu. 79. allatæ.

DIFFICVLTAS XV.

An sicuti Ecclesia supplet defectum iurisdictionis in Sacerdote, si ex communi errore existimetur legitimus Confessarius, ita similitèr in operante ex probabili DD. opinione, si hæc reuera falsa sit?

86 Absolutè affirmant *Sanch. l. 3. mat. D. 22. n. 65. Lessius l. 2. C. 29. d. 8. n. 68. Herriq. l. 5. sum. C. 14. n. 4. Bonac. de sacr. D. 5. q. 7. p. 5. §. 4. n. 4. Reginal. l. 1. prax. n. 103. Filluc. tr. 2. C. 8. nu. 227.* & alij, quorum ratio est, quia

Sanch. Lessius. Herriq. Bonac. Reginald. Filluc.

quia non debet esse minùs potens ad inducēdam iurisdictionem opinio sapientum, quàm vulgi error: iam error vulgi est sufficiens ad hoc, vt Ecclesia suppleat defectum iurisdictionis (prout in superioribus Diffic. dictum est) ergò idem dicendum erit quando apud Doctos erit diuersitas opinionum, & opiniones contrariæ erunt absolutè ambæ probabiles.

Conimb. *Bresser.*

87 At *Conimb. de Sacr. D. 8. d. 6. n. 47. & Bresserius l. 3. de consc. C. 10. n. 14.* volunt id fieri tantùm posse; quando vrget aliqua necessitas recipiendi hoc sacramentum, & pœnitens nequit tunc habere alium Confessarium, qui certò habeat iurisdictionem.

Nuñus *Salas.* *Io. Sanc.* *Garzia.* *Bardi.*

98 Absolutè autèm negant *Nuñus in add. ad 3. p. q. 8. ar. 5. d. 1. Salas in 1. 2. to. 2. tr. 8. q. vnic. se. 27. n. 286. Io. Sancius in select. D. 44. n. 10. Garzia de Benef. p. 5. C. 4. n. 305. Bardi p. 2. tr. 5. C. 1. n. 187.* alijque, & meritò; nam si

Auctor.

Ecclesia supplet defectum iurisdictionis in Sacerdote, qui ex communi errore existimatur legitimus Confessarius, id quidem facit ex quadam iuris æquitate, quatenùs minimè cōsentaneum videtur, vt pœnitētes, qui ex errore inuincibili bonà fide processerunt, frustrētur beneficio absolutionis, & repetere cogantur cum magna animi perturbatione confessiones, si error detegatur; hoc autem non habet locum in præsenti casu, in quo dum ipse pœnitens cognoscit, iurisdictionē huius Confessarij fundari solùm in opinione probabili, cur non adit alium Confessarium habētem certam, & indubitatam iurisdictionem, à quo absoluatur? quod si hoc nolit, sed scientèr se exponit periculo irritandi hoc Sacramentum, si de facto inualidum fiat Sacramentum, sibi soli imputari debet, & ideo in tali casu non debet Ecclesia conferre iurisdictionem tali sacerdoti. In casu autèm, quo nequit haberi copia alterius Confessarij habentis certam, & indubitatam iurisdictionem, tunc non improbabilis videtur secunda opinio n. 87. allata.

89 Ex dictis patet ad paritatem AA. in contrarium n. 86. allatā, cur scilicèt communis error sufficiat ad hoc, vt Ecclesia, seu Ius supplere debeat defectum iurisdictionis in sacerdote, qui communitèr existimatur verus, & legitimus Confessarius, non autèm quando ex sola aliquorum Doctorum opinione existimatur talis, videlicet ex eo, quia error cōmunis nequit absolutè vinci, at dum est opinio, poterunt sic opinantes sibi prouidere de alio Confessario; imò si id commodè poterunt, non erit absolutè licitum sequi opinionem nequè probabilem, nequè probabiliorem, sed tutiorem, ac certam, ne se exponant periculo irritandi ipsum Sacramentum.

DIFFICVLTAS XVI.

An Sacerdos approbatus pro vno tantùm personarum genere, possit virtute Bullæ absolutè & absquè vlla restrictione in Confessarium eligi?

90 EPiscopi aliquandò, ex aliqua rationabili caussà, approbant Confessarios non abso-

absolutè, sed cum aliqua restrictione, v.g pro solis viris, & nō pro fœminis: seu pro vno tantū Oppido, nō autem pro reliquis locis Diecesis. querimus ergò in presenti, An approbatus pro solis viris, possit virtute bulle eligi etiam à feminis: similitèr, An approbatus pro vno tantum Oppido, sit etiam vi eiusdē bulle eligibilis in totà Diecesi.

Herriq. Fagund. 91 Affirmant absolutè *Herriq. l. 3. de pœn. C. 6. n. 8. Fagund præ. 2. Eccl. l. 7. C. 2. n. 45.* alijque, ex eo quia potestas hęc eligendi Cōfessarium est ex vna parte priuilegium fauorabile, & consequentèr non debet restringi; ex altera verò parte dum in bulla datur dicta potestas, solùm requiritur, vt Confessarius sit approbatus, non autem quod sit pro omnibus personis, aut pro omnibus locis approbatus, ergò &c. Adde, dictas restrictiones ad solas fœminas, vel ad aliquem determinatum locum, videntur se tenere ex parte collatę iurisdictionis, non autèm ex parte approbationis, ac proinde, quamuis iurisdictio ab Ordinario collata, fit modo dicto restricta, approbatio tamen erit absoluta, & consequentèr sufficiet ad hoc, vt talis Confessarius absolutè, & absquè vlla restrictione eligatur vi bullę, aut alterius similis priuilegij solam approbationē exigentis.

Rodriq. Fay. Diana. 92 Limitant dictam opinionem *Rodriq. tom. 1. sum. C. 60. num. 4. Fay in add. ad 3. p. S. T. q. 8. ar. 5. d. 3. concl. 4. Diana p. 1. tract. 11. res. 10.* & alij, ac volunt, non posse virtute bullę absolutè eligi Confessarium approbatum cum aliqua ex dictis limitationibus ex defectu scientię, secùs autem si restrictio fiat ex defectu ętatis, aut ex alia caussa.

93 Negāt tamen absolutè *Suar. de pœn. D. 28. se. 1. n. 3. Nuñus in add. ad 3 p. q. 8 ar. 5. d. 9. Alfons. de Leon de Iub. p. 2. q. 9. num. 20. Filluc. to. 1. tr. 1. C. 9. n. 261. Bardi p. 2. tr. 5. C. 1. n. 88.* alijque, & meritò, nam virtute bullę nequit eligi, nisi Confessarius approbatus ab Ordinario: iam Sacerdos approbatus v. g. pro solis viris, non est vtiquè approbatus pro fœminis, atquè adeò nequit à fœminis in Confessarium eligi; similiter approbatus pro vno tantùm Oppido, non est approbatus pro alijs Oppidis, & consequenter nequit ab his eligi. Suarez. Nuñus. Alfons. de Leon. Filluc. Bardi. Auctor.

94 Ad rationem in contrarium Dico, nullū priuilegium quamtumuis fauorabile posse extendi vltrà limites concessionis; iam approbatio, quę ad hoc in bulla requiritur, debet intelligi cum proportione accommoda, & correlatiuè, seu respectiuè, hoc est, vt Sacerdos sic eligendus, sit approbatus respectù illorū, à quibus vi eiusdem bullę erit eligendus: Sacerdos autem approbatus v. g. pro solis viris, non est approbatus pro fœminis, vt dixi, & sic nequit vi bullę à fœminis eligi; & idem dico de Sacerdote approbato pro vno tantùm Oppido in ordine ad reliqua Oppida.

95 Ad confirmationem verò nego, huiusmodi limitationes se teneri absolutè ex parte iurisdictionis ab Ordinario collatę, primò quia non est maior ratio, cur approbatio nequeat limitatè fieri, sicuti limitatè conceditur iurisdictio; secun-

dò quia defectus scientiæ primò, & per se arguit imperfectionem in subiecto, atq; adeò reddit illud similiter primò, & per se incapax omnimodæ approbationis, consequenter autem, & secundariò omnimodæ iurisdictionis; & idem dico de defectu ætatis, quæ licet per se loquendo, & ex natura sua non arguat imperfectionem in subiecto, arguit tamen ratione boni regiminis, quatenus dedecet iuuenem excipere confessiones mulierum. Tertiò demũ quando Episcopus approbat regulares pro solis viris, vel ob defectum ætatis; vel ob aliã caussam, vtiquè talis restrictio nequit esse circa iurisdictionẽ, nam hãc regulares habent immediatè à Sum. Pontifice (vt benè notat *Bardi ci. n. 92.*) ergò necessariò erit circa approbationem. An verò idem dicendum sit de restrictione circa tempus, dicetur Diff. sequenti.

DIFFICVLTAS XVII.

An Sacerdos sæcularis approbatus pro aliquo tempore determinato, sit per Bullam eligibilis etiam tali tempore transacto?

96 Conueniunt DD. Confessarium pro determinato tempore approbatum, v.g. pro solo anno, posse per accidens etiam eo anno transacto excipere confessiones, illas scilicet, quæ coram ipso inceptę fuerũt intrà dictum annum suę approbationis iuxtà supradicta *D. 1.* q. 3. Diff. 9. & 10. vel si concurrat titulus coloratus cum cõmuni errore iuxtà supradicta à n. 69. loquendo igitur per se, & extrà dictos casus per accidẽs, in quo sensu procedit præsens Difficultas.

97 Affirmãt *Acosta q. 39. & Fay in add. ad 3. p. q. 8. ar. 5. D. 5. concl.* 4. ex eo, quia putant, Confessarium expositum etiam ad tempus, esse ab Ordinario simplicitèr approbatum, proinde nisi ex caussa reprobetur, erit vi bullæ eligibilis; neq; bulla videtur requirere, vt Confessarius sit actu approbatus, quãdo eligitur, sed sufficit, vt semel fuerit approbatus: nam ita potest dici approbatus ab Ordinario, & præsertim si absq; vlla caussa fuerit ab Ordinario limitata approbatio. *Acosta. Fay.*

98 Negant tamèn *Pet. Ledes. to. 1. sum. tr. de conf. C. 13. d. 10. Bardi p. 2. tr. 5. C. 1. n. 87.* alijq; & meritò, nam Episcopus potest absolutè non approbare aliquem quamuis idoneum, cur igitur nequit ita approbare aliquem ad tempus, itaut eo tempore transacto nequeat is ampliùs in Confessarium eligi? Et confirmatur à pari, nam Episcopus dum reuocat approbationem, saltem ex iustà caussà, tunc nequit talis Confessarius audire ampliùs cõfessiones, ergò neq; poterit eas ampliùs audire trãsacto tempore approbationis; patet consequentia, nam in approbatione ad tempus cõtinetur implicitè reuocatio pro illo tunc, in quo finitur tempus approbationis, ergò vtrobiquè par est ratio. *Pet. Led. Bardi. Auctor.*

99 Ex quibus satis patet ad rationem AA. in contrariũ, præsertim quia non apparet, vndè expositus ad tempus, sit ex hoc præcisè, absolutè approbatus. Ad cõfirmationẽ autem, nego,

bullam

bullam non requirere, vt Confessarius sit actu approbatus, quando eligitur, alioqui vi bullæ posset in Confessarium eligi, qui olim fuit approbatus, etiãsi nunc inueniatur (saltem ex iustà causâ, reprobatus, quod est omninò falsum.

100 Vlteriùs tamen hic quæri potest, An limitatio ad tempus prout communitèr ab Episcopis apponitur in litteris patentibus, vi quarum datur potestas audiendi confessiones, cadat suprà approbationem, an verò suprà iurisdictionem?

101 Probabiliùs dicendum puto, dictam limitationem cadere suprà iurisdictionem, non autem supra approbationem; ita enim deduci videtur ex ipsismet litteris, in quibus sic dicitur: *Dilecto, &c. Vt in tota nostra Diœcesi Sacramentum pœnitentiæ ministrare possis, & valeas &c. Tibi prauio examine, idoneo reperto, & appnobato præsentium tenore licentiam ad annum concedimus; & impertimur.* quæ quidem verba, vt cõsideranti patebit, absolutè testantur de idoneitate talis Cõfessarij, & eodem modo consequentèr de approbatione: è contrà dicta limitatio ad annum cadit suprà licentiam, hæc verò se tenet ex parte iurisdictionis, & consequenter & ipsa limitatio se tenebit ex parte eiusdem iurisdictionis; ac proinde is, nisi positiuè reprobetur, saltem ex iustà causâ, poterit vi bullæ eligi, adhuc eo anno transacto. An verò possit similitèr eligi, si iniustè reprobetur, dicetur *Diffic.* sequenti. Adde limitationem ad tempus, vt sic, non arguere imperfectionem in subiecto, sicuti arguit limitatio ex defectu scientiæ, seu ætatis, & huiusmodi, prout suprà n. 95. dictum est.

DIFFICVLTAS XVIII.

An Sacerdos approbatus, si iniustè, & absquè vlla caussa reprobetur, possit adhùc virtute Bullæ in Confessarium eligi?

102 POsse Episcopum ex aliqua iustà caussa reprobare Confessarium iam approbatum vel à se, vel à suo prædecessore, patet, nam scientia, & mores, in quibus fundatur dicta approbatio, cum deficere possint, consequentèr & ipsa approbatio poterit auferri. Confirmatur etiam ex *c. Accepimus, de ætat. & qualit. ord.* vbi dicitur, ex noua caussa posse approbatum reprobari ad Beneficium, ergò similitèr ad audiendas confessiones. An verò absq; vlla caussa reprobari possit iam approbatus, patebit ex infrà dicendis. His ergò positis.

103 Conueniunt DD. confessarium ex iustà caussa reprobatũ, non esse ampliùs virtute bullæ eligibilem. & meritò, nam ex vna parte bulla requirit sacerdotem approbatum ad hoc, vt vi illius eligi possit: ex altera vero parte sacerdos reprobatus modo dicto, nequit dici ampliùs approbatus, & consequẽtèr durante tali reprobatione nequit ampliùs vi bullæ eligi. Similitèr si approbatio explicitè fuerit vsquè ad beneplacitum Episcopi, vtiquè poterit reuocari, nulla adhùc exi-

existente caussa reuocationis, & consequentèr neque is in tali casu poterit vi bullæ eligi, durante reuocatione dictæ approbationis.

104 Dubitatur ergò solùm, An sacerdos, qui absolutè fuit approbatus, si postea absque vlla caussa, & iniustè reprobetur, possit adhuc, hoc non obstantè, vi bullæ in Confessarium eligi? in quo quidem sensu similitèr.

Nuñus. Lud à cr. Io. la Cruz.

105 Negant *Nuñus in add. ad 3. p.8.ar.5.d.9. Lud. à Cruc.c.2.d.13. Io. la Cruz in direc.consc.p. 2.tr. de pœn.q.5.d.8.concl.4.* & alij, ex eo, quia intentio Episcopi approbantis Sacerdotem, videtur esse semper illum approbare ad sui beneplacitũ, atquè adeò non facit iniuriam Sacerdoti, cuius approbationem aufert, vel suspendit, quamuis absquè sufficienti caussa hoc facere nõ debeat, attamen si faciat, illicitè ad summum id faciet, ac proinde talis reuocatio erit similitèr ad summum illicita, non autem irrita, sed valida, & sic talis Sacerdos verè nõ erit ampliùs approbatus, & consequẽtèr non poterit ampliùs, durante ea reuocatione approbationis, virtute bullæ eligi; loquentes tamen de Sacerdotibus sæcularibus, nam de Regularibus absolutè hoc admittunt propter specialia illorum priuilegia, de quibus innuam aliqua infra Q. 3.

Acosta. Bardi. Auctor.

106 Absolutè tamèn affirmant *Acosta q.40. Bardi p.2.tr.5.C.1. n.100.* & meritò, nam huiusmodi approbatio, prout communitèr fit, non conceditur omninò ex pura, & mera beneuolentia Episcopi approbantis, sed concurrente etiam iustitia, præsuppositis scilicet ex parte Confessarij moribus, & scientia, & hoc in foro etiam iudicario, nempè in sui examine; atque adeo dum talis Confessarius se exposuit examini, vi cuius, iam iuris ordine seruato, fuit absolutè approbatus, vtiquè nisi se reddat illa indignum, semper retinebit suum ius ad approbationem, & consequentèr non poterit ea spoliari absquè iusta, & rationabili caussa, & si omninò iniustè, absquè scilicet vlla caussa illius approbatio reuocetur, non solùm illicitè, verum etiam inualidè reuocabitur, ac proinde adhuc reuera esset approbatus, & sic poterit adhuc vi bullæ eligi.

107 Ad rationem autèm in contrarium nego assumptum, primò quia quotiès verba cuiuslibet concessionis, seu priuilegij, vel legis sunt clara, nullumque ex illis sequitur inconueniens non est, cur interna concedentis intentio tam subtilitèr inuestigetur: iam si Episcopus exp reßè approbat aliquem absolutè, non video vnde nam debeamus asserere, non esse intentionem talis Episcopi approbare illum absolutè, sed tantùm ad beneplacitum. Secundò quia alitèr non daretur casus, in quo posset Episcopus approbare aliquem absolutè, quod non videtur ita facilè admittendum.

108 Quæri hic vlteriùs potest, An in dicto casu si non euidentèr cõstet de iniustitia, sed dubitatur iurene, an iniuria fuerit reuocata approbatio, possit is Sacerdos adhuc vi bullæ similitèr eligi?

109 Et quidem ratio dubitandi pro parte affirmatiua est, quia in dubijs melior est conditio

possi-

possidentis: in tali autem casu possidet Sacerdos, vt patet ex dictis, ac proinde nisi euidentèr constet, iurè reuocatã fuisse ab illo dictam approbationem, videtur posse adhuc virtute bullæ in Confessarium eligi.

110 Negat tamen *Acosta ci.* & meritò, nam Episcopi nunquã ex leui caussa reuocant huiusmodi approbationem; atque adeò dum illam reuocant, non nisi ex iustissima caussa reuocari existimandum est; quod si fortè leuem causam talis reuocationis assignent, satis quidem prudentèr, propter reuerentiã tãti Sacramenti, non caussa pro caussa in foro fori vtũtur. quarè nisi euidentèr cõstet, satis iniustè eã approbationẽ fuisse reuocàtam, semper præsumendum erit pro iudicio Episcopi, & consequentèr talis Sacerdos nõ poterit, stãnte tali reuocatione, vi bullæ eligi. ex quibus patet ad rationem dubitandi in contrarium, quæ in præsenti casu fallit propter rationem supradictam. *Acosta. Auctor.*

DIFFICVLTAS XIX.

An Doctor, vel Licentiatus in sacra Theologia, vel iure Canonico, possit vi Bullæ in Confessarium eligi, absque vlla Episcopi approbatione?

111 Affirmant *Medina, Banẽs, Gallus, Sebast. Perez, & Pet. Martinez apud Erriq. l. 6. C. 6. lit. E.* primò quia publica Academia, seu studiorum Vniuersitas vi priuilegiorum sibi à Sede Apostolica concessorum, examinat, & approbat huiusmodi Licẽtiatos nomine ipsius Apostolicæ Sedis, & consequẽtèr tales posito testimonio dictæ Academiæ, obtinent de iure approbationem, atquè adeò poterunt vi bullæ eligi. Secundò quia Tridentinum *sess. 23. C. 15.* postquam statuit, quod nullus Sacerdos possit audire confessiones sæcularium nisi sit ab Episcopis approbatus, addit: *aut aliàs idoneus iudicetur*, ergò vi bullæ, quæ Tridentino in hoc se omninò conformat, non solùm poterit in Confessarium eligi, qui ab Episcopo est approbatus, verùm etiã quilibet alius, qui idoneus iudicatus fuerit, & maximè publico alicuius Academiæ testimonio. *Medina. Bannes. Gallus. Perez. Trident.*

112 Negant tamen *Cordub. in sum. q. 10. & 16. Guttier. in quæst. canon. Menoch. l. 2. centur. 5. cas. 465. Palac. 4. d. 17. q. 7. Erriq. ci.* & reliqui communitèr DD. ac meritò, primò quia per bullam non datur facultas eligendi in Confessarium, nisi approbatum ab Ordinario; iam Doctor, seu Licentiatus, vt sic, non sunt sic, non sunt approbati ab Ordinario, ergò nequeunt vi bullæ eligi. Probatur secundò à priori, nã approbatio, seu idoneitas ad audiendas Confessiones non consistit in sola scientia, sed etiã & maximè in bonis moribus: per gradum autem Doctoratus solùm quis accipit, per se loquendo, approbationem scientiæ, nõ morum, ac proinde nisi accedat Ordinarij approbatio etiã quo ad mores, nullus absolutè poterit existimari idoneus ad audiẽdas cõfessiones. Dixi, *per se loquẽdo*, nã hodiè nõ desunt, qui nudo Doctoratus accidente glorientur, *Cordub. Guttiel. Menoch. Palac. Erriq. Auctor.*

rientur, absq; vllo (nouo quidem corrupti temporis miraculo) subiecto scientiarum.

113 Confirmatur etiam ex praxi, nã nullus vnquam Doctor, seù Licẽtiatus ausus est excipere sacramẽtalitèr confessiones absq; Episcoporum approbatione. Similitèr in omnibus Apostolicis litteris, in quibus committi solẽt dispensationes in foro cõscientiæ Doctoribus, vel huiusmodi Licentiatis, semper apponitur prædicta cõditio, nempè vt sint ab Ordinario approbati, ergò Sum. Pontifices supponunt, non satis esse gradum Doctoratus ad exercendum Confessarij munus, nisi etiam accedat Ordinarij approbatio. Demum Pius V. concessit olim mendicantium lectoribus graduatis in Theologia posse audire sæcularium confessiones, absquè alia Episcopi approbatione; quam cõcessionem postea idem Pius V. reuocauit an. 1571. expressè declarans, Regulares etiam graduatos, ac Lectores præsentandos esse Episcopo, quamuis vetet eos examinari; & sic patet, non sufficere gradum Doctoratus ad audiendas confessiones vi bullæ absquè Episcopi approbatione.

114 Ad primam autem AA. rationem in contrarium Dico, approbationem ab Academijs nomine Papæ collatam, esse tantùm secundùm quid respectù officij confessarij, quia est in sola doctrina, atquè adeo esse adhuc insufficientem vsquedum accedat Episcopi approbatio etiam quoad mores, vt dictum est.

115 Ad secundam verò rationẽ Dico, verba illa Tridentini, *Aut aliàs idoneus iudicetur*, non referri ad potestatem audiendi confessiones, vt falsò AA. opinantur, sed ad solum examen; docet enim Tridentinum, Confessarios non solùm ab Episcopis approbandos esse, sed etiã præuio examine esse approbãdos, nisi quis *aliàs idoneus iudicetur*, hoc est (vt legenti textum patebit) non esse necessarium examen, vt ab Episcopo approbetur is, qui aliundè idoneus ad hoc iudicatur.

DIFFICVLTAS XX.

An approbatus à proprio Ordinario possit vi Bullæ vbiquè in Confessarium eligi?

116 Approbet ad audiẽdas cõfessiones e.g. Archiepiscopus Panormitanus aliquem suum subditũ, qui deinde adeat v.g. Messanam; quærimus nunc in tali casu, An is possit Messanæ audire confessiones vi bullæ, absquè vlla Archiepiscopi Messanensis approbatione.

117 Negant Rodriq. §. 9. d. 2. Guttier. l. 1. quæs. can. C. 27. n. 6. Villalob to. 1. tr. 9. du. 56. n. 3. Lopez instruc. 20. C. 8. Syluius in 3. p. q. 8. de pœn. ar. 5. & alij requirentes ad hoc approbationem ab ordinario ipsius pœnitentis habitam, vel loci, in quo fit cõfessio, ex eo quia in vna Diœcesi interdum est necessaria maior scientia, ac prudentia, quàm in alia, spectatis moribus, & consuetudinibus hominum, ac proinde ad Episcopum, qui est talium fidelium Pastor, spectat iudicare de habilitate Cõfessarij tam quoad proprios subditos, quam quoad locum, in quo fit confessio. *Rodriq. Guttier. Villalob. Syluius.*

Affir-

118 Affirmant tamen *Coninb. de sacr. D. 8. d. 7. n. 53. Reginal. in prax. to. 1. l. 6. C. 16. q. 4. n. 188. Io. la Cruz in direc. p. 2. tr. de pœn. q. 5. d. 9 concl. 2. Filluc. to. 1. tr. 7. C. 9. n. 262. Valerus in diff. vtriusq. for. V. absol. diff. 1. n. 7.* alijq; & meritò, nam ex vna parte Confessarius à suo proprio Ordinario approbatus, verè, & in omni rigore est approbatus; ex altera verò parte bulla non requirit, nisi vt Confessarius vi ipsius eligendus sit approbatus, ergò non est, cur Confessarius à suo proprio Ordinario approbatus nequeat vi bullæ absolutè eligi, atquè adeo ab omnibus per eandem bullam priuilegiatis. *Coninb. Reginald. Io la Cruz. Filluc. Valer. Auctor.*

119 Ad rationem autèm AA. in contrarium Dico, nos hic loqui de approbato simplicitèr, & absolutè, quo modo non approbatur, nisi qui ad soluendos casus etiam difficillimos idoneus reputatur, vel saltem sciat in aliquibus extraordinarijs, ac valde difficilibus casibus Doctores consulere, & sic prudenter tandem ab illis se extricare; ac proinde nihil refert, positâ dictâ Confessarij sufficiētiâ, quod interdum in vna Diœcesi sit necessaria maior scientia, ac prudentia, quàm in alia.

120 Hinc de approbato secundùm quid, non quidem ex defectu scientiæ, sed tantùm ex defectu ætatis, idem cum proportione accõmoda, dicendum puto; quarè approbatus à suo Ordinario pro solis viris ex solo defectu ætatis, poterit vbiq; vi bullæ à quibuslibet viris eligi, non autem à fœminis, iuxtà dicta à n. 93. vsquedū nō reuocetur dicta approbatio, vel per positiuam reprobationem, vel transacto tempore durationis habitæ.

121 Maior autē Difficultas est, An approbatio à quolibet Ordinario sufficiat ad hoc, vt quis possit virtute bullæ in Confessarium à quolibet eligi, eo modo ac de approbato à proprio Ordinario dictum est, pro quo sit.

DIFFICVLTAS XXI.

An cuiuscunque Ordinarij approbatio sufficiat ad hoc, vt quis possit vi Bullæ in Confessarium eligi?

122 NEgant *Suar. to. 4. D. 28. se. 6. n. 6. Bonac. de pœn. D. 5. q. 1. p. 6. n. 15. Fagund. in 2. præc. Ec. l. 7. C. 2. n. 92. Trullen. l. 1. §. 7. C. 1. Bardi p. 2. tr. 5. C. 1. n. 26.* & alij volentes, solius Ordinarij confessarij approbationem ad hoc sufficere ex eo, quia approbare, aiunt, est actus iurisdictionis, & consequentèr spectare debet ad illum Episcopum qui habet iurisdictionem in Confessarium approbandum. quam opinionem confirmant aliquibus Sacræ Cõgregationis declarationibus. *Suar. Bonac. Fagund. Trullen. Bardi.*

123 Affirmant tamen *Herriq. l. 3. de pœn. C. 6. n. 7. Portell. in dub. reg. V. Confess. n. 4. Pet. Ledesm. to. 1. sum. de pœn. C. 13. d. 7. Viuald. in Cãdel. C. de Cõf. n. 21. Gomez clau. 10. n. 8. Nuñus in add. ad 3. p. S. T. to. 2. q. 8. ar. 5. d. 9.* alijque, & meritò, nam ex vna parte Bulla hic non exigit nisi approbatum ab Ordinario vt sic, hoc est, non exigit determinatè approbationem potiùs huius Ordinarij, quàm alterius, sed absolutè, vt patet: ex altera verò parte approbatus à quocunque Ordinario, quamuis talis approbatio *Herriq. Portell. Pe. Ledes. Viuald. Gomez. Nuñus Auctor.*

prout

prout importat simul, & collationem iurisdictionis, restringatur, & coarctetur ad oues proprias ipsius Ordinarij approbantis, attamen prout non includit collationem iurisdictionis, ac nudè sumpta (prout in præsenti sumi debet) non est cur is non dicatur verè, & in omni rigore ab Ordinario approbatus, non solùm quoad oues proprias Ordinarij approbantis, sed simpliciter, & absolutè, ac proinde poterit vi bullæ, aut alterius similis priuilegij solam Ordinarij approbationem vt sic, & simplicitèr exigentis, in Confessarium absolutè eligi; & præsertim quia priuilegium hoc eligendi Confessarium est fauorabile, iuxtà dicta in D. 1. Q. 1. Diff. 2. ergò potius est ampliandum, quàm restringendum.

124 Confirmatur, nam si in bulla nomine Ordinarij non veniret quilibet Ordinarius, sed tãtùm proprius, vtiquè nullum per bullam concederetur priuilegium circa Cõfessarij electionem, nam præscindẽdo à bulla, vel alio simili priuilegio nequit eligi nisi Confessarius Ordinarius, vel à proprio Ordinario approbatus, at non videtur asserendum per bullam nullum dari priuilegium circa Confessarij electionem.

125 Sum. igitùr Pontifex nihil aliud videtur requirere ad hoc vt ipsemet immediatè vi bullæ conferat alicui Sacerdoti iurisdictionem ad excipiendas Confessiones, nisi authenticum de idoneitate talis Confessarij testimonium cuiusuis illorũ, quorum sedulitati, ac vigilãtiæ cõmittitur Christi grex pabulo Sacramentorum pascendus, sumemumq; in Ordine Ecclesiastico sortiuntur dignitatis locũ, cuiusmodi est dignitas Episcopalis; sicuti in rebus ciuilibus ad hoc, vt Princeps conferat alicui iudiciariam potestatem, solùm requiritur, per se loquẽdo, vt is a qualibet Academia gradum Doctoratus, & consequentèr authenticum testimonium de ipsius sciẽtia obtinuerit. *Dixi*, per se loquendo, ex eo quia in aliquibus locis extãt particulares constitutiones, seu consuetudines in contrarium.

126 Ad rationem autèm AA. in contrarium concedo, approbare esse actum iurisdictionis, quotiès approbatio importat simul & collationem iurisdictionis ad excipiendas Confessiones, at nego, quotiès approbatio importat tantùm purum testimonium Ordinarij approbantis, ac testantis de idoneitate talis Confessarij, in quo sensu hic loquimur. Addunt aliqui (nec immeritò) quod sacerdos dum voluntariè se exponit examini, iam exercitè se subdit iurisdictioni Ordinarij approbãtis, quod ad hoc satis videtur. Quod autem possit Episcopus approbare aliquem absquè eo, quod ei conferat iurisdictionẽ ad audiendas confessiones, satis patet ex supradictis in Diff. 2. num. 13.

127 Ad declarationes verò Sacræ Congregationis, quæ ab AA. contrà nostram opinionẽ circumferuntur, similitèr Dico, illas intelligi debere de approbatione includente simul & collationem iurisdictionis ad Cõfessiones audiendas. neq; omninò gratis hoc asserimus, nam Sacra Congregatio in hac materia loquitur iuxtà Tridentini sensum

sensum *sess. 23. c. 15. ci.* vbi dum Tridentinum decernit, neminem posse secularium confessiones audire, nisi approbatum ab Episcopis, vltrò quidem cōcedo, intelligi debere de proprijs Episcopis: at approbatio ista, de qua Trid. loquitur, non est simplex, ac purum testimonium de idoneitate Confessarij (in quo sensu in presenti loquimur) sed simul inuoluit & collationem iurisdictionis ad audiendas confessiones; patet, nā Episcopus quantumuis approbet suum subditum ad audiendas Confessiones, nisi tamen simul eidem conferat ad hoc iurisdictionem, vtiquè is adhuc nequibit, de iure communi, confessiones audire, neq; ouiū ipsius Episcopi approbantis; ergo Tridentinum loquitur de approbatione prout inuoluit simul & collationem iurisdictionis, & consequentèr etiam & ipsa Sacra Congregatio. Addo, non authenticè constare de his Sacre Congregationis declarationibus.

128 Approbatus igitùr à quolibet Ordinario poterit virtute bulle, vel alterius similis priuilegij, confessiones cuiuslibet audire, semper tamen proportione accōmodà seruatà, prout suprà dictum est n. 120. Restat solum hic videre, An idem dicendū sit de approbatione habità ab Ordinario excommunicato, vel suspenso, vel alio canonico impedimēto affecto; pro quo sit.



DIFFICVLTAS XXII.

An approbatio concessa ab Episcopo excommunicato, vel suspenso, &c. sit sufficiens ad hoc, vt quis possit vi Bulla eligi?

129 NEgant *Suar. to. 5. in 3. p. de cens. D. 14. se. 1 nu. 1.* *Coninb. de excom D. 14. d. 10. nu. 99. Bardi p. 2. tr. 5. C. 1. n. 144.* & alij, ex eo quia putant, quod approbare sit actus iurisdictionis; atquè adeò nequit haberi ab excommunicato non tolerato (de quo procedit proposita Difficultas) vel à suspenso, & huiusmodi. patet consequentia, nam excommunicatus non toleratus, vel suspensus, & huiusmodi vtiquè omni iurisdictione caret, ergò &c. *Suar.* *Coninb.* *Bardi.*

130 Affirmant tamen *Fagund. de prec. Eccl. l. 7. C. 2 n. 49.* alijque, & meritò, nam concedo, quod approbare sit actus iurisdictionis, quoties approbatio importat simul & collationem iurisdictionis ad audiendas Confessiones & consequenter in eodem sensu similiter concedo, non posse Episcopum excommunicatum non toleratum, seu suspensum, &c. approbare sacerdotem ad audiendas confessiones, cùm talis Episcopus omni iurisdictione careat; at nego, quod approbare sit actus iurisdictionis, quoties approbatio nullam importat collationem iurisdictionis, sed tantū importat purū, ac nudū testimoniū de idoneitate talis Cōfessarij ad confessiones audiendas, & consequenter in eodem sensu similiter nego, non posse Episcopum excommunicatum adhuc *Fagund.* *Auctor.*

adhuc nō toleratū, seu suspēsū &c. approbare sacerdotē ad audiendas confessiones; in quo similitèr sensu procedit pręsens difficultas. Ex quibus satis patet ad rationem AA. in contrariū, quidquid dicat *Bardi lo. ci.*

31 Atquè hæc satis sint circa potestatem eligendi confessarium vi bullæ veluti in communi; restat nunc solùm inquirere circa eandem eligibilitatem quoad Parochos, & Regulares, circa quas personas, cū speciales aliquæ difficultates occurrant, ideò de ijs distinctè, breuiùs tamen, duabus sequentibus quæstionibus dicemus.

QVÆSTIO II.

De Eligibilitate Parochi in Confessarium vi Bullæ Cruciatæ.

AGemus in præsenti de ijs solùm, quæ specialitèr, ac per se spectant ad Parochum in ordine ad illius eligibilitatem in Confessarium vi bullę Cruciatæ, nā de ijs, quæ Parochus communia habet in hoc cum simplicibus Confessarijs, in superiore Quæstione satis dictum est.

DIFFICVLTAS I.

Quinam veniant sub nomine Parochi?

1 COnueniunt DD. sub nomine Parochi venire nō solum ij, qui communitèr Parochi dicuntur, sed etiam Archipresbyteri, qui in aliquibus locis sunt digniores Parochi; similitèr Episcopi, & Archiepiscopi, qui absolutè sunt supremi Parochi, Abbates, ac reliqui omnes habentes Beneficium cum iurisdictione ordinaria in foro externo. & meritò, cum de istis omnibus vna, & eadem militet ratio, nempè cura animarum, quæ eo ipso, quod ipsis committitur, sufficientèr approbati per Tridentinum iudicantur.

2 Controuertitur ergò solùm, An Prælati Regulares sub dicto nomine Parochi comprehendantur. & quidem affirmant *Herriq. l. 7. de pænit. C. 6. Valerus diff. 5.* alijque pauci; quorum ratio est, quia etiam Pręlati regulares in proprijs Monasterijs videntur se habere ac alij Parochi in propria parochia, & ideo non indigent alia approbatione. *Herriq.* *Valerus.*

3 Negant tamen *Rodriq. §. 9. d. 1. Lugo de pæn. D. 21. se. 1. nu. 10. Bardi p. 2. tr. 5. C. 2. n. 6.* alijque communitèr DD. & meritò, nam Parochi quamuis possint, non tamen tenentur suam iurisdictionem alijs delegare, sed ordinariè loquendo, possunt velle per se audire suarum ouium confessiones; at Prælati Regulares nequeunt cogere subditos, vt ipsis confiteantur, sed tenentur alijs suam iurisdictionem delegare, ergò non sunt propriè Parochi, atquè adeò potiùs eis incumbit regimen spirituale circà subditos, quàm sacramentorum administratio; & quamuis habeant iurisdictionem ordinariam, non ideò tamen dici possunt habere Beneficium, eo quia nō habent ius faciendi fructus suos, vel eos in suā vtilitatē conuertendi, vndè *Rodriq.* *Lugo.* *Bardi.* *Auctor.*

potiùs

potiùs dicuntur habere officiũ ecclesiasticum, quàm Beneficiũ, & ideo non tenentur vt Prælati recitare Horas canonicas, sicuti tenentur Parochi, vt Parochi.

4 Iam, circa Parochos propriè dictos, tria in præsenti quæremus, Primò, An Parochus possit vi bullæ in Confessarium eligi, absq; alia Ordinarij approbatione. Secũdò, An Parochus possit vi bullæ vbiquè eligi. ac Tertiò, An Parochus amittens, vel renuncians Beneficium; possit adhuc vi bullæ in Confessarium eligi.

DIFFICVLTAS II.

An Parochus possit vi Bullæ in Confessarium eligi, absquè alia Ordinarij approbatione?

Nuñus. Guttier. 5 NEgant *Nuñus in add. ad 3. p. to. 2. q. 8. ar. 5. d. 9. Guttier. in qq. can. l. 1. C. 27. num. 21.* ex eo, quia in bulla datur facultas eligendi eos, qui sunt ab Ordinario approbati, & nulla fit mentio de ijs, qui beneficiũ parochiale obtinent, & sic nequeunt Parochi vi bullæ eligi.

Suarez. Valerus. Reginal. Fagund. Villuc. Bardi. 6 Affirmant tamen *Suar. to. 4. in 3. p. D. 28. se. 4. n. 18. Valerus in diff. vtriusq. fori V. Absol. diff. 1. n. 16. Reginal. to. 1. l 1. C. 26. q. 3. n 189. Fagund. de præc. Eccl. tr. 2. l. 7. C. 2. n. 35. Villuc. to. 1. tr. 7. C. 9. n. 257. Bardi p. 2. tr. 5. C. 2. n. 9.* & communiter DD. & meritò, *Auctor.* nam ex vna parte, qui approbatur ad habendum beneficiũ Parochiale, principalitèr, ac primariò approbatur ad confessiones sacramẽtalitèr excipiẽdas, quatenùs hoc est præcipuũ Parochi munus: ex altera verò parte, ad beneficiũ Parochiale nõ approbat nisi vel Episcopus, vel sede vacante Capitulum, vel Sum. Pontificis Legatus, aut Nuntius, vel demum ipsemet Sum. Pontifex, & hi quidem omnes verè, ac propriè veniũt sub Ordinarij nomine, atq; adeò Parochus verè, ac propriè dicitur ab Ordinario approbatus ad Confessiones audiendas, & consequentèr absolutè poterit vi bullæ in Confessarium eligi.

7 Ex quibus satis patet ad rationes AA. incontrarium; nam quamuis in bulla non fiat explicita mentio de Parochis, de illis tamen satis fit mentio, dum conceditur facultas vniuersalitèr eligendi approbatum ab Ordinario; Parochi enim iam ab Ordinario approbati inueniuntur (vt dictum est) imò approbatio ad hoc Parochorum est eminentior, ac dignior, quàm reliquorum simplicium Confessariorum, vt de se patet, & consequentèr multò magis poterunt Parochi in Confessarios eligi, quàm reliqui simplices Confessarij, & quidẽ absq; vlla alia Ordinarij approbatione, sed sufficientèr ex sua prima ad Beneficium Parochiale approbatione. Sed videamus nunc, An Parochus possit similitèr vi bullæ vbiq; in Confessarium eligi. pro quo sit.

DIFFICVLTAS III.

An Parochus possit vi Bullæ vbiquè in Confessarium eligi?

8 NEgat *Guttier. in qq. can. l. 1. C. 27. n. 22.* qui cum putet, non posse Parochum, vi bullæ eligi absq, alia Ordinarij approbatione (vt suprà n. 5. dictũ est) *Guttier.*

consequentèr hic negat posse vbiquè vi bullæ vbique eligi. Quod confirmat quadam Sacræ Congregationis declaratione, qua statuitur, Parochum non censeri vbiquè idoneum.

Suar. Trullen. Bardi. Auctor.

9 Affirmant tamen *Suar.tom 4. in 3.p.D.28.se.4.nu.18. Trullen. l.1.§.7.C.1.d.4.n.3.Bardi p.2. tr. 5.C.2.n.14.* alijque, & meritò, nam si simplex Sacerdos ex vi simplicis approbationis Ordinarij potest vi bullæ in Confessarium vbiq,eligi (vt suprà Q.1. Diff 20.& 21. dictum est) sanè multo magis vi eiusdem bullæ poterit similitèr Parochus vbiquè in Confessarium eligi; nam Parochus est approbatur à iure communi,seu à iure Pontificio, quod est superius iure Episcopali.

10 Ad declarationem autèm Sacræ Congregationis Dico,eam loqui de Parochi iurisdictione, quod vltrò concedimus, non autem de eius approbatione, de qua sola hucusquè loquuti sumus. Adde,de tali declaratione nobis authenticè non constare. Solùm ergò hic videre restat, An Parochus amittens, vel renuntians beneficium possit adhuc vi bullæ similitèr in Confessarium eligi; pro quo sit.

DIFFICVLTAS IV.

An Parochus amittens, vel renuntians Beneficium possit adhùc vi bullæ similitèr in Cõfessarium eligi?

Suar. Herriq. Fagund. Bardi.

11 NEgant *Suar.D.28.ci.se.4. n.20.Herriq.l.6.C.6.n.3. Fagund.tr.2.l.7.C.2.n.38. Bardi p.2.tr.5.C.2.n.28.*& alij quorum ratio est,quia *Trid.sess.23.C.15.* absolutè ait, non esse idoneum ad audiendas sæcularium confessiones, nisi qui Parochiale beneficium habet: non enim dixit, Habuit, vel Habebat, ergò &c.

12 Affirmant tamen *Rodriq. in add.§.9.n.4.Villalob.to.1.sum.tr. 27.concl.9.§.1.n.4.* & alij quorũ ratio est, quia Parochus ex vna parte est approbatus ab Ordinario, imo à iure communi,seu ab Ecclesia; ex alterà verò parte per renũciationem, seu amissionem etiam per litem Beneficij Parochialis, quamuis tollatur ei iurisdictio,nequaquàm tollitur approbatio: probatur, nam is qu muis approbetur intuitu talis Beneficij, attamen priùs approbatur, quàm illi conferatur de facto Beneficiũ, atq; adeò actualis possessio beneficij est quid extrinsecum in ordine ad approbationem, & consequentèr etiamsi illud renunciet, vel amittat, semper tamen remanebit approbatus, & sic poterit adhuc vi bullæ in Confessarium eligi.

13 Medià tamen vià hic incedendum puto. & quidem si Parochus spontè Beneficium renunciat, seu per litem illud amittit, sanè cum neutrum ex his vllam arguat imperfectionem in subiecto, consequentèr non apparet, vndè habita approbatione expolietur, ac proinde se habebit, ac si post habitam approbationem, nunquam tale Beneficium adijsset, prout benè probat secunda opinio affirmatiua. esto in vtroque casu amittat iurisdictionem,quæ necessariò est connexa cum actuali possessione beneficij Parochialis,ac proindè in vtroq;casu non est idoneus ad audiẽdas Auctor.

sæcu-

sæcularium confessiones de Iure communi, exigente non solùm approbationem, sed etiã iurisdictionem, in quo sensu loquitur Trid. ci. erit tamen idoneus vi bullæ exigentis solam Ordinarij approbationem.

14 E contrà vero, siquis Parochiali Beneficio expolietur vel ex aliquo patrato delicto, vel quia insufficiens, ac ineptus ad tale munus inuenitur, tunc sanè in vtroque casu non solùm iurisdictionem amittet, sed etiam approbationem, & consequentèr in neutro ex his casibus poterit adhuc vi bullæ in Confessarium eligi; & quidem absolutè, si Beneficio absolutè priuetur, vel solùm ad tempus, si à Beneficio solùm ad tempus suspendatur. Ratio autem est, quia approbatio, de qua hucusque loquuti sumus, fundatur indiuisibiliter tàm in bonis moribus, quàm in sufficientia, atque adeo vel boni mores amittantur, vel sufficientia deficiat, etiam & ipsa corruptio & approbatio; & sic siuè ex delicto, siuè ex insufficientia priuetur Beneficio, vtiquè in vtroque casu eum reprobari, censendũ est. Sed age iam Difficultates, quæ circa eligibilitatem regularium vi eiusdem bullæ oriuntur, aggrediamur?

QVÆSTIO III.

De Eligibilitate Regularium in Confessarios vi Bullæ Cruciatæ.

MVlta, ac varia Priuilegia Regularibus concessa, non nullas circà hanc eligibilitatem vi bullæ pariunt Difficultates, de quibus in præsenti Quæstione breuitèr dicemus.

DIFFICVLTAS I.

An Prælati Religionum possint vi Bulla in Confessarios eligi, absque alia Ordinarij approbatione?

1 AFfirmant *Erriq. l. 6. C. 6. Valerus in diff. vtriusq; for. diff. 5. Gallegus C. 9. d. 84.* Et alij; quorum ratio est, quia ex vna parte Parochi (vt diximus Q. superiori n. 6.) possunt vi bullæ in Confessarios eligi, absque alia Ordinarij approbatione: ex altera verò parte Prælati Religionum æquiparantur Parochis, ergò æquè ac Parochi poterunt similiter vi eiusdem bullæ in Confessarios hi eligi, absque alia Ordinarij approbatione. Et idem asserunt de eorum Vicarijs. *Erriq. Valerus. Gallegus*

2 Negant tamen *Rodriq. S. 9. d. 1. n. 4. Fagund. pr. 2. Eccl. l. 2. C. 2. n. 39. Lud. à Cruc. D. 1. C. 2. d. 11. n. 8. Filluc. to. 1. tr. 8. n. 275. Lugo de pæn. D. 21. se. 1. n. 10. Mendus D. 22. C. 2. n. 30.* & communitèr DD. & meritò, nam de Iure nouo *Trid. ses. 23. C. 15. ci.* nemo absolutè potest sæcularium cõfessiones audire, nisi qui Beneficium Parochiale habet, vel ab Episcopis ad hoc approbatur. Iam Prælati Religionum, quamuis in aliquo æquirentur Parochis, quatenùs scilicèt ex vi habitæ Prælaturæ eo ipso cõsequuntur in proprios subditos ordinariam iurisdictionem, eamque consequentèr possunt alijs delegare, cum toto tamen hoc nequaquam dicuntur habere *Rodriq. Fagund. Lud à cr. Filluc. Lugo. Mendus. Auctor.*

bere Beneficiũ Parochiale, sed tantùm Ecclesiasticum Officiũ (vt supra n. *3*. etiam dictum est) inquantum non habent ius faciendi fructus suos, atque adeo nisi ab Episcopis approbentur, non habent, vnde possint à sæcularibus in Confessarios eligi. Ex quibus patet ad rationem AA. in contrarium.

DIFFICVLTAS II.

An Religiosus, qui à proprio Superiore præsentatur Episcopo, vt ab eo approbetur ad audiendas sæcularium confessiones, si iniustè reprobetur, possit vi Bullæ eligi?

Nauarr. Herriq. Fagund. Layman. Bauny. 3 AFfirmant *Nauar. in sum. n.264. Herriq. l.3. de pœn. C.6. n.6. Fagũd. in 2. præcep. Eccl. l.6. C.2. n.15. Layman. de pœn. tr. 6. C.11. n.4. Bauny de pœn. q. 11.* & alij, quorum opinio fundatur solùm in priuilegijs, quæ habent Mendicantes, alijque Regulares per communicationẽ, vt est priuilegiũ in *Clement. Dudum, de sepul.* & in *Extrau. super cathedram*; quæ quidem priuilegia dicti DD. putant, non esse per Tridentinum abrogata, ex eo cum sint recepta à duobus œcumenicis Concilijs, & in corpore iuris inserta, habent vim legis conciliaris, ac proinde non intelliguntur per verba generalia derogatoria derogari, nisi fiat de illis specialis mentio.

Suarez. Vasquez Io. Sanc. Bardi. 4 Negant tamen *Suar. de pœn. D.28. se.5. n.13. Vasq. in 3. p. to. 4. q.93. ar.3. d.3. n.2 Io. Sanc. D.49. à n.16. Bardi p.2. tr.5.* C, 2. *n.* 29. alijque, & meritò, nam Tridẽtinum *se. ci.* absolutè, ac vniuersaliter statuit, non obstantibus Priuilegijs, & cõsuetudine quacunq; etiam immemorabili, neminẽ neq; regularẽ esse idoneũ ad audiendas sæculariũ confessiones, nisi qui vel beneficium Parochiale habet, vel ab Episcopis approbatur, ergò Regularis quantumuis præsentetur Ordinario, nisi tamẽ ab eodem de facto approbetur, nequit absolutè à sæcularibus in confessarium eligi. *Auctor.*

5 Quod autem per hoc generale Tridentini Decretum abrogentur quoad hoc dicta Regularium priuilegia (in quo sanè sita est Difficultas) probatur, nam Tridentinum dum signantèr ait, nullum *etiam regularem* esse idoneum &c. vtiquè apertè ostendit, se velle subijcere huic suo nouo Decreto etiam regulares, & consequenter eorumdem priuilegijs quoad hoc derogare. Præterea, dum Concilium ait, *nullum etiam regularẽ esse idoneum &c. non obstantibus priuilegijs &c.* quæso quidnam aliud requiritur ad hoc, vt de Regulariũ priuilegijs expressa fiat mentio?

6 Sed adhuc dato, Tridentinum non fecisse specialem mẽtionem de dictis Regularium priuilegijs, non inde tamen sequitur, non sufficienter ea derogari per verba generalia derogatoria, nam quamuis dem, specialem requiri mentionẽ ad deroganda priuilegia onerosa, absolutè tamen nego, eam necessariò requiri ad deroganda priuilegia omninò gratis concessa, qualia sunt huiusmodi regularium priuilegia, quæ cùm totaliter pendeant nõ solùm in fieri,

fieri, sed etiam in conseruari à sola Principis voluntate, consequentèr eo ipso, quod innotescit voluntas Principis reuocantis, siue per verba specialia, siue generalia, statim cessare debent.

7 Ex eo autem, quod dicta priuilegia sint inserta in corpore Iuris, non sequitur, quod habeant aliquid speciale supra ipsum ius commune, sed ad summum se habent sicut & ipsum Ius commune, hoc autem per aliud nouum ius per verba generalia adhuc abrogari potest, ergò similiter & ipsa priuilegia.

DIFFICVLTAS III.

An Episcopus possit iterum examinare, & reprobare Regulares, quos ipsemet approbauit?

8 COnueniunt DD. posse Episcopum ex iusta, ac noua caussa iterum examinare Regularem ab ipsomet, etiam præuio examine, approbatum, & consequentèr etiam posse eundem reprobare, non solùm validè, sed etiam licitè, vt si inuenerit illum notabilitèr defecisse ab illa scientia, quam tẽpore approbationis habebat, vel si cognouerit, eum prauis moribus effectum esse scandalosũ. & meritò, ita enim clarè insinuatur in Breui Vrbani VIII. edito die 30. Ianuarij 1629. vbi Põtifex loquens de Regularibus iam approbatis, sic ait: *Nullatenus posse reprobari sine noua caussa eaque confessiones ipsas concernente*, ac proinde si caussa spectans ad administrationem huius Sacramẽti occurrat, poterunt absolutè reprobari.

9 Controuertitur ergò solùm, An Episcopus absque vlla caussa possit iterum examinare, & reprobare Regulares, quos ipsemet approbauit, in quo etiam sensu Affirmant *Isambert in 3. p. S. T. to. 3. D. 21. de pœn. ar. 4.* nonnullique alij, saltem validè, esto non licitè, & præsertim si approbatio fuerit data ad tempus, & non simpliciter, & absolutè, nam approbatio data ad certum tempus, transacto eo tempore cessat. Similiter si approbatio fuerit data ad tempus indeterminatum, nempe ad beneplacitum, tunc enim determinatur, voluntate illam reuocantis. *Isambert*

10 Negant tamen absolutè *Fagund. in praec. 2. Eccl. l. 7. C. 2 nu. 26. Herriq. l. 3. de pœn. C. 6. n. 6. Trullen. l. 1. §. 7. C. 1. d. 7. n. 8. Lud. à Cruc. D. 1. C. 2. d. 9. n. 2. Bardi p. 2. tr. 5. C. 2. n. 35.* alijque communiter DD. posito quod talis approbatio fuerit concessa ex preuio examine, secus autèm si nullum examen præcessit. Et meritò, ita enim expresè habetur in quodam motu proprio Pij V. qui incipit *Romani Pontificis prouidentia*, vbi Pontifex loquens de dictis Regularibus, inter alia sic ait: *Volumus tamen eos, qui semel ab Episcopo in Ciuitate, & Diœcesibus suis præuio examine approbati fuerint ab eodem Episcopo iterum non examinari*, quarè si nullum præcessit examen, vtiquè poterunt examinari secus autem si præuio examine fuerint approbati. Similiter Vrbanus VIII. in breui suprà ci. statuit eos, quos ipsemet Episcopus ad cõfessiones audiendas semel admisit simpliciter, & absque temporis

Fagund. Herriq. Trullen. Lud à cr. Bardi. Auctor.

poris præfinitione, nullatenus posse reprobari sine noua causa, &c. vt dictum est, (loquitur de Regularibus)

11 Respondent AA. huiusmodi Regularium priuilegia intelligi debere de reprobatione licita, non autem valida. Sed reuera hoc nimis gratis asseritur; Adde Sum. Pontifices absolutè loqui, vt videre est, ergò nequeunt absque graui caussa restringi illorũ verba ad solã reprobationem illicitam. Similitèr quæ pro ipsis AA. afferunt. n. 9. valent solùm de Iure communi, non autem de iure specialissimo dictorum priuilegiorum.

12 Vltimò confirmatur nostra opinio ex ijs, quæ suprà diximus Q. 1. n. 106 vbi asseruimus, Confessarium sæcularem, si iniustè, & absque vlla caussa reprobetur, posse adhuc vi bullæ in Confessariũ eligi, ergò multò magis dicendum est posse vi eiusdem bullæ similiter eligi Confessarium Regularem vigore suorum priuilegiorum, (vt dictum est) si iniustè, & absque iusta caussa reprobetur. An verò Episcopus successor possit reuocare approbationes Regularium à suo prædecessore concessas, dicetur Diff. sequenti.

DIFFICVLTAS IV.

An Episcopus successor possit reuocare approbationes Regularium à suo prædecessore concessas?

13 Ex hactenùs dictis, ac iuxtà iacta à nobis principia patet responsio ad propositam Difficultatem; ad pleniorem autem doctrinam iuuat hic illam distinctiùs discutere secundùm varia placita DD. qui quidem conueniunt, vel saltem conuenire tenentur, posse Episcopum successorem, ex aliqua rationabili caussa, iterùm examinare confessarios Regulares quamuis à suo Prædecessore approbatos, & consequentèr posse etiam eosdem reprobare, si ad tantum munus inepti inueniantur.

14 Solùm igitur controuerti potest, An Episcopus successor possit absque vlla sufficiẽti caussa, iterum examinare, ac pro suo libitò reprobare Confessarios Regulares à suo prædecessore examinatos, & approbatos; in quo etiam sensu videntur affirmare *Lud. à cruc. D. 1. C. 2. d. 9. n. 2. Fagund. in 2. prac. Eccl. l. 7. C. 2. n. 26. Palaus to. 4. tr. 23. n. 3.* alijque dum absolutè asserunt, Episcopum successorẽ posse reuocare approbationes Regularium à suo prædecessore concessas. primò quia, dicunt, non tenetur Episcopus successor acquiescere approbationi factę à suo prędecessore. Secundò quia in motu illo Pij V. edito an. 1571. incipiente *Romani Pontificis*, expressè statuitur, posse Episcopum successorem, pro maiori quiete suę conscientię, examinare Religiosos, quamuis à suo prędecessore iam examinatos, & approbatos: hinc absolutè asserũt, penès ipsum Episcopum esse, illos iterum approbare, vel reprobare. Similiter Vrbanus VIII. in Breui suprà n. 8. ci. decernit, & declarat, Regulares examinatos, & approbatos posse ab Episcopo successore iterum examinari iuxtà pręscriptum constitutionis Pij V. hac de re editę. *Lud. à cr. Fagund. Palaus.*

At

Rodriq. Dicastill.

15 At *Rodriq. in qq. reg. to. 1. q. 59. ar. 4. Diastill. de sacr. to. 2. tr. 8. D. 10. d. 11.* alijq; docent, Episcopum successorem non posse neque examinare, neque reprobare Confessarios Regulares à suo prædecessore iam examinatos, & approbatos. quàm quidem opinionem fundant præcipuè in quadam Sacræ Congregationis declaratione, in qua dicitur, quod Fratres Mẽdicantes semel examinati, & idonei reperti pro confessionibus audiendis, non debent neq; ab eodem Ordinario; nequè à successore examinari.

16 Mediâ autem viâ hic incedẽdum puto; atquè adeo dico, posse ab Episcopo successore examinari Confessarios Regulares à suo prædecessore, vel ab alijs iam examinatos, & approbatos, non solùm si aliqua iusta caussa occurrat (prout initiò dictũ est) verum etiam ex hoc præcisè, vt Pastor dignoscere possit, quibus suas oues sit cõmissurus, vt expresse habet cõstitutio Pij V. & Vrbani VIII. vt visum est; iuxtà quem etiam sensum intelligenda est declaratio allata in cõtrarium Sacrę Congregationis, quæ cùm nequeat derogare constitutionibus Sum. Pontificum, consequenter secundùm eorum mẽtem semper eam loqui, necesse est.

17 Ex hoc autèm quod Episcopus successor possit iterùm examinare Confessarios Regulares iam à suo prædecessore examinatos, & approbatos, non sequitur, quod similitèr possit absolutè, ac pro suo libito eosdẽ reprobare (vt videntur sentire DD. primæ opinionis) sed tantùm eos, quos ad tantũ munus ineptos inuenerit, iuxtà initiò dicta, nam talis potestas conceditur ei veluti viâ reuisionis, ac proindè nequibit reprobare, quos in examine idoneos inuenerit, & si eos reprobauerit, vtiquè nulla, & irrita, vtpotè iniusta, erit talis reprobatio (vt in simili suprà diximus Q. 1. n. 106. de Confessarijs sæcularibus) atque adeò multò magis idem dicendum erit de Regularibus quibus Iura, & Pontifices, ratione perfectionis status, plùs indulgent.

18 Ratio autèm veluti à priori est, quia huiusmodi approbatio vt communitèr fit, non obtinetur ex mera, ac pura beneuolentia Episcopi approbantis (vt ibidem etiam diximus) sed concurrente etiam iustitia, videlicet probata scientia, probatisq; ipsius Confessarij moribus adhuc in foro iudiciario iuridici examinis, & sic dum talis Cõfessarius fuit, iuris ordine seruato, approbatus; vtiquè nisi se reddat illa indignum, semper retinebit suum ius ad habitam approbationem, & consequenter non poterit ea expoliari absque iusta, & rationabili caussa.

19 Hinc consequentèr dicendũ in casu, quo dubitetur de idoneitate talis Confessarij iam semel approbati, standum esse iudicio prædecessoris approbantis. Ceterùm si de facto is ab Episcopo successore reprobetur, dico standum esse iudicio Episcopi reprobantis, iuxtà suprà dicta Q. 1. ci. n. 10. An verò is possit adhuc vi bullæ in Confessarium eligi, dicemus Diff. sequenti.

Carolus Latius in Bull. Cruc. Z DIF-

DIFFICVLTAS V.

An Confessor Regularis semel approbatus si reprobetur, possit adhuc vi Bullæ Confessarium eligi?

20 EX dictis patet, Regularē semel approbatū, si omninò iniustè, absquè scilicet vlla caussa reprobetur, posse adhuc vi bullæ in Confessarium eligi. Videndum ergò est, An regularis semel approbatus, si ex aliqua iusta caussa, reprobetur possit adhuc vi bullæ in Confessarium eligi.

21 Negant *Trullen. l. 1. §. 7. C. 1. d. 7. n. 14. Sancius D. 48. n. 30. Bardi p. 2. tr. 5. C. 2. à n. 38.* alijque & merito ratio autèm est, quia ex vna parte bulla necessariò requirit in Confessario vi eiusdem eligendo approbationē ab Ordinario: ex altera verò parte Cōfessarius Regularis, saltèm si ex iusta caussa reprobetur, verè approbatione iam habita expoliatur, ergò non poterit ampliùs vi huius bullæ in Confessarium eligi.

Trullen. Sancius Bardi. Auctor.

22 Dices in bulla Plumbea sic expressè habetur: *Conceditur, vt possint eligere Confessorem sæcularem, vel cuiuscunque etiam Ordinum Mendicantium Regularem ex ijs, qui ab Ordinario, & quoad Regulares semel tantùm approbati fuerint, &c.* iam Regularis eo ipso, quod semel iuridicè approbatur, etiāsi deinde verè reprobetur, adhuc tamèn, hoc non obstante, verum erit dicere, quod fuerit semel approbatus, atque adeò Regularis si semel ab Ordinario approbetur, etiamsi deinde reprobetur adhuc tamen poterit vi huius bullæ in Confessarium eligi.

23 Respondet ad hoc *Sancius ci.* quod priuilegia Cruciatæ non excedunt tenorem verborum compendij in idiomate vulgari auctoritate commissarij Generalis editi: in hoc autem compendio non apponitur clausula illa, ac differentia: *& quoad Regulares semel tantum &c.* (in quo consistit tota Difficultas) sed vniuersaliter, eodemque modo tàm pro sæcularibus quā pro Regularibus Confessarijs absolutè dicitur, Confessarium debere esse ab Ordinario approbatū; & sic sibi videtur omnem effugere difficultatem.

24 Sed hæc responsio absolutè non placet nam Commissarius Generalis quamuis habeat absolutam facultatem declarandi, interpraetandi, & compilandi præsens Diploma, illudque de latino idiomate vertēdi in vulgarem linguā iuxtà Prouinciarum ritum, nequit tamèn mutare huius priuilegij substantiā, vt expressè in ipsamet bulla cauetur; auferre autem, vel saltem mutilare, vel augere aliquod illius priuilegium, absolutè est illius substantiam mutare, atque adeo omnia, & singula Cruciatæ priuilegia quantumuis mutila, breuitatis caussa in Compendio inueniantur, cum tota tamen plenitudine, qua a Sum. Pontifice in bulla magna conceduntur, ommino sumi debent; & sic, quamuis in compendio nullum discrimen ponatur, quoad præsētem electionē, inter Regularē & sæcularē Confessarium, attamen cū omnimoda illa differentia, quà dicta

cti poteſtas eligendi conceditur in bulla magna, omninò ſumi debet. Ratio ergo eſt, vt dixi, quia regularis ille ex iuſta cauſſa reprobatus, non poteſt reuera dici approbatus, & per conſequens vi bullæ, neque poterit eligi.

26 Et idem multò magis dicendum puto de Regulari, ſi è religione egrediatur, nam hoc ſingulare priuilegium conceditur ratione dignitatis ſtatus religionis, atque adeo in inſtanti, quo in Confeſſarium eligitur, debet eſſe in tali ſtatu, in quo tamèn ſatis erit, vt incipiat excipere cõfeſſionem, vt poſſit in ſtatu ſæculari eandem complere (iuxtà dicta D. 1. Q. 3. à Diff. 9.) Ceterũ approbationẽ in ſtatu regulari habitã, quæ ſolũ cõceditur ratione idoneitatis indiuidui vt ſic, abſque dependentià ſtatus, adhuc in ſtatu ſæculari retinebit.

DIFFICVLTAS VI.

An Regularis ab Ordinario approbatus, ſed à ſuo Prælato à Cõfeſſione ſuſpenſus, vi bullæ validè abſoluat?

Valerus. *Angelus.* 27 NEgant *Valerus in differ. for. V. Confeſſ. diff. 2. n. 2. Angel. apud Adrian. q. 1. de Conf. d. 1.* nonnulliq; alij. quorum præcipua ratio eſt, quia Epiſcopi approbant Regulares dependenter à proprijs Prælatis præſentantibus ſuos ſubditos ipſis Epiſcopis.

Rodriq. 28 At *Rodriq. §. 9. d. 7. num. 10.* negat hoc ſolùm quoad peccata extraordinaria, pro quorum ſcilicèt abſolutione requiritur *Carolus Latius in Bull. Cruc.* bulla, aut aliud ſimile priuilegium concedens caſus Epiſcopales à Iure, & ab homine, affirmant tamen quoad peccata ordinaria, pro quorum ſcilicet abſolutione nulla ſpecialis auctoritas requiritur.

29 Abſolutè tamen affirmant *Nuñus in add. ad 3. p. tom. 2. q. 8. ar. 5. d. 8. Salas de leg. D. 16. ſe. 10. n. 43. Lud. à Cruc. D. 1. C. 2. d. 17. n. 2. Trullen. l. 1. §. 7. C. 1. d. 6. Villalob. to. 1. ſum. tr. 9. d. 50. nu. 4.* & communitèr DD. & quidẽ meritò, nã ex vna parte bulla hæc Cruciatæ nihil aliud requirit in Confeſſario vi ipſius eligendo, niſi vt ſit ab Ordinario approbatus: ex altera verò parte Regularis ex eo præcisè, quòd ab Ordinario approbatur, quamtumuis à ſuo Prælato à Confeſſione ſuſpendatur, verè tamen, & in omni rigore dicitur, quòd ſit ab Ordinario approbatus, ergò vi bullæ poterit ſaltem validè abſoluere: an verò poſſit etiam licitè, dicetur Diff. ſequenti. *Nuñus.* *Salas.* *Lud. à cr.* *Trullen.* *Villalob.* *Auctor.*

DIFFICVLTAS VII.

An Regulares ab Ordinario approbatos, ſed à ſuo Prælato ſuſpẽſus, abſoluat vi bullæ nõ ſolùm validè, ſed etiam licitè?

30 VIdimus Diff. ſuperiore talem Regularem validè vi bullæ abſoluere; in præſenti verò videndum eſt, an etiam licitè abſoluat. Et quidẽ conueniunt DD. talem Regularem excipientes confeſſiones cõtrà ſui Prælati voluntatẽ aliquod peccatũ committere. & meritò, nam ex vna parte vrget

Superioris prohibitio, ex altera verò parte nulla vrget necessitas audiendi confessiones (vt hic supponimus) ergò absolutè tenetur stare mandatis superioris, aliter euidenter peccabit.

31 Difficultas ergò est, An tale peccatum sit graue, an leue. *Fagund. l. 7. n. 2. præc. C. 2. n. 32. & Peregrin. p. 1. C. 5. §. 5.* Videntur docere, tale peccatum esse graue, dùm asserunt, eũ regularem excipientem cõfessiones contrà Superioris voluntatem posse grauiter puniri, atq; adeò debent supponere, illum grauiter delinquere. ducuntur fortassis, quia huiusmodi prohibitio est in materia graui. *Fagund. Peregri.*

32 At *Sancius in select. D. 48. nu. 26. Molfesius to. 1. sum. tr. 3. C. 14. n. 87. Megala in 1. p. l. 1. C. 15. nu. 8. Bardi p. 2. tr. 5. C. 2. n. 49.* & alij dicunt, & meritò, hoc determinandum esse vel iuxtà præscriptum Constitutionum Religionis, vel si in Constitutionibus nihil circa hoc statuatur quoad grauitatem culpæ, tunc standum esse modo, ac formæ prohibitionis factæ à Prælato, ac proindè si prohibitio fuerit in virtute obedientiæ, vel sub pœna excommunicationis, suspensionis, & huiusmodi, (sub qua forma à nobis proposita est difficultas) vtique transgressio erit peccatum graue, sin minùs, erit leue; quòd autẽ talis prohibitio sit circa materiam graue nihil refert, quotiès eius obseruatio leui modo, ac formà, modo dicto iniungitur. *Sancius Molfes. Megala. Bardi. Auctor.*

33 Sed quæres hic obitèr, An dictus Regularis in casu posito, validè etiàm absoluat virtute priuilegiorum suæ Religionis, sicuti diximus, eum vi bullæ validè absoluere?

34 Respondeo cum communi DD. consensu, si priuilegia sint suæ religioni concessa cum hac limitatione, nempè vt subditi nequeant illis vti absq; consensu superioris, itaut iurisdictio communicetur ipsis subditis mediante consensu superioris, tunc vtiquè inualidè absoluet; secùs autèm dicendum videtur, si huiusmodi priuilegia absolutè, & absquè vlla conditione, & restrictione fuerint Religioni concessa.

DIFFICVLTAS VIII.

An qui de iure communi possunt eligere Confessarium adhuc nõ approbatum ab Ordinario, possint similiter illum eligere ad hoc, vt bullæ gaudeant priuilegijs.

35 Ratio dubitandi pro parte negatiua est, quia expressè ab eadem bulla requiritur ad hoc, vt sit ab Ordinario approbatus cõfessarius vi eiusdem bullæ eligendus.

36 Affirmandum tamen omninò est, nam vi bullæ nõ restringitur ius commune, sed potiùs dilatatur, atq; adeo qui de iure communi habent facultatem sibi eligendi confessarium quãuis ab Ordinario non approbatum, poterunt eundem eligere in ordine ad fruendum priuilegijs Cruciatæ, si aliunde non sit illis prohibitus istorum priuilegiorum vsus. *Auctor.*

37 Quarè Episcopi, qui de iure eligunt sibi confessarium, gaudent Cruciatæ priuilegijs; idẽq; dicendum de Prælatis regularibus, imò de subditis religiosis, si licentiam habeãt à superiore,

vt

vt possint eligere sacerdotem extra propriam religionem, eique confiteri, quamuis non sit à suo Ordinario approbatus sacerdos sic electus, nam respectù Regularium non requiritur talis approbatio.

38 Ad rationem verò dubitandi in contrarium dico, quod habens ex iure communi facultatem eligendi sibi confessariũ, censetur eligere confessarium approbatum ab illo, qui ipsi eligenti talem communicauit facultatem; & ideo cùm ius commune, seu Sum. Pontifex in hoc casu approbet talem confessarium, vtiquè talis Confessarius censetur approbatus ea approbatione, quæ æquiualet approbationi, quæ habetur ab Ordinario.


DIFFICVLTAS IX.

An Religiosi Ordinum Militarium, possint eligi in Confessarios vi Bullæ, æquè ac Religiosi claustrati?

36 QVoad Religiosos Ordinis Melitensis nulla est difficultas, cum sint in omni rigore religiosi. dubitatur ergò solùm quoad alios, nempe S. Iacobi, Calatrauæ, & huiusmodi. Et quidem ratio dubitandi pro parte affirmatiua est, quia licèt secundùm veriorem sententiã dicti Ordines non sint veræ Religiones, attamen in fauorabilibus (quale est priuilegium hoc Cruciatæ eligendi confessariũ) veniũt sub nomine Religionis, seu Religiosorum; ergò &c.

40 Negandum tamen est, nam quamuis tale priuilegium sit fauorabile, attamen cùm per particulas illas, nempè: *& quoad regulares si semel tantùm fuerint approbati*, derogetur in partim Ordinariorum iurisdictioni, vtiquè secundùm easdem particulas erit tale priuilegium strictè interpretandum, & per cõsequens quoad hanc partem ad solos regulares strictè sumptos extendendum. ex quibus patet ad rationem dubitandi in contrarium.

41 Atque hæc satis dicta sint circa facultatem eligendi Confessarium vi Cruciatæ concessam.



DISPV-

DISPVTATIO SESTA

DE POTESTATE, QVAM HABET CONFESSARIVS VI BVLLÆ ELECTVS ABSOLVENDI A PECCATIS ETIAM RESERVATIS.

In eodem §. XV. postquam Sum. Pontifex concedit facultatem eligendi Confessarium ab Ordinario approbatum, concedit eidem Confessario vi bullæ iam electo, potestatem absoluendi priuilegiatum tàm à peccatis, quàm à Censuris etiam Sedi Apostolicæ reseruatis. dicemus ergò in præsenti Disputatione de absolutione à peccatis, in sequenti autèm Disp. de absolutione à Censuris differemus.

QVÆSTIO I.

De Absolutione à Peccatis reseruatis in communi.

QVia Sum. Pontifex dùm Cõfessario vi bullæ electo amplam dat facultatem absoluendi priuilegiatum à casibus etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, excipit Hæresim; ideò vt distinctiùs procedamus, agemus hic primò de absolutione à casibus reseruatis in communi, in sequenti verò Quæstione de absolutione ab ipsa Hæresi, eique annexis specialitèr dicemus.



DIFFICVLTAS I.

Quod sit Peccatum Reseruatum?

1 MVlta circà peccata reseruata quærunt Theologi in tractatu de Pœnitentia, & nos ibidem similiter, Deo dante. pauca ergò hic attingemus, quæ pro præsenti materia viam sternere videntur. Peccatum igitur Reseruatum est illud, cuius absolutio iure humano, & positiuo interdicta est, quod consequenter nemo inferior ipso Prelato, cui tale peccatũ reseruatur, poterit absoluere, nisi specialem ad hoc delegatã habeat facultatem.

2 Solet etiam peccatum dici *Casus*, à cadendo, & est propriè ruina; vnde & Angelorum, & Hominum dicitur Casus, cùm primùm à Dei gratia in peccatum lapsi, veluti è supremo gradu ad ima tàm infeliciter ceciderunt.

derunt. Et quamuis aliquando Excommunicationes, irregularitates, aliæque censuræ, imò & Vota, & iuramenta dicantur (impropriè tamen) Casus, propriè tamē solum peccatum dicitur Casus. vnde fit, quod si Episcopus concedat absolutionem à suis casibus, non inde censetur concedere etiam dispensationem votorum, iuramentorum, & irregularitatum. & eadem ratione, si concedat facultatem eligendi Confessarium idoneum, non ideo concedet etiam, vt is confessarius possit etiam absoluere à casibus reseruatis, nisi id exprimatur, vel per signa euidenter cōstet. Sed videamus, Quinam possit peccata reseruare.

DIFFICVLTAS II.

Quisnam possit peccata reseruare?

3 ESse in Ecclesia Dei potestatem reseruandi peccata, est de fide determinatum in *Trid sess. 14. C. 7. can. 11.* patet etiam ex vetustissima eiusdem Ecclesiæ consuetudine; demū probatur ratione euidenter, nā iurisdictio est simplicitèr necessaria in sacramento pœnitētiæ, talis autem iurisdictio emanat à superioribus Ecclesiæ Prælatis ad inferiores ministros, poterit ergò superior illam limitatè concedere prout voluerit. Cōfirmatur etiam congruentiâ, quia sic fideles, saltem ob difficultatem obtinendi absolutionem, magis frænantur ab aliquibus grauioribus excessibus, ac meliùs ab ipsis Prælatis corriguntur.

Trident.

4 Ex dictis igitur patet, omnes, ac singulos habentes ordinariā potestatem, & iurisdictionem in hoc foro (prout super Disp. 1. n. 7. diximus) posse sibi reseruare absolutionem aliquorum peccatorum respectu cuiuscūque inferioris adhuc habentis ordinariam iurisdictionem, & potestatem, & hoc non solùm sibi, sed etiam alijs; potest enim Prælatus superior coarctare iurisdictionem inferioris, & sic aliquos casus sibi reseruare. & ratio est, quia etiam inter ipsos Ordinarios Pastores est in hoc foro subordinatio, quæ in omni iudicio est maximè necessaria pro bono regimine.

5 Summus ergò Pontifex, vt supremam habens potestatem in totam Ecclesiam, poterit cōsequenter reseruare peccata respectù omnium fideliū, estò sint Episcopi, Archiepiscopi, &c. Similiter Episcopi pro tota sua Diœcesi; Parochi verò, quamuis possint de iure cōmuni, similiter reseruare peccata respectù suorum Parochianorum, attamen vel quia hoc non audent, vel quia ab Episcopis impediuntur, hodie absolutè non est in vsu.

6 Idem proportionaliter dicēdum de Prælatis Regularibus quoad proprios subditos; quarè Generalis poterit reseruare peccata respectù omnium suæ religionis, Prouincialis respectu totius Prouinciæ cui præest, & similiter omnes Prælati locales respectu locorum, quibus president, si tamen nihil aliud obstat, prout de Parochis dictū est. An verò possint omnia peccata eodem modo reseruari, dicetur Diff. sequenti.

DIF

DIFFICVLTAS III.

An omnia peccata, saltem externa, possint absolutè reseruari?

7 CОnueniunt DD.non posse licitè quodlibet peccatum reseruari.& merito,nam potestas reseruãdi pręcipuè data est ad vtilitatem fidelium:iam si absque iusta caussa, & indiscretè peccata reseruarentur, sanè nimis onerosum redderetur pœnitentię Sacramentum, atque adeo resultaret potiùs in damnum, quam in vtilitatem animarũ. Vnde Clemens VIII. in quodam suo decreto die 26. Maij an. 1593. limitauit potestatem reseruãdi peccata quoad Prælatos Regulares,ne indiscretè in hoc procedatur.

8 Difficultas ergò est, an saltẽ validè possit quodlibet peccatum reseruari. Et quidem affirmant communiter DD. si loquamur de tali reseruatione in ordine ad simplices Confessarios, & non habentes iurisdictionem nisi delegatam.Et meritò, nam Superior, qui alteri delegat suam iurisdictionem, vtiquè poterit illam absolutè reuocare,ergò multò magis poterit eandem limitare, prout voluerit, validè saltem.

9 Dubitatur ergò solùm, An reseruatio peccatorum absque vlla causa facta sit similiter saltem valida etiam in ordine ad inferiores Prælatos habentes ex vi proprij muneris potestatem, & iurisdictionem Ordinariam.

10 Negant absolutè *Ledesm.2.4.q.8.ar.1.Soto de pœn.lec.4.q.2.ar.5.ad 2.Herriq.l.6.de pœn.C.14.n.13.* & alij, ex eo quia Pastores habent intrinsecum, ac naturale ius ad suam iurisdictionem, ac proinde nequeunt illa priuari absque legitima causa, eo modo quo nequit quis absque causa priuari Episcopatu, aut alio Beneficio semel obtento.

Ledesm. Soto. Herriq.

11 At *Maior D.17.q.5.Angel.V.Cajus*, & alij affirmant de reseruatione huiusmodi facta à Sum. Pontifice in ordine ad Episcopos, aliosque,non autem si talis reseruatio fiat ab Episcopis in ordine ad Parochos.

Maior. Angel.

12 Affirmant tamen absolutè *Syluest.V.confes 3.n.5 Graff.l.1.dec.C 13.n.77.Fagund.in 2.præc Ecc.l.8.C.1.n.25.* aliijq; & meritò. & quidem, quòd quælibet reseruatio proueniens à *Sum.*Pontifice habẽre supræmam potestatem, ne in dubium quidem videtur posse reuocari.De reseruatione autem facta ab Episcopis in ordine ad Parochos.probatur, primò quia etiam Parochi accipiunt suam potestatem cũ subordinatione ad proprios Episcopos. Secundò quia nequit in particulari assignari peccatorum numerus, vltrà quem nequeat ampliùs extendi potestas reseruandi Episcoporum, presertim cum in reseruatione non semper spectetur peccati grauitas.

Syluest. Graff. Fagund.

13 Ad rationem autem in contrarium pro prima sentẽtia allatam dico illam absolutè procedere quoad licitam,non quoad validam limitationem iurisditionis. adde, Superioris dispositionem ex iusta causa procedere, omninò, ac semper existimandum.atque hęc pro peccatis externis; an verò idem dicendum sit de peccatis merè internis, dicetur Diffi.sequenti.

DIFFICVLTAS IV.

An Peccata merè internà possint reseruari?

14 NEgant aliqui, quibus adhæret *Sotus in 4. D. 18. q. 2. ar. 5. & Adrian. q. 4. de confess.* eò quia Ecclesia non iudicat de occultis, atque adeo Prælati nequeunt reseruare sibi peccata interna, cùm non spectent ad ipsorum iurisdictionem.

Sotus. Adrian.

15 Affirmant tamen *Suar. to. 4. D. 29. se. 3. n. 3. Medin. in sum. l. 1. C. 10. Soto lec. 5. de confess. Caiet. 2. 2. q. 11. ar. 3. Lud. à Cru. D. 1. C. 3. d. 1. n. 15.* aliiq; communiter DD. & meritò, primò quia absolutio à peccatis etiam internis nequit dari, nisi ab habente iurisdictionem saltem delegatam: iam superior dum delegat alteri suam iurisdictionem, vtiquè poterit illam non delegare quoad aliquod peccatum merè internum, quod consequenter remanebit reseruatum. Probatur secundò ex Alexandro VI. dicente in quadam suâ definitione, Superiorem Regularem posse reseruare quædam peccata cordis, ergò &c.

Suarez. Medina Soto. Caietan. Lud. à cr. Auctor.

16 Ad rationem autem in contrarium, dico, Ecclesiam non iudicare de occultis, seu internis, in ordine ad forum externum; ceterùm quoad forum internum, & pœnitentiale ad solius Ecclesiæ iurisdictionem spectat ferre sententiam de occultis, & internis, vt patet, quãuis in foro externo neque possit ea prohibere, neque punire.

17 Quæres, An de facto reseruetur aliquod peccatum merè internum? Affirmant nonnulli Canonistæ, asserentes, hæresim mentalem esse de facto Papæ reseruatam, & excommunicationi subiectam.

18 Negant tamen *D. Anton. 3. p. tit. 11. Herriq. l. 6. C. 14. n. 6. Nauar. in sum. C. 27. n. 56. Caiet. ci. Lud. à Cruc. ci.* aliiq; communiter DD. & meritò, primò quia omninò falsum est, Hæresim purè internam esse de facto Papæ reseruatam (vt ex infra dicendis patebit) sicuti neque vllum aliud peccatum merè internum inuenire est reseruatũ; secundò quia, sicut Ecclesia non cognoscit de actionibus, quæ in solo intellectu, aut voluntate consistunt, cùm solus Deus sit scrutator cordis, ità neque illas punit; aliquo modo illas puniret, si illas reseruare.

D. Anto. Nauarr. Caiet. Lud. à cr. Auctor.

DIFFICVLTAS V.

Quænam sint peccata de facto Sum. Pontifici reseruata?

19 COnueniunt DD. casus Sũmi Pontifici de facto reseruatos esse omnes, ac solos illos, qui habent sibi annexam excommunicationem eidem Sum. Pontifici reseruatã: quod siquis vlterius inquirat, quot, & quinam sint in particulari casus isti, quibus annexa est Papalis excommunicatio; Respondeo, longum satis fore, de illis hic specialem catalogum instituere; breuiter tamen dico, esse præcipuè viginti illos casus bullæ Cœnæ Domini, aliosque per totum corpus iuris Canonici dispersos, vbi videri poterunt.

DIFFICVLTAS III.

An omnia peccata, saltem externa, possint absolutè reseruari?

7 Conueniunt DD.non posse licitè quodlibet peccatum reseruari.& merito,nam potestas reseruãdi prçipuè data est ad vtilitatem fidelium:iam si absque iusta causa, & indiscretè peccata reseruarentur, sanè nimis onerosum redderetur pœnitentię Sacramentum, atque adeo resultaret potiùs in damnum, quam in vtilitatem animarũ. Vnde Clemens VIII. in quodam suo decreto die 26. Maij an. 1593. limitauit potestatem reseruãdi peccata quoad Prælatos Regulares,ne indiscretè in hoc procedatur.

8 Difficultas ergò est, an saltẽ validè possit quodlibet peccatum reseruari. Et quidem affirmant communiter DD. si loquamur de tali reseruatione in ordine ad simplices Confessarios, & non habentes iurisdictionem nisi delegatam.Et meritò, nam Superior, qui alteri delegat suam iurisdictionem, vtiquè poterit illam absolutè reuocare,ergò multò magis poterit eandem limitare, prout voluerit, validè saltem.

9 Dubitatur ergò solùm, An reseruatio peccatorum absque vlla causa facta sit similiter saltem valida etiam in ordine ad inferiores Prælatos habentes ex vi proprij muneris potestatem, & iurisdictionem Ordinariam.

10 Negant absolutè *Ledesm.2.4.q.8.ar.1.Soto de pœn.lec.4.q.2.ar.5.ad 2.Herriq.l.6.de pœn.C.14.n.13.* & alij, ex eo quia Pastores habent intrinsecum, ac naturale ius ad suam iurisdictionem, ac proinde nequeunt illa priuari absque legitima causa, eo modo quo nequit quis absque causa priuari Episcopatu, aut alio Beneficio semel obtento. Ledesm. Soto. Herriq.

11 At *Maior D.17.q.5.Angel.V.Cajas*, & alij affirmant de reseruatione huiusmodi facta à Sum. Pontifice in ordine ad Episcopos, aliosque,non autem si talis reseruatio fiat ab Episcopis in ordine ad Parochos. Maior. Angel.

12 Affirmant tamen absolutè *Syl-ues.V.confes 3.n.5 Graff.l.1.dec.C 13.n.77 Fagund.in 2.prac Ecc.l.8.C.1.n.25.* alijq; & meritò. & quidem, quòd quælibet reseruatio proueniens à Sum.Pontifice habere supræmam potestatem, ne in dubium quidem videtur posse reuocari.De reseruatione autem facta ab Episcopis in ordine ad Parochos.probatur, primò quia etiam Parochi accipiunt suam potestatem cũ subordinatione ad proprios Episcopos. Secundò quia nequit in particulari assignari peccatorum numerus, vltrà quem nequeat ampliùs extendi potestas reseruandi Episcoporum, presertim cum in reseruatione non semper spectetur peccati grauitas. Syluest. Graff. Fagund.

13 Ad rationem autem in contrarium pro prima sentẽtia allatam dico illam absolutè procedere quoad licitam,non quoad validam limitationem iurisdictionis. adde, Superioris dispositionem ex iusta causa procedere, omninò, ac semper existimandum.atque hęc pro peccatis externis; an verò idem dicendum sit de peccatis merè internis, dicetur Diff.sequenti.

DIF-

DIFFICVLTAS IV.

An Peccata merè internà possint reseruari?

Sotus. Adrian.

14 NEgant aliqui, quibus adhæret *Sotus in 4. D. 18. q. 2. ar. 5. & Adrian. q. 4. de confess.* eò quia Ecclesia non iudicat de occultis, atque adeo Prælati nequeunt reseruare sibi peccata interna, cùm non spectent ad ipsorum iurisdictionem.

Suarez. Medina Soto. Caietan. Lud. à cr. Auctor.

15 Affirmant tamen *Suar. to. 4. D. 29. se. 3. n. 3. Medin. in sum. l. 1. C. 10. Soto lec. 5. de confess. Caiet. 2. 2. q. 11 ar. 3. Lud. à Cru. D. 1. C. 3. d. 1. n. 13.* alijq; communiter DD. & meritò, primò quia absolutio à peccatis etiam internis nequit dari, nisi ab habente iurisdictionem saltem delegatam: iam superior dum delegat alteri suam iurisdictionem, vtique poterit illam non delegare quoad aliquod peccatum merè internum, quod consequenter remanebit reseruatum. Probatur secundò ex Alexandro VI. dicente in quadam sua definitione, Superiorem Regularem posse reseruare quædam peccata cordis, ergò &c.

16 Ad rationem autem in contrarium, dico, Ecclesiam non iudicare de occultis, seu internis, in ordine ad forum externum; ceterùm quoad forum internum, & pœnitentiale ad solius Ecclesiæ iurisdictionem spectat ferre sententiam de occultis, & internis, vt patet, quã nis in foro externo neque possit ea prohibere, neque punire.

17 Quæres, An de facto reseruetur aliquod peccatum merè internum? Affirmant nonnulli Canonistæ, asserentes, hæresim mentalem esse de facto *Papæ* reseruatam, & excommunicationi subiectam.

D. Anto. Nauarr. Caiet. Lud. à cr. Auctor.

18 Negant tamen *D. Anton. 3. p. tit. 11. Herriq. l. 6. C. 14. n. 6. Nauar. in sum. C. 27. n. 56. Caiet. ci. Lud. a Cruc. ci.* alijq; communiter DD. & meritò, primò quia omninò falsum est, Hæresim purè internam esse de facto Papæ reseruatam (vt ex infra dicendis patebit) sicuti neque vllum aliud peccatum merè internum inuenire est reseruatũ; secundò quia, sicut Ecclesia non cognoscit de actionibus, quæ in solo intellectu, aut voluntate consistunt, cùm solus Deus sit scrutator cordis, ità neque illas punit; aliquo modo illas puniret, si illas reseruare.

DIFFICVLTAS V.

Quænam sint peccata de facto Sum. Pontifici reseruata?

19 COnueniunt DD. casus Sũmi Pontifici de facto reseruatos esse omnes, ac solos illos, qui habent sibi annexam excommunicationem eidem Sum. Pontifici reseruatã, quod siquis vlteriùs inquirat, quot, & quinam sint in particulari casus isti, quibus annexa est Papalis excommunicatio; Respondeo, longum satis fore, de illis hic specialem catalogum instituere; breuiter tamen dico, esse præcipuè viginti illos casus bullæ Cœnæ Domini, aliosque per totum corpus iuris Canonici dispersos, vbi videri poterunt.

20 Controuertitur tamen, An huiusmodi Casus reseruentur ratione sui, an ratione excommunicationis, an verò ratione vtriusque? Aliqui docent, reseruationem immediatè solùm cadere supra excommunicationem; alij volunt, cadere supra ipsum peccatum, prout tamen affectum à censura; alij demum putant, supra vtrumq; ex æquò cadere ipsam reseruationem; verùm hoc nihil facit ad rem nostram; & ideo, vt de re etiam parui momenti, nulla est habẽda ratio, sed sufficit, DD. placita breuiter de ea innuisse.

21 Conueniunt tamen Doctor. (quod ad rem nostram facit) ablatà censurà ab huiusmodi peccatis, auferri etiam ab eisdem peccatis & reseruationem, & consequenter omnes illæ causæ, quæ excusabunt reum ab incursione censurarum, eximent & ipsa peccata à reseruatione ista Papali, itaut tunc possint à quolibet simplici Cõfessario absolui, nisi aliud obstet. dicendum igitur erit de aliquibus causis, seu circumstãtijs excusantibus ab incursione cẽsurarum patrantem aliquod ex istis peccatis, vt inde dignoscat Confessarius vi bullę electus, quænam peccata possit absolutè absoluere, quæ verò cum limitatione, nẽpè semel in vita, & semel in morte, modo infrà dicendo.



DIFFICVLTAS VI.

An inuincibilis ignorantia, qua quis ignorat, casus Pontificios esse sub Censura prohibitos, excuset ab incursione censuræ?

22 NEgant *Scotus in 4. D. 6. q. 8. Glossa in c. à nobis 1. de sent. excom. Couarr. in c. Alma mat. p. 1. §. 10. Medin. in 1. 2 q. 76 ar. 3.* omnesq; illi, qui vniuersaliter docent, non necessarium esse, vt delinquens cognoscat pœnam impositam delicto, vt illam incurrat, sed sufficere, vt reus habeat notitiam de prohitione per legem factà. cuius sententiæ ratio est, quia alioqui siquis pœnas Inferni ignoraret, etiamsi in peccato mort. moreretur, non esset puniendus pœnis Inferni, quod est contrà fidem. similiter siquis committeret v. g. adulterium, seu homicidium, siue furtum, & ignoraret pœnas à legibus impositas huiusmodi delictis, vtiquè is non posset à Iudice puniri talibus pœnis legis, quod neque est asserendum. ergò siquis cõmittat delictum, cui est annexa censura v. g. excommunicatio, etiamsi ignoret talem excõmunicationem, adhuc illam incurret. *Scotus. Glossa. Couarr. Medin.*

23 At alij cum distinctione in hoc procedentes, similiter id negant quoties ea censura erit imposita à iure communi, secùs autem si fuerit imposita à statuto aliquo particulari.

24 Affirmant tamen absolutè *Suarez to. 5. in 3 p. D. 4. se. 9. nu. 19. Sanchez l. 9. de mat. D. 32. Bonacin. de cens. D. 1. q. 2. p. 1. n. 17. Palaus,* *Suarez. Sanch. Bonacin.*

Palaus. Bresser. Granad. Bardi. Auctor.

Palaus to.1.tr.2.D.1.p.17. Bresser.de consc.l.6.C.12.n.146. Granad.in c.2.contr.7.de leg.tr.3.p.1. d.12.Bardi p.2.tr.4.C.1.n.21. aliiq; communiter DD. & meritò, nam ad incurrendam Cẽsuram necessariò requiritur cõtumacia, & ad incurrendam excommunicationem, quæ est maxima omnium censurarum pœna, vt expressè habetur in *C.Corripiam 24. q. 3.* requiritur maxima, & summa contumacia huiusmodi autem contumacia certè procedere debet tàm ex inobedientia, quam ex contemptu eiusdem censuræ; iam qui excommunicationem ignorat, vtiquè excommunicationem contemnere nequit, atq; adeo nequit habere supremam contumaciam, ac proinde omninò iniustum esset punire illũ suprema omnium pœna, cuiusmodi est excommunicatio (vt dictum est;) & sic committens delictum, cui est annexa excõmunicatio, si eã excommunicationem ignorauerit, non erit excommunicatus, & consequẽter poterit vi saltem bullę absolutè absolui.

25 Ad rationem autem AA. in contrarium nego vtramq; sequelam. & disparitas est, quia censura, & præsertim excommunicatio, (de qua hic pręcipuè loquimur) est de illo genere pœnarum, quæ imponuntur non in puram vindictam, sed in medicinam, videlicet vt delinquens resipiscat, & sic à peccato exeat, vt habetur in *c.cum medicinalis, de sent. excom. in 6.* quarè nisi talis medicina innotescat ipsi delinquenti, nõ posset mederi, & sic esset ad puram vindictam; hinc rectè præsumendum est, intentionem Ecclesiæ in ferendis censuris, præsertim excommunicatione, quę est ceteris magis medicinalis, esse, vt transgrediens eiusdem Ecclesiæ præceptum, non afficiatur tali pœna, si illam ignoret, cùm imponatur vt medicamentum, prout dictum est.

26 E contrà Inferni pœnæ, sicut & aliæ pœnæ legum, sunt in puram vindictam, ac proinde non est necesse, vt delinquentes de illis notitiam habeant, ad hoc vt illas condignè mereantur, sed sufficit, vt agnoscant illud delictũ esse contra Deum. Adde, ignorantiam inuincibilẽ excusare posse à culpa, ergò multò magis dicendum est, posse excusare ab incursione puræ censuræ. An verò eadem sit ratio de naturali obliuione, seu inuincibili inaduertentia de Censura, sicuti diximus de inuincibili ignorantia, dicetur Diff. sequenti.

DIFFICVLTAS VII.

An naturalis obliuio, vel inuincibilis inaduertentia de Censura excuset delinquentem à cõtractione eiusdem Censura?

27 Ratio dubitandi pro parte negatiua est, quia si non solùm inuincibilis ignorãtia excusaret à contractione censuræ, (vt suprà dictum est) sed etiam naturalis obliuio, ac inuincibilis inaduertentia, sequeretur quod ferè nunquam incidérent delinquentes in cẽsuras Pontificias, & sic ob maiorem facilitatẽ obtinendi absolutionem à casibus Pontifici reseruatis, faciliùs in illos labe-

Carolus Latius in Bull. Cruc. Aa 2 rentur,

rentur, atque adeo cessaret finis ab Ecclesia intentus in reseruandis maioribus excessibus.

Suarez. Coninb. Duard. Bardi. Auctor.

28 Affirmant tamen *Suar.D.4.de cens.se.8.n.11.Coninch. D.13. de cens.d.11.n.93.Duard.in Bul.cœn. l.1.p.1.C.2.q.5.n.15.Bardi p.2.tr. 4.C.1.n.29.* alijque, & meritò, nã existente naturali obliuione, seu inuincibili inaduertentia, seu inconsideratione, non est contumacia respectu Ecclesiæ, ob quam tantùm incurritur cēsura, & præsertim excommunicatio (vt supra dictum est) sicuti ob contumaciam tantùm validè fertur. Confirmatur, nam obliuio dicti, seu inaduertentia &c. se habet ad ignorantiam, sicuti actus ad habitum, atque adeo illa excusat ab incursione censuræ, ita similiter excusabit obliuio, seu inaduertentia &c. & consequenter culpa, cui est annexa censura neq; erit reseruata, & sic poterit à quolibet simplici Confessario absolui, si nihil aliud obstabit.

29 Ad rationem autèm dubitãdi in contrarium dico primò, nõ esse adeo paucos, qui ignorant esse annexam censuram quibusdam saltem ex atrocioribus criminibus Sum. Pontifici reseruatis: & illi, qui id sciunt, non ita facilè erunt excusandi, eò quia rarò contingit, vt scientes censuram, dum peccant tali genere culpæ, laborare inuincibili inaduertentia, &c. Dico secundò, hoc non esse adeo durum, sed potiùs valdè consonũ suaui dispositioni, qua mater Ecclesia regit fideles, quos nolit punire pęna adeo graui, qualis est censura, & præsertim excommunicatio, nisi inuenerit contra ipsam contumaces; iam ignorantia, seu inaduertentia &c. tollunt contumaciam, ergò & incursionem censuræ, & cõsequenter reseruationem. Sed videamus, an idem dicendum sit de metu, quo quis operatur.

DIFFICVLTAS VIII.

An metus, quo quis operatur, excuset delinquentem ab incursione Censuræ?

30 CONueniunt DD. metum leuem, quo videlicet timemus malum leue, non impedire incursionem censuræ. Et meritò, nam metus leuis non excusat à culpa, ob quam incurritur censura, licèt illam aliquo modo minuat.

31 Difficultas ergò est, an metus grauis, quo videlicet timemus graue aliquod detrimentum siue in vita, siue in fama, siue in diuitijs (qui dicitur metus cadens in costantem virũ eò quia quamuis costantem terret) impediat incursionem censuræ, & consequenter etiã impediat reseruationẽ à casibus Pontificijs.

32 Circa quam conueniunt etiã DD. metum grauem, quoties excusat hominem operantem ab omni culpa, excusare etiam ab incursione censurę. Et meritò, nam deficiente fundamento cui adheret censura nempè peccato, corruet similiter & forma illi annexa, nempè censura.

33 Controuertitur ergò solùm, An metus grauis excuset ab incursione censurę in casu, quo non excusat delinquentem à culpa, cui est annexa talis censura; vt euenit quando opus, cui est annexa censura, non tantùm est contra Ecclesiasticum

cum

cum præceptum, seu Diuinum, sed etiam contra ius naturale, quale est furtum, & huiusmodi; vel etiam aliquando contra præceptum tantùm Ecclesiæ, casu quo redundaret in contēptum fidei. in quo quidem sensu.

Rodriq. *Alter.* *Duard.* 34 Negant *Rodriq. in add. §.9.n. 95. Alter. to.2. de cens. D.10. C.6. Duard. in Bul. cæn. l.1. C.2. n.7.* & alij; quorum ratio est, quia si metus, aiunt non excusat hominem à culpa, neque excusabit illum à pœna. Confirmant etiam ex *C. sacris 5.* vbi Pontifex ait: *Eum qui communicat excōmunicatis, quamuis ob metum communicet, excommunicatione teneri, &c.*

Nauarr. *Suarez.* *Meroll.* *Auila.* *Vgolin.* *Bardi.* *Auctor.* 35 Affirmant tamen *Nauarr. C. 27. sum. n.63. Suar. de cēs. D.4. se. 3. n.14. Meroll. to.1. D.1. C.3. nu. 122. Auila de cens. p.2. C.6. D.8. d. 5. Vgolin. de cas. reser. p.2. C.1. Bardi p.2. tr.4. C.1. n.37.* alijq; & meritò, nam præcepta Ecclesię non obligant cum tanto dispēdio, vnde siquis ex auditione Missæ die festo, timet v.g. mortem, non tenetur illam tunc audire; proinde operans quis ex metu graui aliquid prohibitum tàm à Iure naturali, quàm ab Ecclesia, quamuis peccet contra dictum ius naturale, quod semper, & ad semper obligat, non peccabit tamen cōtra prohibitionem Ecclesiæ, cùm tunc non vrgeat, (vt dictum est) & per consequens non incurret censuram, quæ soli prohibitioni Ecclesiæ inhæret, atque adeo tale peccatum tunc non erit reseruatum Pontifici, & consequenter poterit à simplici Confessario absolui, si nihil aliud obstabit.

36 Ad rationem autem AA. in cōtrarium satis patet ex dictis; concedo enim tunc non excusari hominem à peccato prout tale opus respicit ius naturale, seu Diuinum, non autem prout respicit ius Ecclesię positiuum; atque adeo excusabitur etiam à pœna Ecclesiastica, nempe cēsura, quæ necessariò supponit inobedientiam, imò contumaciam contrà ipsam Ecclesiam.

37 Ad Confirmationem verò, dico, Ius illud nihil facere contra nos, cum loquatur de metu leui, de quo supra dictum est n.30.

DIFFICVLTAS IX.

An siquis confiteatur aliqua peccata reseruata, absolutio vi bullæ collata tollat reseruationem ab alijs oblitis?

38 Negant *Syluest. V. conf. 1. q. 4. Sayrus l.7. thes. C.14. n. 8. Roßell. V. confes. 2. n.9.* nonnullique alij, qui quamuis de absolutione per Iubileum data loquantur, idem tamen prorsus est dicendum de absolutione vi bullæ data. cuius assertionis ratio esse poterit; quia nequit assignari, vnde absolutio eadem supra reseruata iam confessa tollat reseruationem ab alijs oblitis, & non confessis. *Syluest.* *Sayrus.* *Roßell.*

39 Affirmant tamen *Nauarr. in man. C.26. n.13. Suar. to.4. de pœn. D.31 se.4. n.20. Acosta q.44. Lud. à Cruc. D.1. C.3. d.9. n.6. Trullen. l.1. C.2. §.7. d.3. n.4. Bonac. de pœn. D.5. q.7. p.5. §.5. Ledes. 2. p. 4. q.8. ar.2. d.8. Bardi p.2. tr.7. C.1. n.89.* alijque communiter DD. à quibus quamuis multæ, ac variæ afferantur rationes ad probandum, quomodo absolutio aliquorum reseruatorum tollat reser- *Nauarr.* *Suarez.* *Acosta.* *Trullen.* *Bonac.* *Ledesm.* *Bardi.*

reseruationem etiam ab oblitis, nulla tamen vnquam mihi valida, & efficax visa est.

40 Quarè vt certa ab incertis diuidamus, omninò hic dicendū est, peccata oblita, adhuc reseruata (iuxtà casum positum) posse à quolibet simplici Confessario absolui, etiam transacto tēpore durationis bullæ, seu Iubilei, vi cuius fuerunt alia reseruata absoluta. patet ex supradictis D.1.Q.3.n.35. vbi ostendimus, Confessionem vi bullæ inceptam tempore habili, posse vi eiusdem bullæ perfici, & cōpleri adhuc trāsacto anno eius publicationis: iam qui aliqua peccata confitetur, aliqua verò obliuiscitur, etiamsi absoluatur, nequit tamen istiusmodi confessio dici absolutè completa, cùm adhuc possit compleri, videlicet per aperitionem aliorū peccatorum oblitorum, respectù quorum eadem bulla, qua fuit absolutus, adhuc durare cēsetur, vnde poterit similiter à quolibet simplici Confessario per Ordinarium approbato absolui (dummodo in alia peccata reseruata de nouo non incidat) quod maximè ad rem præsentem facit.

41 Ceterùm, an ista Confessarius absoluat dicta reseruata oblita ex eo, quia adhuc durare censetur eiusdem bullę facultas; an ex eo quia iam sublata sit ab illis reseruatio, vi absolutionis aliorum reseruatorum nō oblitorum, nihil, aut parum facit ad rem nostram; primum tamē probabiliùs videtur; det enim Superior Caio confessario facultatem absoluendi Titium à reseruatis, Titius verò obliuiscatur alicuius reseruati; nonne Titius pro absolutione istius reseruati obliti adire tenetur eundem Confessarium, & non aliū prout voluerit? signum ergò est, absolutionem vnius reseruati non tollere reseruationem ab alio reseruato oblito.

42 E contrà verò, si superior det subdito absolutam facultatem confitendi etiam reseruata, cui voluerit, sicuti Sum. Pontifex eandem dat facultatem sumentibus bullam, vtiquè tunc talis subditus non tenetur eundem Confessarium adire pro reseruatis oblitis, sed quemcunque maluerit in Confessarium sibi eligere, statim eidem cōfert facultatem ipsum absoluendi etiā à reseruatis, & hoc ex vi facultatis à proprio superiore obtētæ, vt dictum est.

43 Quod siquis putet in vtroque casu tolli absolutè reseruationem tàm respectu subditi ex vi facultatis à superiore obtentæ, quàm respectu sumentis bullam ex vi facultatis in eadem bulla concessæ, non in inficias ibo. Ad rationem autem in cōtrarium, patet ex dictis. Sed videamus, an idem dicendum sit in casu, quo nulla fiat mentio reseruatorum.

DIFFICVLTAS X.

An quod suprà dictum est de eo, qui aliqua reseruata confitetur, aliqua verò obliuiscitur, idem dicendum sit de eo, qui nullam mentionem facit de reseruatis?

44 PRæsens Difficultas nihil per me differt à superiori, ac proinde quæ de illa dicta sunt, pro hac etiam valebunt; attamen quia non idē est om-

nium

nium DD. sensus, ideo iuuat illam hic distinctim examinare, ac iuxtà diuersa *DD.* placita separatim discutere.

45 Et quidem conueniunt DD. in casu, quo pœnitens nullam facit mentionem de reseruatis, Confessarius tamen vi bullæ electus absoluat illum ad cautelam etiam à reseruatis, si fortè in illa inciderit, tunc istiusmodi reseruata oblita non esse ampliùs reseruata, atque adeo posse à quocunque simplici Confessario absolui, adhuc transacto tempore durationis eiusdem bullæ. *Discrepant* ergò solùm in casu, quo Confessarius non absoluit illum à reseruatis modo dicto, sed tantùm à non reseruatis iam confessis; quærunt tunc, An etiam desināt esse reseruata.

46 Negant *Suar. D. 31. de pœn. se. 4. n. 18. Vasq. to. 4. in 3 p. q. 91. ar. 3. d. 5. n. 19. Bonac. D. 5. de sacr. q. 7. p. 5. §. 5. n. 3. Trullen. l. 1. §. 7. C. 2. d. 3. n 6. Bardi p. 2. tr. 6. C. 1. nu.* 103. & alij, quorum ratio est, quia absolutio, cùm eam efficaciam habeat, quam recipit ab intentione Confessarij absoluētis, nequit operari vltra intentione, à qua procedit; proinde si intentio Confessarij neq; explicitè, neq; implicitè se extendit ad peccata reseruata, reseruatio non cessabit.

Suar. Vasquez. Bonac. Trullen. Bardi.

47 Affirmant tamen *Nuñus in add. ad 3. p. to. 2. q. 9. ar. 2. d. 4. Reginal. to. 1. prax. l. 8. n 99. Coninb. de sacr. D. 8. d. 12. n. 98. Molfes. to. 1. sum. tr. 7. C. 21. n. 25. Lud. à Cru. D. 1. C. 3. d. 12. Diana p. 11. tr. 2. res.* 39. & alij, quorum ratio est, quia nullus est Confessarius, qui non intendat absoluere quantū potest (sed Confessarius vi bullæ electus potest absoluere à reseruatis, ergò ab illis de facto absoluit, & sic tollit ab eisdem reseruationem.

Nuñus. Reginal. Coninb. Molfes. Lud. à cr. Diana.

48 Dicendum omninò est (iuxtà supradicta n. 40.) posse huiusmodi peccata reseruata absolutè oblita absolui à quolibet simplici Cōfessario, adhùc transacto tempore durationis bullæ vi cuius absoluta fuerant alia nō reseruata; patet, nam omninò certum est Confessionem vi bullæ inceptam tempore habili, posse vi eiusdem bullæ perfici, & compleri, adhùc transacto anno illius publicationis, & coram quolibet simplici Confessario, prout supra ostensū est D. 1. Q. 3. n. 35.

49 Iam dicta confessio, in qua solùm non reseruata confessa sunt, non autem reseruata, nequit absolutè dici cōfessio completa (vt patet) cum adhuc possit compleri aperitione reseruatorum iam oblitorum, ergò poterit compleri coram quolibet simplici Confessario, adhuc transacto tempore durationis bullæ, vi cuius fuit incepta talis confessio, dataq; fuit absolutio de peccatis non reseruatis.

50 Ceterùm, an ista peccata reseruata oblita possint absolui tunc à quolibet simplici confessario ex eo, quia adhuc durare cēsetur eiusdem bullæ facultas; an ex eo, quia iam sublata sit ab illis reseruatio, parum refert; primum tamen probabilius videtur, iuxtà supradicta n. 41. ad quæ me nunc remitto. An verò idem dicendum sit, si talis obliuio fuerit culpabilis dicecemus infrà.



DIF-

DIFFICVLTAS XI.

An per confessionem, & absolutionem informem quamuis validam, siue absolutè inualidam, tollatur reseruatio?

51 DOctores, qui admittunt, dari posse Sacramentũ Pœnitentiæ validũ, & informe, communiter etiam affirmant, per huiusmodi Sacramentum tolli vi bullæ etiam omnis reseruatio. Et meritò, nam posita validitate sacramenti, informitas non destruit essentiam eiusdem Sacramenti, atque adeo habetur totum id, sub quo conceditur vi bullæ facultas absoluendi à reseruatis.

52 Controuertitur ergò solùm, An per confessionem absolutè inualidam tollatur reseruatio vi bullæ Cruciatæ.

Ledesm. Acosta. Villalob. 53 Negant *Ledesm. to. 1. sum. tr. de pœn. C. 13. concl. 2. d. 7. Acosta q. 45. Villalob. to. 1. tr. 27. clausul. 9. §. 2. n. 6.* & alii loquentes circa hoc in ordine ad Iubileum; vtrobique enim eadem militat ratio.

Rodriq. Lud. à cr. Trullen. 54 Affirmant tamen *Rodriq. §. 9. d. 4. n. 47. Lud. à Cruc. D. 1. C. 3. d. 12. n. 4. Trullen. l. 1. §. 7. C. 2. d. 3. n. 9.* & alij vniuersaliter loquentes de confessione facta coram Sacerdote habente iurisdictionem concessam vel in sui, vel in pœnitentis gratiam.

Bonac. Bossius. B. à S. F. 55 At *Bonac. D. 5. de sacr. q. 7. §. 5. n. 9. Bossius de trip. Iub. se. 1. cas. 34. Bart. à S. Faus. l. 4. de Ind. & Iub. q. 40.* & alij docent, per confessionem inualidam tolli reseruationem à censuris, & peccatis, quæ ob connexionem cum censura, & dependenter ab illa sunt reseruata, at non tolli reseruationem à peccatis, quæ ratione sui immediatè & non ratione censuræ sunt reseruata.

56 Dicendum omninò est iuxtà principia à nobis suprà iacta, precipuè D. 1. Q. 3. n. 45. eum, qui absolutus vi bullę fuit etiam inualidè, tempore tamen habili, & ex culpa ipsius pœnitentis, posse à quolibet Confessario absolui, adhuc transacto tempore durationis eiusdem bullę, vi cuius fuit sic absolutus, & absque noua bulla, etiam à casibus reseruatis; patet ex dictis lo. ci. nam huiusmodi confessio est absolutè incepta, ergò poterit adhuc transacto tempore durationis eiusdem bullæ compleri.

57 Ceterùm, an iste possit absolui à quolibet simplici confessario ex eo, quia adhuc durare cẽsetur tunc eiusdem bullæ facultas, an ex eo, quia iam sublata sit reseruatio ratione talis absolutionis, nihil refert; primum tamen probabilius videtur, iuxta ea, quæ dicta sũt n. 41. ad quæ me in præsenti remitto.

58 Dixi tamen, si inualidas dictæ absolutionis prouenerit ex culpa pœnitentis, vt si non habuerit perfectum dolorem, seu sufficiens propositum, vel culpabiliter cælauerit aliquod peccatum graue, &c. secùs autem si prouenerit ex culpa confessarij vt si is fingat esse confessarium, reuera non esset, quia tunc non esset incepta causa coram legitimo Iudice, atque adeo nõ posset dici causa absolutè incepta, nisi materialiter iuxta dicta lo. ci. n. 46.

DIF-

DIFFICVLTAS XII.

An quis possit absolui à casibus Pontifici reseruatis vi Bullarum præteritarum, si illis quoad hũc effectum nunquam sit vsus?

59 CAsus iste ita formari põt: sumat Titius hoc anno bullam, vi cuius absoluatur iam à casibus reseruatis; sed iterùm incidat in eosdem casus reseruatos, à quibus similiter absoluatur sumendo secundam bullam; incidat tertiò hoc eodem anno in eosdem casus reseruatos, quærimus hic, An Titius possit absolui ab istis reseruatis vltimò commissis, vi alicuius bullæ superioribus annis sumptæ, qua nunquam vsus est circa absolutionem à casibus Pontifici reseruatis, cùm nequeat tertiam bullã accipere; vt supponimus.

60 Affirmant *Nauar. in cons. l. 5. de priuil. cons. 17.* nonnulliq; alij; quorum ratio est, quia per publicationem cuiuscumque nouæ bullæ, aiunt, quamuis suspendantur omnia alia priuilegia, & gratiæ similes, ac dissimiles Cruciatæ, attamen iterùm eædem reualidantur in ordine ad eum, qui talem nouam bullam sumpserit, & sic videntur reualidari omnes bullæ præteritæ, quæ cùm non fuerint sortitæ effectũ circa absolutionem à reseruatis, poterit dictus Titius vi earumdem bullarum præteritarum absolui à dictis reseruatis.

61 Negant tamen *Trullen. l. 1. S. 9. C. 2. d. 3. Rodriq. S. 12. n. 2. Bardi p. 2. tr. 6. C. 1. n. 11.* alijq; communiter DD. & meritò, nam per publicationem nouæ bullæ omninò extinguitur valor bullæ præteritæ (vt patet ex supradictis D. 1. Q. 3. à n. 27.) eò quia bullæ priuilegia, ac gratiæ omnes pro vno solo anno concedantur, hoc est pro toto eo temporis spatio intermedio inter vnam, & alteram eiusdem Cruciatæ publicationem; quarè publicata noua bulla, ad nihil ampliùs valebũt bullæ præteritæ, neque quoad absolutionẽ, neq; quoad indulgẽtias, &c. *Trullen. Rodriq. Bardi.* *Carolus Latius in Bull. Cruc. Auctor.*

62 Ad rationem autem AA. in contrarium Dico, suspensionẽ ex vi publicationis nouæ bullæ, eiusque reualidationem non posse cadere suprà bullas preteritas, cum he iam extinctæ sint (vt dictum est) sed cadere supra priuilegia, indulta, ac gratias extrà bullam ipsam concessas, quarum valor cùm vigeat, vtiquè erit capax ex suspensionis, & reualidationis.

DIFFICVLTAS XIII.

An facultas absoluendi à reseruatis sit intelligenda de solis peccatis ante susceptionem bullæ commissis, an etiam de futuris?

63 SOtus de iust. l. 8. q. 4. ar. 3. & aliqui alij putant, facultatem vi bullę concessam extendi solùm ad peccata commissa ante ipsius susceptionem; & idem asserunt de absolutione à censuris, ac facultate commutandi Vota (vt infra videbimus;) eò quia, aiunt, videtur inconueniẽs dare potestatem absoluẽdi peccata non adhuc cõmissa, seu censuras nõ adhuc incursas, &c. *Sotus.*

 Abso-

Rodriq. Sanch. Angles Villa.ob. Palaus. Trullen. Diana. Bardi. Auctor.

64 Absolutè tamen affirmant *Rodriq.§.9.n.95 Sanch.to.1.sum. l.4.C.53.n.26. Angles in sum. q. de confes.ar.5.d.3. Villalob. p. 1. tr.27.claus.9.§.2.n. 6. Palaus to. 1.tr.3.D.4.p.11.n.8.Trullen.l.1. §.7.C.2.d.3.Diana p.1.tr.11. res. 17.Bardi p. 2. tr. 6.C.1.num.46.* aliiq; communiter DD. & meritò, nam verba bullæ, quibus dicta facultas conceditur, sunt generalia, ergò nō sunt restringenda ad sola peccata commissa ante, & non post publicationem, seu susceptionem ipsius bullæ. & idem dicendum de facultate absoluendi peccata, seu censuras vi Iubilei concessa.

65 Ad rationem autem in contrarium Nego, esse incoueniens dare facultatem absoluēdi peccata nondum commissa, cū de facto Ordinarij satis cōmuniter cōmunicant Confessarijs potestatē absoluendi peccata etiam non adhuc commissa; similiter Princeps absque vllo inconuenienti, imò satis prudenter, delegant Iudicibus potestatem castigandi delicta etiam non adhuc patrata; ita & in casu nostro, præsertim cum potestas hæc bullæ sit priuilegium fauorabile.

DIFFICVLTAS XIV.

An vi bullæ possint absolui toties casus Papales, quoties specie differunt?

66 VI vnius, & eiusdem bullæ nequeunt absolutè absolui casus Papales, ac toties, quoties, sed semel tantùm in vita, & semel in articulo mortis; ita .n. expresse in eadem bulla habetur his verbis: *& ab eo quorumcumq; peccatorum, & censurarum, etiam Sedi Apostolicæ, & in bulla cœnæ Domini reseruatorum, & reseruatarum, plenariam Indulgentiam, & remissionem semel in vita & semel in mortis articulo; aliorum verò Sedi Apostolicæ nō reseruatorum, ac reseruatarum toties quoties confitebuntur, absolutionem, & remissionem obtinere, &c.*

67 Quarè, siquis vi bullæ semel absoluatur à casibus Papalibus, si iterum incidat in eosdem casus reseruatos, nequit iterum vi eiusdem bullę absolui ab huiusmodi casibus Papalibus, nisi alteram bullam sumat, vi cuius poterit etiam semel tantùm similiter ab illis absolui, & hoc ex speciali concessione Gregorij XIII. nequit autem tertiam bullam sumere, vt similiter possit vlteriùs à dictis reseruatis absolui, vt suprà etiam innuimus: His positis.

68 Putarunt aliqui, quòd siquis sumat bullam, vi cuius absoluatur ab hoc casu Papali, v.g. à Simonia commissa in adeptione Beneficij ecclesiastici: si iterum is incidat in alium casum Papalem diuersum specie ab alio, à quo fuit absolutus, vt si v.g. exigat Tributa ab Ecclesiasticis contrà sacros canones, vtiquè (dicunt isti) poterit is vi eiusdē bullę similiter absolui ab hoc alio casu Papali; atq; adeo, per istos DD. Ly. *semel* non cadit supra absolutionem, & genus reseruatorum, sed suprà eorum species: ita vt sensus sit, quòd quælibet species reseruatorum possit semel in vita, & semel in morte absolui vi vnius, & eiusdem bullę, intra tamen annum eiusdem durationis.

At

Rodriq. Lud. à cr. Trullen. Bardi.

69 At *Rodriq.* §. 9. *d. vnic. n.* 35. *Lud. à Cruc. D.* 1. *C.* 3. *d.* 13. *n.* 1. *Trullen. l.* 1. §. 7. *C.* 2. *d.* 3. *n.* 2. *Bardi p.* 2. *tr.* 6. *C.* 1. *n.* 6. alijq; communiter DD. docent, Ly. *semel* cadere supra absolutionem vt sic, ac genus peccatorum reseruatorum. Et meritò, nam Sum. Pontifex (vt consideranti patebit) non ait, quòd sumens bullam possit à quibuscunque peccatis reseruatis semel in vita & semel in morte absolui, sed absolutè à reseruatis, atq; adeo vt sic, ac genericè sumptis possit vi bullæ semel in vita, & semel in morte absolui; ac proinde semel quis vi bullæ absolutus à casibus Pontifici reseruatis, nequit ampliùs vi eiusdem bullæ similiter absolui à reseruatis, nisi vi alterius bullæ, vt dictum est.

70 Adde secundùm opinionem oppositam, siquis incideret bis in eundem specie casum reseruatum, v.g. in dictam Simoniam vtiquè is neque semel posset vi bullæ absolui: patet, non enim potest absolui ab vno, quin etiã ab alio absoluatur; quare si absoluatur sanè bis absolueretur ab eadem specie peccati reseruati vi vnius & eiusdem bullæ, quod est apertè contra tenorem cõcessionis eiusdem bullæ. Restat nunc videre, quomodo Ly. *semel* sumi debeat in articulo mortis.



DIFFICVLTAS XV.

An dicta facultas bullæ semel absoluendi à casibus Papalibus in vero articulo mortis, valeat etiã pro articulo mortis, tãtum præsum. pto?

71 QVomodo verus articulus mortis differat ab articulo mortis tantùm præsumpto, fusè dictum est suprà D. 4. Q. 5. à n. 6. Quarè hic breuiter dico, Articulum mortis verùm, seu realem esse, quoties mors intrà aliquod breue temporis spatium, spectato naturæ cursu, est certa, & ineuitabilis; Articulus autem mortis tantùm præsumptus est, quoties secundùm prudentum hominũ existimationem, satis parua spes vitæ remanere videtur, etiamsi reuera ita non sit. His positis.

72 Quærimus hic. An vi bullæ possint absolui casus Papales nõ solùm in vero mortis articulo, verùm etiam in præsumpto.

73 Negant *Acosta q.* 51. omnesq; illi, qui absolutè putant, omnia, & singula Cruciatæ priuilegia esse odiosa, & consequenter restringenda ad solùm verum, ac realem mortis articulum. *Acosta.*

74 Affirmant tamen *Nauar. in man. C.* 2. *n.* 8. *Gabriel.* 4. *D.* 45. *q.* 4. *ar.* 3. *d.* 1. *Lud. à Cru. D.* 1. *c.* 3. *d.* 16. *Syluest. V. Indul. q.* 10. *n.* 25. & alij communiter DD. ac meritò, primò quia sub Articulo mortis vt sic, & genericè sumpto venit ex æquò tàm articulus mortis verus, quàm præsũptus: vnde Sacramẽtũ Extremæ Vnctionis cõferẽdũ in mortis tãtũ arti- *Nauarr. Gabriel. Lud. à cr. Syluest.*

articulo applicatur etiã in articulomortis presũpto; cũ igitur vi bullæ cõcedatur facultas absoluendi reseruata in mortis articulo vt sic, & genericè, consequenter æquè benè absolui poterunt tàm in articulo mortis verò, quàm in articulo mortis præsumpto; vt in simili etiã supra diximus lo.ci.

75 Probatur secundò, nam vi bullæ possunt similiter absolui casus Papales etiam in mortis periculo (vt infrà dicemus) ergò multò magis absolui poterunt in articulo mortis præsũpto. pro quo sit.

DIFFICVLTAS XVI.

An vi Bullæ possint absolui casus Papales etiam in mortis periculo?

76 PResens Difficultas non procedit in sententia eorum, qui confundunt mortis periculum cum articulo mortis presumpto, sed in eorum sententia, qui hec duo distingunt, vt verè distinguenda sũt; nam periculum magis remotè se habet ad mortem, quàm articulus adhuc presumptus, hic enim aliqualem spem vite importat, (vt dictum est) periculum autem mortis tunc solùm dicitur haberi, quoties quis in his, aut illis inuenitur circumstantijs, ex quibus prudenter mors timetur, magis tamen remotè, vt diximus; vt si quis febri malignà laboraret, aut alio periculoso morbo, seu vulnere graui: vel si infirmis contagiosis inseruiret, vel ad bellum proficisceretur, vel longam iniret nauigationem, vel si ab inimico acriter ad necẽ quereretur, &c.

In his igitur, ac similibus circũstantijs querimus hic, An vi bulle possint absolui casus Papales, vt in articulo mortis dictũ est.

77 Negant *Rodriq. §. 9. num.38. Acosta q.51.ci.* ijque omnes cõsequenter, qui hoc ipsum negant in articulo mortis tantùm presumpto. *Rodriq. Acosta*

78 Affirmant tamen *Trullen.l. 1.§.7.C.2.d.4.n.2. Merolla to. 2. D.4.C.6.d.2.corol.3.nu.92.Bardi p.2.tr.6.C.6.n.17.* alijque, & meritò, nam (vt in simili suprà diximus D.4.Q.5.n.13.) in multis iuribus indiscriminatim sumũtur articulus mortis, & periculum mortis, ergò non est, cur potestas hec bulle absoluendi à casibus Papalibus in articulo mortis, non possit extendi similiter ad periculum mortis presertim cùm talis potestas sit vnum ex priuilegijs bulle fauorabilibus, vt patet ex supradictis D.1.Q.1.n.10. An verò per bullam vi presentis priuilegij concedatur aliquid vltrà ius commune, dicetur Diff.sequenti. *Trullen. Merolla. Bardi. Auctor.*

DIFFICVLTAS XVII.

An per Bullam concedatur aliquid speciale supra ius cõmune circà absolutionem à reseruatis in articulo mortis?

79 RAtio dubitandi pro parte negatiua est, quia in articulo mortis quilibet simplex Sacerdos potest absoluere ab omnibus Censuris, & casibus reseruatis, etiam ab Hæresi exteriori, & hoc absq; priuilegio sed de solo iure cõmuni, vt cõstat ex *Trid.se.14.C.7.* ac proïde

dum

dum per bullam cōceditur facultas hæc absoluendi reseruata similiter in eodem articulo mortis, nihil prorsus concedi videtur supra id, quod per ius commune conceditur.

Rodriq. Trullen. Lud. à cr. Bardi. Auctor.

80 Affirmant tamen *Rodriq. §. 9. num. 36. Trullen. l. 1. §. 8. C. 2. d. 5. n. 12. Lud. à Cruc. D. 1. C. 3. d. 14. n. 2. Bardi p. 2. tr. 6. C. 6. nu. 3.* & communiter DD. & meritò, primò quia, licèt quilibet absq; bulla, aut alio priuilegio, possit in mortis articulo absolui ab omnibus reseruatis etiam, & cēsuris, attamen sic absolutus si conualescat, tenetur se præsentare suo competenti superiori, aliter iterum incurret eandem excommunicationem, à qua fuit absolutus, èx decreto Bonifacij VIII. *in c. eos qui de sent. excomm. in 6.* è contra verò vi bullæ Cruciatæ absolutus, ad nihil aliud prorsus tenetur, ergò per hoc bullæ priuilegium aliquid speciale supra ius commune circa absolutionem à reseruatis conceditur, etiam pro articulo mortis.

81 Secundò quia, si in articulo mortis adesset Sum. Pontifex, aut Episcopus, quibus casus reseruantur, non posset de iure communi quilibet Confessarius absoluere casus eisdem reseruatos; vi autem bullæ, adhùc Papa, vel Episcopo præsente, posset quilibet Confessarius, ab Ordinario tamen approbatus (iuxta supradicta) absoluere priuilegiatum etiam à reseruatis.

82 Tertiò quia licèt quilibet simplex Sacerdos possit de iure communi in articulo mortis absoluere omnia peccata quoad culpam, nequit tamen quoad omnem pęnam peccatis cōmissis debitam: è conuerso, qui in articulo mortis vi bullæ absoluitur; non solùm quoad culpam absoluitur, verùm etiam ab omni pœnà peccatis debità liberatur, eò quia per absolutionem vi bullæ datam, conceditur etiam tunc Indulgentia Plenaria, vt suprà dictum est D. 4. Q. 5. per totam. Ad rationem verò dubitandi patet ex dictis.

DIFFICVLTAS XVIII.

An vi bulla possint absolui casus Papales toties quoties, si fuerint occulti?

83 Affirmant *Sanch. in decal. l. 4. C. 54. n. 27. & Trullen l. 1. §. 7. C. 2. d. 6. n. 5.* quorum ratio est, quia ex vna parte vi bullæ possunt absolui casus Episcopales toties, quoties: ex altera verò parte aiunt, casus Papales eo ipso quòd sunt occulti, fiunt Episcopales; hoc autem probant ex eo, quia Episcopi possunt absoluere casus Papales quoties erūt occulti ex *Trid. ses. 24. C. 6. de Refor.* atque adeo vi bullæ poterunt similiter absolui huiusmodi casus toties quoties, si fuerint occulti. Dicuntur autem hi casus occulti, non solùm quando sunt ita secreti, vt nequeāt probari in foro externo, verùm etiam quando, licèt probari possint in foro contentioso nempè si duobus, vel tribus innotescerent, non erunt tamen publici, seu manifesti.

84 Negant tamen *Rodriq. §. 9. n. 118. Riccius in add. ad §. 9. n. 36. Bañes in 2. 2. q. 64. ar. vlt. Herriq. l. 6 sum. C. 14. n. 7. Lud. à Cruc. D. 1. C. 3. d. 13. n. 3. Fernand. p. 3. exam. C. 9. §. 9. n. 1. Ledesm. to. 1. sum. tr. de pœn. C. 13. concl. 2. d. 1. Villalob.*

Rodriq. Riccius. Bañes. Herriq. Lud. à cr. Fernand. Ledesm.

Villalob. Vega. Bardi. *Villalob.to.1.sum.tr.27.claus.9. §.2.n.5.Vega to.1.sum.V.absol. cas.39.Bardi p.2.tr.6.C.1.n.87.* Auctor. alijque communiter DD.& meritò, nam ex vna parte huiusmodi casus absolutè, & absque vlla limitatione reseruantur Sũ. Pontifici: ex altera verò parte nequit probari, quando esse occultum tollat ab illis reseruationem, ergò nequeunt vi bullæ absolutè absolui, sed tantùm semel in vita, & semel in morte, modo explicato.

85 Ad rationem autem AA. in contrarium Nego primo, posse Episcopos absoluere casus in bulla cœnæ contentos adhuc occultos, nam iuxtà probabiliorem, & communiorem sententiam, per publicationem bullæ cœnæ sublata est Episcopis potestas circa casus contentos in eadem bulla cœnæ, & sic corruit totum fundamentum contrariæ opinionis. Dico tamen secundò, adhuc dato, posse Episcopos absoluere huiusmodi casus dum erunt occulti, non inde tamen benè inferri, tales casus ex hoc fieri Episcopales; nam Episcopi ex eodem Tridentino C.ci. possunt similiter absoluere suos subditos ab Hæresi occultà,& tamen nemo vnquam ausus est dicere, Hæresim occultam esse casum Episcopalem; ergo ex eo præcisè, quòd casus Papales possint absolui ab Episcopis, dum erunt occulti, nequeunt dici casus Episcopales, sed absolutè Papales, & consequenter non poterunt vi bullæ absolui, nisi semel in vita, & semel in morte.

86 Et ratio veluti à priori est, quia casus Episcopales est ille, in quem Episcopus plenam, & absolutam habet potestatem, non autem dimidiatam: similiter casus Parochialis debet dici ille, in quem Parochus plenam habet potestatem absoluendi; vnde si Episcopus concederet Parochis, adhuc per Synodum, casus sibi reseruatos cum aliqua limitatione, tunc non fierent casus Parochiales, sed absolutè essent adhuc Episcopales; sicuti ex eo, quod Episcopi possint dispensare aliquando in Votis etiam Papæ reseruatis, & impedimentis etiam dirimentibus quoties periculum est in mora, & non facilis pateat aditus ad Sum. Pontificem, non adeo huiusmodi Vota desinũt esse Sum. Pontifici reseruata, neque impedimenta dirimentia ex hoc dicuntur ab Episcopis dispensabilia.

DIFFICVLTAS XIX.

An vi Bullæ possint absolui peccata commissa in cõfidentiam eiusdem Bullæ?

87 NEgant *D. Anton. p.1.tit.10.C.3.§.4. Cordub. de cas. consc.q.22 Felin.to.3.de Indul.n.3.Lopez in inst.C 8. Gomez ad 11.claus.n.5.Armill.V.Indul. in fin.*& alij; primò quia *ex C. Nulli, de sent. excom.* alijsq; locis colligunt DD.non valere priuilegium, quod aut præbet materiam delinquendi, aut reddit homines audaciores ad peccandum; ad quod facit etiã commune exioma: *Qui abutitur priuilegio, priuatur eo.* Secundò quia, dicũt, qui delinquit propè ecclesiam spe immunitatis, non gaudet immunitate; & qui peccat cum consanguinea spe matrimonij, priuatur spe dispensationis, ergò similiter qui D. Ant. Cordub. Felin. Lopez. Gomez. Armill.

peccat

peccat ex fiducia bullæ, eiusdē priuilegio priuandus erit.

88 Affirmant tamen *Rodriq.§.9. n.99. Suar.to.2.de rel.l.6.C.13.n. 6. Sanch.l.4.sum.C.54.n.18. Nauar.de Iub. notab.34.n.4. Syluest. V. Indul.q.10.d.5. Fillue.to.1.tr. 8.C.10.q.8.n. 262. Lud. à Cruc. D.1.C.1.d.5.n.5. Trullen.l.1.§.1. d.9.n.5. Bardi p.2.tr.6.C.1.n. 51.* alijque communiter DD. & meritò, primò quia huiusmodi peccata in confidentiam bullæ commissa non excipiuntur in hoc priuilegio, prout de facto excipitur Hęresis, ergò neq; nos illa excipere debemus. Secūdò quia peccata commissa & fiducia Confessionis, seu Baptismi, remittuntur per eadem Sacramenta; similiter Regulares peccantes ex fiducia suorum priuilegiorum, per hæc eadem absolui possunt; ergò vi bullæ absolui etiam poterunt peccata ex fiducia eiusdem bullæ commissa.

Rodriq. Suarez. Sanch. Nauarr. Syluest. Fillue. Lud à cr. Trullen. Bardi. Auctor.

89 Ad primam autem rationem AA. in contrarium ex iure desumptam Dico, doctrinam illā valere circà priuilegium, quod ex natura rei, & non ex vitio priuilegiati occasionem prebet delinquēdi, aliter omnia priuilegia essent è mundo extirpanda. Ad axioma etiā iuris respōdetur, quòd sicut peccator (vt benè ait D. Augustinus) est indignus pane, quo vescitur, & tamen actu non priuatur illo; ita & qui pretextu priuilegij peccat, dignus sanè est eo priuari, non actu tamen priuatur, nisi id ipsum in eodem priuilegio exprimatur.

90 Ad secundam verò à parte desumptam Nego primò, non gaudere immunitate Ecclesiæ eum, qui ob eius fiduciam propè Ecclesiam delinquit; nam post bullam Gregorij casus iste non est exceptus. Dico secundò, adhuc dato, quòd peccans ex fiducia immunitatis propè Ecclesiam, non gaudeat immunitate; quid contra nos? istud enim excipitur, hoc autem ex fiducia bullæ, minimè; vnde argumentari à pari in rebus positiuis, omninò inutile est, nam cùm omninò dependeant à voluntate hominū legem imponentium, vtique pro eorumdē arbitrio aliqua excipiuntur, aliqua verò non.

DIFFICVLTAS XX.

An si Sum. Pontifex reseruet sibi casum cum clausula, vt nequeat neque vi Cruciatæ *absolui, possit tamē, hoc non obstante, vi Cruciatæ absolui?*

91 PRæsens Difficultas de facto habuit locum in motu proprio Sixti V. edito an. 1588. qui incipit, *effrænatam*; vbi fulminando excommunicationē contra causantes, vel consulentes aborsum, illam sibi soli reseruauit, cum clausula, vt neque vi bullæ Cruciatæ valeant absolui.

92 Et quidem conueniunt DD. huiusmodi casum, mortuo Pōtifice, qui illum sibi soli reseruauit modo dicto per motum proprium, posse hoc nō obstāte absolui per bullas à successoribus concessas cum eadem amplitudine, & derogatorijs, quæ nunc de facto in bulla continetur. Et meritò, nam Pontifex, qui sibi casum reseruauit, non potuit restringere potestatem Pontificum succedentium

tium, ac proinde cùm ij omnes de facto irritent omnia ipsorū bullis contraria, vel talem potestatem concedant Commissario Generali bullæ, consequens est, vt asseramus per bullas subsequentes derogari motui proprio Prædecessoris.

93 Conueniūt similiter DD. adhùc viuente Pontifice, qui motum proprium edidit, per bullas subsequentes abrogari Motum proprium contrarium. & meritò, nam Sum. Pontifex dū scit, quid in suo Motu proprio contineatur, & cum toto tamen hoc, concedit bullam cōtinentem clausulas efficaces ad derogandum omnibus alijs in contrarium, inter quę est suus Motus proprius, vtiquè dicendum consequentèr est, eum velle, saltem implicitè, ipsi proprio motui derogare; lex enim posterior abrogat priorē priorem cōtrariam, quamuis de illa expresśam non faciat mentiónē, *ex c.1.de constit.& Glossa ibi.*

94 Controuertitur ergò solùm; An vi bullę Cruciatę antecedētis absolui possit huiusmodi casus reseruatus in motu proprio subsequenti? in quo etiam sensu.

Herriq. Trullen. Lud.à cr.

95 Affirmant *Herriq. in sum.l.6. C.10.Trull.l.1.§.7.C.2.d.8.n.5. Lud.à Cru.D.1.C.4.d.6.num.7.* nonnulliq; alij; quorum ratio est, quia Commissarius Generalis potestatem habet reuocādi, quę sunt bullę contraria, eaque absolutè suspendendi, quamuis habeant clausulam cōtrariam tali suspensioni.

Rodriq, Bardi.

Auctor.

96 Negant tamen *Rodriq. in add.ad §.9.n.57.Bardi p.2.tr.6.C.1. n.134.* & alij. ac meritò, nam Sum.Pontifex dum scit facultatem à se in bulla ruciatę concessam suo Commissario Generali, & tamen condit Decretum cum Clausula expresśè derogante eidem bullę in ordine ad reseruationem alicuius casus, vtiquè necessariò censendum est, eum efficaciter velle limitare priorem bullā, & consequēter potestatem Commissarij in ordine ad eundem casum, alioqui omninò inutile redderetur tale Decretum, ac nullius valoris, atq; adeo satis imprudēter se gereret Pontifex condendo legem, quam certò scit, fore statim irritandam à suo Delegato, quod minimè pręsumendum est in magno Principe, nedùm in supremo Ecclesię Capite.

97 Ad rationem autèm AA. in contrarium Nego, posse Commissarium suspendere Motum proprium Sum. Pontificis subsequentem, nam Pontifex per Motum subsequentem limitat potestatem Commissarij quantū satis est, ne talis Motus impediatur, & hoc ne inutilis, & ridicula talis reseruatio reddatur.

98 Atque hęc satis sint circa absolutionem à casibus Sum.Pontifici reseruatis, vi bullę Cruciatę, sine qua, seu alio simili priuilegio, qui illos absoluere pręsumpserit, nihil faciet, ac statim in excōmunicationē incidet, quamuis Pontifici non reseruatam. Ceterùm An Regulares vi suorum priuilegiorum possint absoluere dictos casus Papales, seu Episcopales, in materia de Penitentia, Deo dante, agemus.

QVAE-

QVÆSTIO II.

De Asolutione ab Hæresi.

QVamuis Hęresis absolutè in bulla excipiatur, attamen quia Baptizatus multiformiter negare potest Fidei veritatem, (in quo hęresis cõsistit) ideo in pręsenti Quęstione videndum est primò, an crimen hęresis sit ita reseruatum, vt nunquam vi bullæ absolui possit: secundò, an idem dicendum sit de alijs peccatis Hęresi annexis. sit ergò.

DIFFICVLTAS I.

An Hæresis purè mentalis possit vi Bullæ absolui?

1 HAEresis purè mentalis, seu interna est illa, quę in solo intellectu manet, velutī fętus in vtero Matris, & nõ adhùc in lucē prodijt, hoc est, nõ adhùc manifestata est neq; per verba, neque per nutus, aut signa, seu per aliquem alium actum externum; de hac igitur in pręsenti quęrimus, An possit vi bullæ absolui.

2 Negant nonnulli Canonistę, dum absolutè volunt, eam Sum. Pontifici esse reseruatam (vt super Q. n. 17. innuimus) & probari potest ex eo, quia hìc Sum. Pontifex absolutè excipit crimen Hęresis, atque adeo non solùm Hęresis externa non poterit vi bullę absolui, sed neque interna, ac purè mentalis.

3 Affirmant tamen *D. Anton. 3. p.* (margin: *D. Anto.*) *Carolus Latius in Bull. Cruc. tit. 11. Caiet. 2. 2. q. 11. ar. 3. Nauar. in Sum. C. 27. n. 56.* (margin: *Caiet. Nauarr. Auctor.*) alijq; cõmuniter DD. asserentes, hęresim purè mentalem, seu internam non esse reseruatam, atque adeo posse non solùm vi bullę, aut alio priuilegio, sed etiam à quocunque simplici confessario absolui. Et meritò, nam pœnę externę ad externum forũ pertinentes, cuiusmodi est excommunicatio, solum actum perfectum, & consequenter externè etiam consummatum per se afficiunt; & præsertim quia reseruatio vt odiosa, & consequēter restringenda, ad sola peccata in suo genere completa extendenda est.

4 E contrà, propter hanc eandem rationem, cõueniunt DD. non posse vi bullæ nullo modo absolui hæresim externam, hoc est per verba, vel per aliquem externum signum manifestatã; adde quamuis de reliquo sit occulta, neque possit in foro externo, seu contentioso probari, nam esse occultum non auget, neque minuit intrinsecam perfectionem actus. Ceterùm, quæ nam verba, seu signa sufficiant ad hoc, vt Hæresis dici possit externa, & consequenter non possit ampliùs vi bullæ absolui, dicetur infra, à n. 10.

5 Ad rationem verò dubitandi, patet ex dictis; ex quibus etiam patet, posse vi bullæ, imò à quolibet simplici confessario absolui Apostasiam purè mentalem, seu merè internã, adhuc propriè dictã, nempè Apostasiam à fide, secùs autem si fuerit etiam externa. An verò possit similiter absolui Apostasia tantùm externa, seu Hæresis similiter tantùm externa, dicemus Diff. sequenti.

DIFFICVLTAS II.

An vi Bullæ absolui Apostasia tantùm externa, & similiter Hæresis purè materialis?

6 NOn loquimur hic de Apostasia impropriè dicta, nempè ab aliqua Religione, vel ab obedientia Sum. Pontificis, sed de Apostasia propriè dicta, nempè à fide Catholica; quod tripliciter contingere potest; primò cùm quis Baptizatus post professionem veræ Fidei transit ad aliquam Ethnicorum sectam, seu Idolis cultũ exhibet animo verè apostatandi; quam Apostasiam, iam diximus, non posse vi bullæ absolui, si semel talis animus apostatandi verbis, seu signis, aut factis externetur, modo infrà dicendo. Secundò si quis verum habeat animum apostatandi, illũ tamen vnquam neque verbis, neque signis externauit, vtiquè is poterit non solùm vi bullæ absolui, verùm etiam à quolibet simplici Confessario, prout dictum est.

7 Contingere tertiò potest, vt quis interiùs sit verè fidelis, attamen exteriùs siue ex metu, siue ex interesse, seu ex aliquo alio fine exhibeat Idolis cultũ, siue similiter exteriùs profiteatur Iudaismum, seu Paganismũ, seu aliquem alium contrà fidem errorem; seu illum siue ex ioco, siue ex ignorantia crassa tãtùm oretenus, & exteriùs tantùm proferat, vel signis significet, quod propriè dicitur Apostasia seu Hæresis materialis. de hac ergò quærimus hic, An possit vi bullæ absolui. Ratio autem dubitandi pro parte negatiua est, quia Illustrissimi Inquisitores talem puniunt tãquam Hæreticum.

8 Affirmant tamen communiter DD. & meritò, nam reseruatio vt odiosa, & consequenter restringenda, vtiquè ad sola peccata ex suo genre perfecta extendi debet; huiusmodi autem Apostasia, seu Hæresis materialis est in suo genere satis imperfecta, (vt ex hęresis definitione patet) imò imperfectior quàm Hæresis purè mentalis; nam hæresis materialis potest esse absq; vlla culpa, vt si quis omninò inaduertenter aliquam propositionem hæreticalẽ proferat hæresis verò mentalis minimè; quare si hæresis purè mẽtalis potest à quolibet simplici Confessario absolui, multò magis poterit similiter absolui hæresis materialis, seu externa tantùm, vt dictum est. *Auctor.*

9 Ad rationem verò dubitandi in contrarium concedo, à sacro Tribunali meritò puniri ista delicta æquè ac veram hæresim, sed hoc nihil facit ad rem, nam forum internum est lõgè diuersæ rationis, quàm forum externum; hoc .n. semper præsumit, actus externos prouenire ab actu interno; forũ verò internũ minimè, sed sumit, ac punit actus humanos æquè ac in se sunt. hæresis ergò, quę nequit vi bullę absolui est hęresis interna sufficienter exteriùs manifestata per verba, seu signa, & dicitur absolutè hęresis, seu hęresis formalis. Iam verò videamus per quęnam verba, vel signa Hęresis interna externetur ita, vt ampliùs nequeat vi bullę absolui.

DIFFICVLTAS III.

An per verba, vel signa de se omninò indifferentia sufficienter Hæresis interna externetur?

10 PEr verba, seu signa de se omninò indifferentia intelligimus ea, quæ ex natura sua ac solitariè sumpta neque significant, neque innuunt aliquid contrà Fidem, nisi quatenus coniuncta cum Hæresi interna cum qua faciunt vnum completum, & ab ipsa procedunt; vt siquis interiùs non credens, Verbum v.g. esse incarnatum, & esse hominem, dicat exteriùs *Non est homo*; vel dum quis interiùs Hæresi præbet assensum, percutat mensam, seu manum dicens, *ita est*, vel quid simile. in his igitur, ac similibus casibus quærimus in præsenti, an per huiusmodi verba, seu signa de se, ex natura sua omninò indifferentia, procedentia tamen ex hæresi interna, modo dicto, possit eadem Hæresis dici sufficienter externa, adeo vt non possit ampliùs vi bullæ absolui.

11 Affirmarunt aliqui, quos tacito nomine refert Vasquez, & Azor mox citandi; quorum ratio est, quia ad hoc vt Hæresis dicatur externa reseruata, seu formalis, duo tantum videntur requiri, primò vt verè in intellectu sit error contrà fidem, & hoc iam in præsenti supponitur: secundò vt ex tali errore tanquam à principio influente procedat actus ille sensibilis, & externus; qui quidem actus cũ participet formalem malitiam hæresis internæ, à qua gignitur, verè dicitur hæresis externa, *Carolus Latius in Bull. Cruc.* atque adeo perfecta in hoc genere, & consequenter non poterit vi bullæ absolui.

12 Negant tamen *Nauarr. D. 1. de pœn. Cap. cogit. n. 10. Sanchez in dec. l. 2. C. 8. n. 7. Vasquez. 1. 2. q. 96. ar. 4. D. 160. C. 5. n. 20. Azor. t. 1. l. 8. C. 9. q. vlt.* & communiter DD. & meritò, nam Excommunicatio (ratione cuius reseruatur Hæresis, vt dictum est) est pœna omninò pertinens ad forum externum, ergò nequit cadere nisi suprà actionem externam, quæ in eodem foro mala, ac peccaminosa iudicatur, atq; adeo debet esse vel in se, ac formaliter mala, vel saltem de Iure positiuo prohibita, vel demum talis, vt ex ipsa, quantùm est de se, sufficienter probari possit in dicto foro externo interna, ac formalis malitia, à qua talis actio externa procedit, esto nequeat per accidens in foro externo probari, quatenus scilicet nulli alteri innotescat, preter ipsum reum; iam supradictæ actiones indifferentes externæ, vt tale siue in signis, siue in verbis consistentes non sunt huiusmodi, ergò nequeunt esse subiectum capax excommunicationis, & per cõsequens neq; reseruationis. *Nauarr. Sanch. Vasquez Azor. Auctor.*

13 Dices cum *Cordub. l. 4. q. th. q.* 13. & alijs, quòd quamuis huiusmodi actio externa ex se indifferens non iudicetur mala in foro externo, attamen iam per coniunctionem cum interna Hæresi, à qua procedit, & cum quà facit vnum, est mala, & hoc sufficit, vt talis actio reddatur capax excõmunicationis. probatur varijs exemplis, in can. enim *si quis, dub.* 30. desumpto ex Conc. Grangensi Cap. 18. anathematizantur, qui die *Cordub.*

Cc 2 Domi-

Dominica ieiunãt in contemptũ eiusdem diei: iam ieiunium quoad forum externum, est actus virtutis, attamen ex eo, quia per coniunctionem cum interno contemptu diei Dominicę redditur malum, fit consequenter capax excommunicationis. similiter in Clemen. 1. de Hęreticis, excommunicantur Inquisitores puniẽtes aliquem ex odio: iam ista punitio quoad forum externum est actus iustitię, attamen vt procedens ex odio interno est in se actus malus, & sic redditur capax excõmunicationis, &c. ita & in casu nostro.

Hurtad. Vasquez. 14 Respondeo cum *Hurtado tr. de cens. d. 11. n. 51. Vasquez 1. 2. d. 160.* & alijs, neq; ieiunantes in contemptum diei Dominicę, neque Inquisitores procedentes ex odio in causa fidei incurrere excommunicationẽ, pręcisè ex hoc, nisi verbis, aut signis exteriùs sufficienter indicent illi ex contemptu ieiunare, & similiter Inquisitores ex odio procedere; ex quibus confirmatur nostra opinio; colligitur .n. ex his, ad afficiendam Hęresim excommunicatione necessariò requiri, vt is qui asserit, *Non est homo*, vlteriùs significet, se de Verbo loqui, & idẽ dico de signis.

15 Ad rationem autem AA. in contrarium, patet ex dictis; nego enim quamlibet actionem externam, etiam ab hęresi interna procedentem, sufficere ad eam externãdam, sed solùm actionem illam externam, quę de sola est apta, ac sufficiens ad probandam in foro externo hęresim internam, modo dicto. an verò adhoc sufficiant verba, seu signa ambigua, dicetur Diff. sequenti.

DIFFICVLTAS IV.

An per verba, vel signa ambigua, seu aequiuoca sufficienter Haeresis interna externetur?

16 Verba, vel signa ambigua, seu ęquiuoca dicuntur in pręsenti illa, quę habere possunt sensum catholicũ, & sensũ hereticum, vt siquis v. g. dicat, *Non est incarnatus*; sanè talis propositio si referatur ad Patrem, seu Spiritum Sanctum, verissima est; si verò referatur ad Verbum, falsissima est, & heretica: Similiter possunt fieri aliquę actiones, seu cifrę habẽtes vtrumq; sensum catholicũ scilicet, & hęreticum. De huiusmodi ergò verbis, seu signis, vel actionibus in pręsenti quęrimus, An sufficiant ad externandam Hęresim internam, eamque consequenter reseruationi Papali subijciendam.

17 Absolutè affirmant *Fagund. l. 8. C. 8. Lud. à Cr. D. 1. C. 3. d. 7. n. 3. Suar. de fide D. 21. se. 2. n. 10. Bonac. de cens. D. 2. q. 5. p. 2. n. 6.* & alij ex eo, quia huiusmodi verba, seu signa ex obiecto hęresim infallibiliter significant externè, & per accidens est, vt ab aliquibus nõ accipiantur in malo sensu. Fagund. Lud. à cr. Suar. Bonac.

18 At *Palaus to. 1. tr. 4. p. 3. n. 3. Bardi p. 2. tr. 6. C. 2. n. 18.* nonnulliq; alij id solùm asserunt, quoties verba non sunt perfectè ambigua, sed communiter accipi solent in malam partem, aut ex circumstantijs cogimur ita ea accipere, secùs autem si, pensatis omnibus, poterunt ęquè benè sumi in bonam, & in malam Palaus. Bardi.

Auctor. malam partem. Et meritò, nam verba, seu facta quę ęquè bene accipi possunt in bonam, & in malam partem, non est cur potiùs in malam partem sumantur; imò (vt docent communiter DD.) in bonam partem tunc sumi debent; quòd si ab aliquo in malam partem sumātur, erit omninò per accidens, nempè ex mala dispositione recipientis, atq; adeo non erunt apta ad probandam hęresim internam in foro externo certò, & infallibiliter, & consequenter neq; ad subijciendam illam excommunicationi, & sic poterit adhuc absq; vllo priuilegio absolui.

19 Idem dicendum de signis, aut factis, quę ęquè benè in bonam, & in malam partem sumi possunt, vt siquis caput habeat opertum, dum super altari patens est venerabile Eucharistię Sacramentum, vel dum Sacerdos Hostiam eleuat, si hoc benè tribui poterit inaduertentię, secùs autem si, pensatis omnibus, nequeat inaduertentia habere locum.

20 Ad rationem autem AA. in contrarium nego, per verba, seu signa perfectè ęquiuoca ex obiecto infallibiliter significari hęresim externè, prout patet ex dictis. Imo in casu, quo pensatis omnibus, adhuc prudenter dubitatur, an hęresis sitne externa, an interna, existimanda erit interna, cùm in dubijs possessio stet pro reo, & consequenter neque erit reseruata, nam reseruatio cadit supra Hæresim perfectè externam, sumus n. in odiosis. An verò idem dicendum sit de Hęresi perfectè externa, sed cum dubio de assensu interno, dicemus Diff. sequenti.

DIFFICVLTAS V.

An qui prorupit in Hæresim externam, sed postea dubitat, an dùm illam protulit, ita reuera senserit, possit vi Bullæ absolui?

21 NEgant *Sanch. l. 1. sum. C. 10. n. 74. Bonac. de pœn. D. 7. q. 7. p. 5. §. 4.* & alij communiter DD. ex eo quia pręsumptio tunc, aiunt, stat pro Hęresi; nam cùm verba sint naturaliter signa internæ conceptionis & intentionis, nisi constet de opposito, non pręsumitur proferentem aliud sensisse interiùs & aliud, seu alio modo exteriùs loquutum fuisse, vt colligitur ex *L. Labeo, verb. id tubero, ff. de supell. leg.* atque adeo talis hæresis externa censetur vera, ac completa hæresis in foro externo, ergò etiam in foro interno erit reseruata; quia dum non cōstat de veritate, forum internum sequitur præsumptionem fori externi. quarè secundùm hanc opinionem, qui prorupit in hæresim externam, & postea dubitat, an dum illam protulit ita verè mente senserit, an verò causa ioci illam affirmauerit, &c. non poterit vi bullæ absolui. Sanch. Bonac.

22 Affirmant tamen *Merolla to. 1. D. 3. C. 3. d. 2. n. 366. Lugo de pœn. D. 20. se. 2. nu. 18. Bardi in sel. l. 6. q. 5. n. 9.* nonnulliq; alij. Et meritò, nam reseruatio cùm sit odiosa (vt sæpè dictum est) erit strictè intelligenda, atque adeo dum aliquis casus reseruatur, nisi aliud in reseruatione expressè apponatur, de peccato certo Merolla. Lugo. Bardi. Auctor.

certo, & non præsumpto ea reseruatio intelligenda est. quarè qui dicit hæresim externam, si verè dubitet, an ita etiam mẽte senserit, poterit non solùm vi bullæ, sed etiam à quolibet simplici Confessario absolui.

23 Ad rationem autem AA. in contrarium desumptam ex foro externo, patet quidem disparitas; nam in foro externo non habet locum conscientia, & testimonium ipsius delinquentis, vt habet in foro interno, ac proinde eo ipso quòd eius verba continent verum hæresim, statim vt verus hæreticus in foro externo punitur, etiamsi nullum assensum interiùs circa illam habuerit, vt patet in hæresi materiali, ac tantùm externa, vt suprà dictum est n.8. è conuersò in foro interno stare omninò debemus testimonio pœnitẽtis, qui dùm dicit, se dubitare de consensu interno, omninò similiter pro dubia talis hæresis sumenda est, & consequenter pro non reseruata.

24 Ad id verò, quod additur, forum internũ sequi præsumptionem fori externi concedo quoties pro foro interno non habetur specialis aliqua ratio, quæ iam in præsenti habetur, nempè testimonium ipsius delinquentis, quod in foro externo nullo modo recipitur, forum autem internum tali testimonio stare omninò debet, vt dictum est.

25 Petes hic obiter, An stante tali dubio, si absoluatur is à dicta hæresi per simplicem Confessariũ, & postea pœnitens re meliùs examinata deponat dubium, ac certò recordetur, tale peccatum fuisse reseruatum, cẽseaturne is iam legitimè absolutus, an teneatur reccurrere ad Superiorem pro absolutione?

26 Ad nihil teneri, docet *Lugo ci.* Communis verò opinio vult, illum teneri recurrere ad Superiorem pro illius peccati reseruati absolutione. ceterùm quid ego circa hoc sentiam, dicam in tr. de pœnitentia, cùm sit difficultas communis in quolibet peccato reseruato.

DIFFICVLTAS VI.

An qui prorupit in Hæresim perfectè externam, non cum omnimoda tamen aduertentia, & libertate, possit vi Bullæ absolui?

27 Videntur communiter cõuenire DD. non esse hæreticum externum eum, qui in somnis, seu ebrietate, vel phrenesi pronũciauit suam hæresim internam. Et meritò, nam tunc hæresis externa est excommunicationi, & reseruationi subijcienda, quando procedit ab interna liberè, ac modo humano, iam hæresis, prolata in somnis, seu ebrietate, aut phrenesi, quãuis aliquo modo nempè in esse physico procedat ab interna nõ tamen procedit ab illa liberè, seu in esse libero, ac modo humano; nimis enim durum esset subijcere excommunicationi, ac Papali reseruationi actiones, quæ nullo modo sunt in hominis libertate, cuiusmodi sunt actiones, quæ fiunt in somnis, seu in ebrietate, vel phrenesi.

28 Controuerti ergò solùm potest, An dici possit hæreticus externus, qui liberè quidem, non omninò tamen liberè pronunciauit suam hæresim internam; vt siquis v. g. discredens inte-

interiùs plura fidei mysteria vt e.g. Trinitatem diuinarum personarum, Incarnationem ęterni Verbi, SS. Eucharistiam, &c. ac volens deliberatâ intentione proferre exteriùs vnum ex prędictis erroribus, v.g. Verbũ non esse incarnatum, & tamen omninò casu, pręter suam intentionem, & inaduertenter in alterum prorumpat errorem, v.g. Corpus Christi post consecrationem non esse in Eucharistia; quęrimus hic, An is dici possit sufficiẽter hęreticus externus, itaut nequeat neque vi bullę absolui.

29 Et quidem ratio dubitandi pro parte affirmatiua est, quia huiusmodi hęresis videtur habere omnia requisita ad heresim externam reseruatam, seu formalem; suppon it enim in intellectu verè errorem contra fidem, vt patet ex allato exemplo: similiter dicta hęresis, etiã vt externa est, sufficienter exprimit adhuc in foro externo verum errorem contra fidem: ac demùm ex affectu hęreticali hęreticus illã externat; quod autem externet heresim A. dũ intendit externare hęresim B. est omninò per accidens.

Bardi. Selector. 30 Negant tamen *Bardi in sel. l.6.q.7.n.4.* & meritò, nam tunc hęresis externa est excommunicationi subijcienda, & cõsequenter etiam reseruationi, quoties procedit ab interna absolutè liberè, (vt suprà etiam dictum est;) iam in casu posito, quamuis ille voluerit deliberatâ voluntate exteriùs manifestare suum errorem, attamẽ illa manifestatio erroris interni circà Eucharistiam nõ est omninò libera, & voluntaria, cùm apertè fit pręter voluntatem proferentis, vt patet; & cùm neq; alio modo manifestet alterum errorem, quem intendebat ille manifestare, consequẽter non erit hęresis externa reseruata, seu formalis, & per cõsequens poterit non solùm vi bullę, sed etiam à quolibet simplici Confessario absolui.

31 Confirmatur à pari, nam secundùm communem DD. opinionem, si quis intendat occidere aliquem determinatum Clericum v.g. Petrum, & casu errans percutit alium etiam clericum v.g. Paulum, talis percussio nõ erit reseruata, eò quia hic, & nunc prout exercetur circa Paulum non est omninò voluntaria, ergò idem dicendũ est in nostro casu. Ad rationem verò dubitandi in contrarium, patet ex dictis.

DIFFICVLTAS VII.

An possit vi Bullæ absolui, qui asserit, se dubitare de rebus Fidei?

32 SOlutio pręsentis Difficultatis pendet à solutione illius difficultatis, An qui dubitat de rebus Fidei, sit verus Hereticus. Et quidem negant *Canus l.12. de loc. Thě. C. 9. Sà V. Hæresis, n.1. Dicastil. tom.2. tr.8. Disp.10. d.5. n.57.* & in partim *Sanch. tom.1 sum. l.2. C.7. nu. 12.* Canus. Sà. Dicastil. Sanchez. eò quia SS. Patres communiter asserunt, de ratione hęresis esse electionem pertinacem doctrinę contrarię veritati fidei; iam dubitans nullum habet assensum fidei contrarium, neque alterutram partem eligit, sed pendulus est; hoc enim est dubitare. Et confirmant, quia fides, aiunt, & hęresis sunt duo extrema,

extrema, illa enim assensum rerum fidei importat, hęc verò dissensum, at dubium est mediũ inter illa, vtpote quod nec assensum, nec dissensum includit.

Cordub. Torres. Valent. Azor. Tolet. Caiet. Syluest. Aragon.

33 Affirmant tamen *Cordub. in q.l.1.q.17.§.7. Torres de Trin. q. 32. ar.4.in 3. Valent. 2.2.D.1.q. 11.p.1.d.2. Azor.to.1.l.8.C.9.q.5. Tolet.sum.l.4.C.4. Caiet. 2.2.q. 11.ar.2.not.1. Syluest.V. Haresis 1.q.3. Aragon. 2.2.q.11.ar.2.d.2.* alijq; communiter DD. & meritò, primò quia *c.1. de haret.* dicitur dubius in fide infidelis. Secundò quia, qui post professionem fidei, fidem amittit, verè ac propriè est hęreticus: iam per dubium in fide amittitur fides, ergò per dubium in fide verè, & propriè quis constituitur hęreticus. probatur minor, nam per dubium in fide deperditur assensus certus, in quo vtiq; consistit substantia fidei, ergò per dubium in fide amittitur fides. quarè siquis asserat, se dubitare de aliquo articulo fidei, erit verus hęreticus externus, & sic non poterit neque vi bullę absolui; quod magis constabit ex solutione rationum in contrarium.

Auctor.

34 Ad rationem verò in contrarium concedo, de ratione hęresis esse electionem pertinacẽ doctrinę contrarię veritati fidei, nego tamen dubitantem de rebus fidei, non eligere falsũm directè, & exercitè quid contrarium veritati ipsius fidei; probatur, nam qui dubitat de articulis fidei, vtiquè saltem directè, & exercitè eligit dubiũ, seu dubitationem circa articulos fidei; eo modo, quo dùm quis loquitur saltem directè, & exercitè eligit locutionẽ, (estò signanter non eligat) talis autẽ dubitatio absolutè repugnat certitudini fidei, sicuti & in alijs rebus certitudo opponitur dubitationi, seu opinioni, ergò &c. Ratio à priori est, quia ipsamet certitudo in articulis fidei est etiam articulus fidei, nam Ecclesia non proponit articulos fidei credendos vt sic, & nudè sumptos, sed etiam vt certos, quamuis non euidẽtes; ac proinde licèt tale dubium non videatur opponi immediatè, ac directè substantię per se sumptę articulorum fidei, immediatè tamen, ac directè omninò opponitur ipsi certitudini eorumdem articulorum. quarè huic articulo fidei Deus est incarnatus, non minùs opponitur hęc assertio, Deus non est incarnatus, quàm ista, Dubium est an Deus sit incarnatus.

35 Hinc patet ad Confirmationem AA. nego enim huiusmodi Dubium esse quid medium inter fidem, & hęresim, sed dico esse etiam extremum, ac ipsam hęresim; atque adeo non dari actum medium inter actũ fidei, & actum hęreticalem in homine baptizato, de quo loquimur, vt patet ex dictis.

DIFFICVLTAS VIII.

An qui suam Heresim manifestat animo sumendi consilij, possit vi Bulla absolui?

36 A*Zor.to.1.l.8.C.9.q.vltim.* vult, non esse hęreticũ externum, qui sumendi consilij caussa manifestat viro prudenti suam hęresim, in qua olim fuit, et consequenter posse à quolibet Azorius.

bet ſimplici Confeſſario abſolui ſecùs autem ſi is aſſerat, ſe nunc quoque in eadem hæreſi eſſe.

Bañes. Pet.Led. 37 At *Bañes 2.2.q.11.ar.4.d.2.& Pet.Ledeſm.to.2.ſum.tr.1.C.6.d.4.* quamuis id aſſerant, quoties is conſulit illum virum prudẽtem, ac doctum, vt ab eo edoctus acquieſcat Eccleſiæ, negãt tamen, ſi id fiat animo non acquieſcẽdi Eccleſiæ, ſed tantùm illi viro priuato.

Sanch. Simanc. Guttier. Sayrus. Aragon. 38 Abſolutè tamen *Sanch. to. 1. ſum.l.2.C.8.n.20.Simanc de cath. inſt. tit. 42. n. 9. Guttier. qq. can. l.1.C.13.n.9.Sayrus to.1.l.3. C.4.n.29.Aragon.2.2.q.11.ar.3.* aliijq; communiter DD.docent, hunc nõ eſſe hæreticum externum, ac Eccleſiæ cenſuris, aliiſque pœnis ſubiectum, ac proinde abſolutè poſſe à quolibet cõfeſſario, nedùm vi bullæ abſolui. Et meritò, nam iſtiuſmodi hæreſis manifeſtatio eſt abſolutè actus bonus, vt de ſe patet. ergò nequit ſubiacere eccleſiaſticis cenſuris. idemque erit dicendum, ſi aliquo alio fine honeſto hæreſis manifeſtetur; dummodo verè tali fine honeſto is moueatur ad ſuam hæreſim manifeſtandam, ſecùs autẽ ſi fingat tali fine moueri. Auctor.

DIFFICVLTAS IX.

An ſi Hæreſis non exciperetur expreſsè in bulla, poſſet tunc vi eiuſdem bullæ abſolui?

39 Circa hanc difficultatem fuere multæ, & inter ſe diſcrepantes Doctorum ſentẽtiæ. Sed nuper exijt edictum a ſupremo Sãctiſs. Generalis Inquiſitionis Tribunali Hiſpaniarum, publicatum Panormi ab Ill. Inquiſitoribus huius Regni die 15. Febr. 1657. tenoris ſequentis.

Carolus Latius in Bull.Cruc.

NOI L'INQVISITORI APOSTOLICI contra la Heretica prauità, & apoſtaſia in queſto Regno di Sicilia, & Iſole coadiacenti per l'authorità Apoſtolica, & Regia, Deputati &c.

40 *Facciamo intendere à tutti, e ſingoli perſoni così Eccleſiaſtici, come ſecolari di qualſiuoglia ſtato, e conditione, che ſiano eſenti, o non eſenti Regolari, e ſecolari, ſtanti & habitanti in queſta Città di Palermo, o in qualſiuoglia Città, Terre, e luoghi di queſto Regno, come hauendo li Sommi Pontefici conceſſo alcuni Giubilei, nelli quali ſe daua facoltà alli Confeſſori di poter aſſoluere delli caſi reſeruati, etiam di quelli contenti nella bolla in Cœna Domini, & hauendo dubbitato alcuni perſoni, Vtrum in virtù della ſopradetta facoltà ſi poteſſe aſſoluere delli caſi di Hereſia, dechiararo li Sommi Pontefici non eſſere compreſi nella ſupradetta facoltà; & hauendoſi tornato di nuouo à dubitare nell'occorrenza di detti Giubilei, la Sãtità di Innocentio Decimo, di felice recordatione nella Congregatione del S. Officio fatta à 23. di Maggio 1652. dichiarò che neſſun Confeſſore poteſſe aſſoluere del crimine dell'Hereſia in virtù della facoltà che ſe concede in detti Giubilei, niſi in caſu quo eſpreſſamẽte ſe daſſe facoltà d'aſſoluere del crimine dell'Hereſia, & vltimamẽte hauendoſi di nuouo ritornato al detto dubio, con l'occaſione del Giubileo conceſſo dalla Santità di*

Alessandro Settimo nell'ingresso del suo Pontificato, e pretendendo alcuni, che se potia assoluere dell'Heresia in virtù della facoltà concessa in detto Giubileo; con dire che non li costaua delle sudette dechiarationi Pontificie, & che in caso che di loro hauessero hauuto notitia per essere materia che depende della intentione del Sommo Pontefice, che concede detto Giubileo, per le dechiarationi de'suoi antecessori non se potia sapere la intentione sua, & hauendosi trattato, e conferito questo punto nella Congregatione del S. Officio dell'anno prossimo passato 1656. la Santità d'Alessandro Settimo seguitando le dichiarationi de'suoi predecessori, ad effetto di remouere, e leuare ogni sorte di dubbio, tanto per lo presente quanto per lo tempo d'auuenire, e per essere il crimine dell'Heresia più graue, e degno di speciale censura, che tutti l'altri dichiarò Sua Santità, che la facoltà d'assoluere dell'Heresia non s'intenda compresa nelli Giubilei, o concessioni simili, nisi in casu che nelli detti Giubilei si conceda espressamente facoltà di assoluere dell'Heresia.

41 Per lo quale fù accordato, che douiamo mandare, e spedire questa nostra Carta di Editto accioche venga à notitia di tutti, in modo che nessuno possa allegare ignoranza.

42 Per tanto comandiamo, & ordinamo, che tutti li Confessori cosi Regolari, come secolari esenti, o nõ esenti, l'habbiano di osseruare, et osseruino nella forma sudetta; e comãdamo, che questo nostro Editto si publichi in tutte le Chiese così Matrici come Parocchiali, e Cõuenti di Religiosi di qualsiuoglia Città, Terre, e luoghi di questo Regno, affiggendone ancora vna copia della lettera del sudetto Editto in vna porta delle sopradette Chiese, quale nessuno lo leuerà sẽza nostra licenza, e si osseruarà sotto pena di scommunica maggiore, e di onze vinti, applicati al Fisco di questo Santo Officio.

43 Così ancora comandamo, & ordinamo à tutti li Superiori di Religioni di qualsiuoglia sorte, e conditione che siano, che facciano aggiungere, e aggiungano con effetto questo nostro Editto alla Bolla di Vrbano Ottauo, data in Roma Feria quinta die 14. Aprilis 1633. nella quale si contiene vn Decreto della Sacra Congregatione del Santo Officio intorno all'osseruanza delli Decreti Apostolici appartenente al Santo Officio, e lo faranno leggere ogn'anno in perpetuum, in tutti li Conuenti, che hauerà ciascheduna di dette Religioni, ancorche siano in qualsiuoglia Città, Terre, Casale, e luoghi di questo Regno, nella Feria sexta dopò dell'Ottaua dell'Assuntione della Beata Vergine nella publica Mensa, o Refettorio, o nel Capitulo specialmẽte à questo effetto conuocato, sotto pena di scommunica maggiore, e priuatione di officio, e di voce attiua, e passiua ipso facto incurrẽda, prout in detta bolla di Vrbano se contiene, e di hauerlo così fatto, letto e publicato, li Commissarij del Santo Officio, e Superiori di dette Religioni manderanno fede authentica in questo Tribunale in fede del quale d'ordine del Conseglio Supremo della Suprema, e Generale Inquisitione di Spagna comandamo dare, e damo le presenti lettere, sottoscritti di Nostri nomi, e sigillate col sigillo di questo Santo Officio, e refrendate dall'infrascritto Secret.

Dat.

Dat. in Palermo à 15. di Febraro 1657.

D. D. Iuan Lopez de Cisneros.

D. D. Paulo de Escobar.

De mandato Sancti Officij
D. Iuan de Retana Secretario.

Locus ✝ Sigilli.

Auctor. 44 Qua stāte declaratione Sum. Pontifici Alessandri VII. ad omne dubium tollendum facta, & sufficienter notificata per Tribunal Sāctissimę Generalis Inquisitionis; certum est in nullo casu posse in foro cōsciētiæ fideles absolui à crimine hæresis, reseruato in bulla Cœnę Domini Summo Pontifici, nisi de eo in particulari, & expresśè fiat peculiaris mentio in illo rescripto, quo facultas conceditur confessario absoluēdi à criminibus, etiam in Cœna Domini Summo Pontifici reseruatis. Et si per verba generalia prędicta facultas concedatur, quæ non exprimat ipsū crimen hæresis in indiuiduo, & expresse; nunquam crimen hæresis intelligitur comprehensum: ac propterea nullo modo absolui à cōfessarijs potest. Et si qua sētentia olim fuit in contrarium nunc est omnino prohibita.

DIFFICVLTAS X.

An vi Bullæ Cruciatæ possint absolui crimina contenta in primo canone Bullæ Cœnæ, Hæresi excepta?

45 IN primo can. bullæ cœnæ, preter crimen Hæresis (de qua hactenus dictum est) plura alia crimina similiter reseruata continentur, vt auxilium vel fauorem Hęreticis prestare, illosque recipere, vel ipsorum libras hęresim continentes, vel de religione tractantes, legere, retinere, imprimere, defendedere, &c.; Similiter & crimen Schismę, nempè cùm quis pertinaciter se à Sede Apostolica subtrahit. de his omnibus ergò in pręsenti quęrimus, an possint vi bullę absolui (hęresi semper excepta) sicuti & reliqua crimina, quę in tota bulla cœnę continentur, semel scilicet in vita, & semel in morte, modo supra explicato.

46 Et quidem conueniunt DD. omnia & singula prędicta crimina, si admixtum habeant errorem contrà Fidem, nullo modo posse vi pręsentis bullę Cruciatę absolui, sicuti & de ipsa hęresi formali externa dictum est. Et meritò, quia tunc hęresis dictis criminibus adnexa impedit facultatem absoluendi vi Cruciatę concessam, sicuti peccatum veniale à quolibet Sacerdote potest absolui, secùs autem si cùm mortali cōiungatur. Controuertitur ergò solùm, An supradicta crimina (hæresi excepta) possint ratione sui vi præsentis bullæ absolui semel in vita, &c. modo dicto.

47 Negant *Rodriq. §. 9. n. 7. Azor to. 1. l. 8. C. 19. q. 2. Fernand. p. 3. exam. C. 9. §. 16. se. 1 Ledesm. to. 2. sum. tr. 1. C. 6. Turrian. 2. 2. to. 1. D. 56. d. 2.* nonnulliq; alij, eò quia putant, omnia supradicta crimina cōtenta in primo can. bullæ cœnæ, sub nomine hæresis contineri, ac proinde sicuti Hæresis nequit vi bullæ absolui, sed Tribunali Sanctæ Inquisitionis reseruatur, ita similiter *Rodriq. Azor. Fernand Ledesm. Turrian.*

Carolus Latius in Bull. Cruc.

nequibunt vi eiusdem bullæ Cruciatæ absolui dicta crimina contenta in eodem primo can. dictæ bullæ cœnæ. Confirmant etiam ex quodam Breui Pauli IV. & Greg. XIII.

Sanch. *Suarez.* *Farinac.* *Lud. à cr.* *Herriq.* *Duard.* *Acosta.* *Bardi.* *Auctor.*

48 Affirmaut tamen *Sanch. tom. 1. sum. lib. 2. Cap. 12. num. 12. Suar. tr. de fid. D. 24. se. 1. n. 11. Farinac. de hær. q. 180. n. 8. Lud. à Cruc. D. 1. C. 3. d. 8. n. 2. Herriq. sum. l. 6. C. 16. n. 2. Duard. in Bul. cœn. l. 3. §. 2. q. 8. n. 8. Acosta. q. 63. Bardi tr. 6 C. 2. n. 38.* alijq; communiter DD. & meritò, nam ex vna parte potest quis fauere Hæreticis, illorum libros etiam hæresim continentes legere, &c. & hoc non obstante, esse catholicus: similiter dico de Schismatico, qui licèt in foro externo semper præsumatur hæreticus, formaliter tamen, & in foro interno, poterit omnia fidei articulos credere, & sic esse formaliter catholicus, nō autem præstare veram huic Sum. Pontifici obedientiam, quod est esse formaliter Schismaticum; vnde falsum est dicta crimina absolutè sub nomine Hæresis contineri. ex altera verò parte solius hæresis absolutio vi bullæ prohibetur, ergò non est, cur nos alijs etiam criminibus, adhuc enormissimis (dummodò formaliter hæreses non sint) vi eiusdem bullæ denegemus absolutionem, semel tamen in vita, &c. vt dictum est; præsertim cùm hæc facultas bullæ absoluendi sit fauorabilis, & consequenter non restringenda.

49 Quod autem supradicta crimina primi can. Bullæ cœnæ reseruentur Inquisitoribus, parum refert, nam etiam sollicitatio in confessione, aliaq; crimina eisdem Inquisitoribus reseruantur, & tamen virtute Cruciatæ omnia absolui possunt; quarè satis patet ad rationem AA. in contrarium.

50 Ad Confirmationem Dico primò, ex Breuibus Pontificijs nihil aliud deduci, nisi quòd Confessarij nō absoluant committentes supradicta crimina, nisi priùs reuelent Inquisitoribus, siquid reuelandum contingat, quod nihil contrà nos. Dico Secūdò, quòd etiamsi supradicti Pontifices aliquid circa Bullas ab eisdem concessas statuerint in contrarium, nihil tamen huiusmodi in bullis nostri temporis haberi.

DIFFICVLTAS XI.

An vi Bulla Cruciata, possint absolui casus Sancta Inquisitioni reseruati totiès, quotiès?

51 NOn loquimur hic de casibus Sanctæ Inquisitioni reseruatis, qui similiter in bulla cœnæ continentur, vt est Hæresis, fauere hæreticis, & huiusmodi, de quibus satis suprà dictum est; sed loquimur de illis solis casibus, qui licèt Sanctæ Inquisitioni reseruentur, attamen non continentur in bulla cœnę, vt sunt Maleficia, sortilegia, adoratio Dæmonum, magia incantationes, superstitio, blasphemiæ hæreticales, sollicitatio ad Venerem in confessione Sacramētali iuxtà Pontificum decreta, & huiusmodi, qui singulis annis tempore Quadragesimæ promulgari solent. De his igitur in præsenti quærimus, An possint vi bullæ absoui toties, quoties.

Negant

Fernãd. Turrian. Ledesm. Alter. 52 Negant *Fernand. p. 3. exam. C. 9. §. 16. se. 1. n. 1. Turrian. to. 1. in 2. 2. D. 65. d. 2. Ledesm. sum. to. 2. tr. 1. C. 6. Alter. de cens. to. 1. l. 5. D. 2. C. 9.* nonnulliq; alij asserentes, sub nomine Hæresis includi omnia alia crimina contenta in Edictis Inquisitorum.

Sanch. Filluc. Suar. Bardi. Auctor. 53 Affirmant tamen *Sanch. sum. to. 1. l. 2. C. 30. n. 17. Filluc. to. 1. tr. 16. C. 3. n. 49. Suar. in 3. p. to. 5. D. 21. se. 2. n. 14. Bardi p. 2. tr. 6. C. 2. n. 45.* aliiq; communiter DD. & meritò per se loquendo, nam facultas vi bullæ concessa ad absoluendum à reseruatis, vtiquè limitatur ad semel in vita, & semel in articulo mortis in ordine ad casus Papales, at in ordine ad reliquos casus & censuras liberè datur potestas absoluendi, ac toties quoties; iam huiusmodi crimina quamuis Inquisitoribus reseruentur, nõ tamen Sum. Pontifici reseruãtur, atque adeo absolutè poterunt vi eiusdem bullæ absolui ac toties quoties.

54 Dixi, per se loquendo, hoc est quoties dicta crimina non habent simul admixtum errorem contra fidem in intellectu, à quo errore tanquam effectus procedãt, nam tunc habebunt rationem hæresis formalis, seu externæ reseruatæ, atque adeo neque pro vna vice poterunt vi bullæ absolui, vt patet ex supradictis; ceterũ si dicta crimina solùm exerceantur ratione alicuius interesse, seu odij, vel libidinis, aut alio prauo affectu extra tamen errorem in fide, tunc dicimus, posse vi bullæ, absolui, ac toties quoties. An verò idem dicendum sit de eo, qui culpabiliter omisit denunciare delicta, quæ sunt in Edicto Inquisitorum, antequam actu reuelet, dicetur Diff. sequenti.

DIFFICVLTAS XII.

An qui omisit culpabiliter denunciare delicta in Edictis Inquisitorum contenta, possit vi Cruciatæ absolui antequam actu reuelet?

55 QVi scit aliquem commisisse aliquod ex criminibus cõtentis in edicto inquisitorum, & non curat illũ reuelare intrà terminum statutum, non solùm grauiter peccat, sed etiam incidit in excõmunicationem latam in eodem Edicto contrà non reuelantes, &c. Quærimus ergò hic, An is qui peccauit, eò quia omisit reuelare quando poterat, & debebat, si postea resipiscat, & cõfiteatur, possit vi bullæ absolui, antequam de facto reuelet huiusmodi crimen, quod scit fuisse ab alio commissum.

56 Absolutè negat *Auila de cens. p. 2. C. 7. D. 3. d. 7.* ex eo quia in §. vltimo eiusdem Edicti Inquisitorum, sub pœna excommunicationis præcipitur omnibus Confessarijs, vt non absoluant pœnitentes nisi priùs reuelent, quod prudenter statutum videtur; nam semel obtenta absolutione, negligitur denunciatio. Auila.

57 Absolutè tamen affirmant *Nauar. l. 5. cons. de haret. cons. 3.* nonnulliq; alij, asserentes solam promissionem, seu propositum denunciandi sufficere ad hoc, vt Cõfessarius satis licitè possit pœnitentem absoluere. Nauar.

58 Vtraque opinio est extrema atq; adeo non admittenda. prima

ma enim nullam admittit limitationem, seu exceptionem, prout communiter fit in omnibus præceptis positiuis. secunda verò reddit dictum Inquisitorum præceptum omninò vanum,& inutile: probatur, nam si pœnitens non proponat denunciare, cùm tenetur, manet in peccato mortali, atque adeo etiam independenter à tali præcepto nequit absolui; quod si proponat reuelare,iuxtà hanc opinionem,poterit absolutè absolui, ergò quando nam, quæso, obligabitur Confessarius ex vi dicti Inquisitorum Edicti ad non absoluendum?

59 Media igitur via incedunt *Rodriq.sum t.2.c.34.n.5. Peirin. de priuil.to.1.cõs. 5.Greg.15.§.5.n.24.Trullen l.1.§.7.C.2.d. 8.n. 8.Sanctarel.de hæres.C.9.d.vnic. n.16.Io.Sanc.in selec.D.11.n.63. Bardi p.2.tr.6.C.2.n.52.* aliique communiter DD. docentes, nõ posse absolui,per se loquendo, non reuelantes, antequam de facto reuelent; hoc est, si commodè sic talis denunciatio tunc fieri poterit, posse tamen per accidens absolui, etiam antequam reuelent,hoc est, si rationabilis aliqua caussa subsit differendi talem denũciationẽ post habitam absolutionem.

Rodriq. Peirin. Trullen. Sãctarel. Io. Sanc. Bardi.

Auctor. 60 Et meritò, nam præcepta positiua prudenti modo obligant, vt per omnia discurrenti patebit: sic v.g. detinens rem alienam inuito domino,etiamsi ex præcepto & Diuino,& naturali teneatur illam restituere, attamen hoc non obstante, non desunt causæ, quibus etiam licitè poterit differri talis restitutio post datam absolutionem: ita similiter & in præsenti casu poterit differri denunciatio post datam absolutionem, si rationabilis aliqua caussa occurrat illam differendi.

61 Causæ autem, quæ communiter rationabiles, ac sufficientes existimantur à DD. sunt, si aliquo modo vrgeat necessitas communicandi ad vitandum scandalum, vel infamiam, siue notam apud alios, nisi qui reuelare tenetur,SS. Eucharistiã sumat: vel vrgeat extraordinaria vtilitas ad communicandũ vt si Iubileum sit promulgatum & expiret tempus, & à Confessario nequeat ampliùs prorogari: vel qui denunciare debet, longè distet à loco,vbi resident Inquisitores, præsertim si pœnitens fuerit timoratæ consciẽtiæ,&c. huiusmodi,poterit differri talis denunciatio, prout prudenti Confessario videbitur.

62 Similiter dicẽdum, si aliquo modo tunc inueniatur extincta obligatio reuelandi;vt si crimen reuelandum sit v.g. sollicitatio ad turpia in confessione sacramentali, & Confessarius qui sollicitauit, sit euidenter, & ex communi iudicio emendatus,& multò magis si ex hac vita decesserit.



DIF-

DIFFICULTAS XIII.

Quanam paruitas materiæ impediat ab incursione excommunicationis legentem, seu imprimētem, vel apud se retinentem Hæreticorū libros?

63 Conueniunt DD. paruitatem materiæ impedire ab incursione excommunicationis legentes, imprimentes, vel apud se retinentes aliquem Hæreticorum librum, & consequenter tunc huiusmodi posse vi bullæ absolui non solùm semel in vita, & semel in articulo mortis (vt suprà dictum est à n. 50.) sed etiam toties, quotiès. Et meritò, nam paruitas materiæ vt plurimùm, & per se loquendo in reliquis materijs excusat à culpa, ergò etiam ab excommunicatione, qua ablata, aufertur etiam & reseruatio, atque adeo poterunt à quolibet absolutè absolui.

64 Difficultas igitur est, in quonam huiusmodi paruitas materiæ consistat. Et quidem *Sanch. sum. to. 1. l. 2. C. 10. n. 3. Portell. in add. ad d. reg. n. 7. Filliuc. to. 2. tr. 22. C. 7. n. 204.* & alij putant, lectionem vnius integræ paginæ etiam ex voluminibus maioribus, dici posse paruitatem materiæ, atque adeo non sufficere ad incurrēdam excommunicationem. *Sanchez. Portell. Filliuc.*

65 At *Suar. tr. de fid. D. 20 se. 2. n. 20. Bonac. de cēs. D. 2. q. 5. p. 4. n. 13. Molfes. in 3. p. l. 3. C. 1. n. 49.* & alij asserunt, lectionem vnius integræ pagellæ, præsertim ex maioribus, non posse dici paruitatem materiæ, sed tantùm breuissimam, nec multarum linearum lectionem. *Suarez. Bonacin. Molfes.*

66 Neutra opinio placet, nam huiusmodi librorum lectio cùm ratione periculi prohibeatur, sanè contingere potest, vt in breuissima adhuc lectione, nec multarum linearum, maximum periculum inueniatur, ac proinde non poterit tunc ea adhuc breuissima lectio, dici, in ordine adhoc paruitas materiæ, sed maxima, ac tanta quale est periculum, è contrà contingere potest, vt in lectione adhuc multarum paginarum dictorum librorum, nullum, aut paruum periculum inueniatur, ac proinde benè talis lectio dici poterit, in ordine ad hoc, paruitas materię, quamuis materialiter sumpta, dici possit maxima. cuius rei ratio est, quia multoties callidę Hereticorum vulpes nō statim suum euomunt venenū, sed vel Sacrę Scripturę factis, vel etiam laboriosis poetarum fabulis suum student medicare errorem. *Auctor.*

67 Paruitas igitur materię, prout facit ad rem pręsentem, non quantitate dimetienda est lectionis, sed qualitate rerum, quę in huiusmodi libris leguntur; quarè talis lectio si perfectè cōtineat aliquem errorem contrà fidem, etiāsi breuissima sit, cùm maximum afferat periculū, minimè paruitas materię dicenda est. è cōtrà lectio illa, quamuis fuerit plurium paginarum, si tamen nequit ex ea lector absolutè, vel saltem plenè colligere errorem aliquem contra fidem, tunc formaliter quoad hoc, cùm nullum, seu satis paruum periculum contineat, poterit absolutè dici paruitas materię; estò materialiter videatur non parua;

ua; eo modo quo discurrunt DD. circa verba Canonis Missę, ac alia verba extrà illum; & sic iste poterit à quolibet Confessario absolui, nedùm vi bullę, secùs ille.

68 Id ipsum videtur dicendum circa imprimentes huiusmodi hęreticorum libros. circa verò detinentes, conueniunt DD. detentionem horum librorum per duos dies, esse paruitatem materię; atq; adeo siquis illos per duos dies non consignaret Inquisitoribus, non incurreret in excommunicationem, & cõsequenter poterit à quolibet simplici Confessario absolui.

DIFFICVLTAS XIV.

An legens Hæreticorum libros non tractantes ex professo de Religione, continentes tamen aliquam hæresim, possit vi bullæ absolutè absolui?

Suarez. Sanch. Portell. Bonacin. Alter.

69 SVarez *tr. de fid. D. 20. se. n.* Sanch. *sum. tom. 1. l. 2. C. 10. n. 34. Portell. in add. ad reg. n. 8. Bonac. de cens. D. 2. q. 5. p. 4. n. 19. Alter. in bull. cœn. to. 1. D. 2. l. 5. C. 6.* alijq; putant, legentem huiusmodi libros Hæreticorũ, excommunicationem incurrere; atq; adeo, secundùm hanc opinionem, nequit is vi bullę absolutè absolui, nisi semel in vita, & semel in articulo mortis ad summum, vt suprà dictũ est.

Graffius. Sayrus. Filliuc. Sousa.

70 At *Graff. in dec. p. 1. l. 4. C. 18. nu. 40. Sayrus de cens. l. 3. C. 5. nu. 12. Filliuc. to. 2. tr. 22. C. 7. n. 204. Sousa in bul. cœn. D. 13. C. 2. concl. 2.* alijque oppositum docẽt; & meritò, nam reseruatio pręsertim annexam habens excõmunicationem Papalem, est odiosissima, atque adeò quoad fieri potest restringenda, & cõsequenter ad lectionem solùm illorum librorum Hęreticorũ extendi debet, qui ex professo de Religione, seu Hęresi tractant, quamuis incidenter aliquem errorem contra fidem contineant. quarè quamuis is peccet ratione periculi, cui se exponit huiusmodi libros legẽdo, poterit tamen, non solùm vi bullę, verùm etiam à quolibet simplici Confessario absolui, ac totiès quoties; qui sint verò huiusmodi libri, dicetur infrà *Diff. 25.*

DIFFICVLTAS XV.

An legens librum Auctoris Catholici, sed cum scholijs, & commentarijs Hæreticorum continentibus hæresim, possit vi bullæ absolui?

71 SVarez *in 3. p. to. 5. D. 21. se. 2. n. 10.* putat, legentem huiusmodi librum, quamuis sit Auctoris Catholici, incidere in excommunicationem bullę cœnę Domini; atque adeo secundùm hanc opinionem, nequit is absolutè vi Cruciatę absolui, sed ad summùm semel in vita, & semel in articulo mortis, modo supradicto. Suarez.

72 At *Sousa in bul. cœn. D. 13. C. 2. concl. 3. n. 7. Diana p. 1. tr. 11. res. 32.* alijq; communiter DD. omninò oppositum docent; & meritò, nam ex vna parte, sola lectio librorum Hęreticorum prohibetur sub excommunicatione Sousa. Diana. Auctor.

tione in bulla cœnę: ex altera verò parte liber iste Auctoris Catholici, quantumuis loclupletissimis Commentarijs augeatur ab aliquo heretico, semper tamen nuncupatur liber Auctoris Catholici, à quo primò in lucem editus est, & non liber Hęretici commentantis; atq; adeo, immeritò pœna excommunicationis imposita legenti Hęreticorum libros, extenderetur etiam ad legentem huiusmodi librũ Auctoris Catholici; & consequenter illum legens poterit non solùm vi Cruciatę, sed etiam à quolibet simplici Confessario absolui.

DIFFICVLTAS XVI.

An legens Epistolam missiuam alicuius heretici continentem Heresim, possit vi Bulla absolute absolui?

Megala. 73 MEgala in 3.p. l.3.C.1.nu. 55. putat, legentem huiusmodi Epistolam continẽtem heresim, incurrere excommunicationem bullę cœnę; atq; adeo secundum hanc opinionem, nequit is absolutè vi Cruciatę absolui, sed ad summùm semel in vita, & semel in articulo mortis iuxtà supradicta.

74 At *Sanch.sum.to.1.l.2.C.10.n. 29. Portell. in add. ad d. reg. n.7. Layman.theo.mor.l.2.tr.5. C.15. n.3. Duardus in Bull.cœn.l.2.C.1. q.55.n.11.* alijq; communiter DD. oppositum docent; & meritò, nam vna, aut altera Epistola nequit sub nomine libri comprehendi, ac proinde immeritò excommunicatio lata contra legentem Hereticorum libros extenderetur etiam ad legentem illorum Epistolas, atque *Carolus Latius in Bull. Cruc.* adeò is legens huiusmodi Epistolas poterit à quolibet Confessario, nedùm vi bullæ absolui. (Sanch. Portell. Layman. Duard. Auctor.)

75 Hoc ipsum dicendum videtur in casu, quo quis Hæreticorum legeret manuscripta, cùm hæc, rigorosè loquendo, nequeunt venire sub librorum nomine, sumus enim hic in odiosis.

DIFFICVLTAS XVII.

An legens Hęreticorum libros possit vi Cruciata absolutè absolui, si omninò ignoret linguam, qua ipsi libri conscribuntur?

67 MEgala in 3.p.l.3.C.1.n.45 putat, hunc incurrere excommunicationem latam in bulla cœnæ contra legentes hæreticorum libros, non obstante quod nõ intelligat linguam, in qua dicti libri cõscribuntur; atque adeo, secundùm hanc opinionem, nequit hic vi Cruciatæ absolutè absolui, sed ad summùm semel in vita, & semel in articulo mortis, iuxtà supradictum modum. Megala.

67 At *Sanch.sum.to.1.l.2.C.10. nu.51. Suar.tr.de fid.D.20.sect.2. nu.58. Filliuc.to.2.tr.22.C.7.nu. 207. Diana p.1.tr.11.res.36.* alijque oppositum docent; & meritò, nam formaliter idem est aliquem librum non legere, ac illum legere, & omninò eundẽ non intelligere (estò materialiter non ita sit) finis .n. totalis, & adæquatus legẽtis est, intelligere id, quod legit; quarè etiã si quis conetur illũ intelligere, si tamen de facto non intelligat, licèt peccet ratione attentati, (Sanch. Suarez. Filliuc. Diana. Auctor.)

Ee non

non incurret tamen excommunicationem bullæ cœnæ; sicuti qui conatur percutere Clericũ, de facto tamen non percutit.

78 Adde, in tali casu cessare omninò finem legis prohibētis lectionem librorum Hæreticorũ: neq; enim periculum imminet, neq; habetur communicatio cũ Hæreticis in doctrina, dùm illa non percipitur, ac proinde cessabit etiam tunc & ipsa prohibitionis pœna, nempè excõmunicatio, qua cessante peccatum, si quod fuerit, poterit absolutè absolui à quolibet simplici etiã Confessario, iuxtà supradicta.

DIFFICVLTAS XVIII.

An legens Hæreticorum libros in prouincijs, vbi bulla cœnæ non est recepta, possit vi Cruciatæ absolutè absolui?

79 IN aliquibus Prouincijs vt in Gallia, Germania, Anglia, & huiusmodi adhuc non est recepta bulla cœnæ; hinc in præsenti quærimus, An siquis legat in huiusmodi Prouincijs, Hæreticorum libros, possit vi Cruciatæ absolutè absolui.

80 *Megala in 3.p.l.3.C.1.nu.60.* putat, istum incidere in excõmunicationem bullæ cœnæ, probari potest ex eo, quia ad incursionem censuræ nõ requiritur, vt recipiatur; aliter nunquam incurreretur; quis enim vnquam libenter subijt censuram? secundùm hanc igitur opinionem, siquis legeret Hæreticorum libros etiam in supradictis Prouincijs, in quibus non adhuc Bulla cœnæ recepta est, non posset nisi semel in vita, & semel in articulo mortis vi Cruciatæ absolui, iuxta supradicta. *Megla.*

81 At *Sanch.sum.tom.1.l.2.C.10 nu.4.Beccan.sum.theo.tr. 3.C.6. q.8.n.42. Azor to.1.l.8.C.16.q.6.* alijq; oppositum docent; & meritò, nam istorum librorum lectio nobis prohibetur sub excommunicatione, ne cum Hæreticis vllo modo communicemus, sicque omne periculum euitemus: iam in supradictis Prouincijs, ad euitandum maius malum, permittitur Catholicis permixtim viuere cũ Hæreticis, atq; adeo non habet locum finis excommunicationis latæ contra legentes hæreticorum libros, & cõsequenter nec locum habebit ipsa excommunicatio, ac proinde siquis in legendis his libris aliquod peccatum commiserit, poterit à quolibet simplici Confessario, nedũ vi bullæ absolui. *Sanch. Becan. Azor. Auctor.*

82 Ad rationem autem in contrarium, satis patet ex dictis.

DIFFICVLTAS XIX.

An qui memoriter recitat Hæreticorum libros de religione, seu hæresi tractantes, possit absolutè vi bullæ absolui?

83 G*Raffius 1.p.dec.l.4.C.18. n.45.* absolutè asserit, hunc incurrere excommunicationem bullæ cœnæ; atque adeo secundùm hanc opinionẽ, nequit is vi Cruciatæ absolutè absolui, sed ad summùm semel in vita, & semel in articulo mortis, iuxtà supradicta.

84 Adhæret in partim huic opinioni *Sayrus in thes. to. 1. l. 3.* *Sayrus.*

C.5.

C. 5. n. 13. nempè incurrere hunc excommunicationem, ſi malo fine recitet, ſecus verò ſi bono aliquo fine id faciat.

85 Abſolutè autem oppoſitum docent *Sanch. ſum. to. 1. l. 2. C. 10. n. 47. Vgolin. de cenſ. reſer. 2. p. C. 1. V. Ac eorumd. §. 1. n. 4. ver. 10.* alijque; & meritò, nam aliud eſt legere, & aliud memoriter recitare; ac proinde malè extenderetur ad iſtos excommunicatio lata contra legentes hereticorum libros. quarè ſiquis memoriter recitauerit dictos libros etiam ex profeſſo de religione tractantes (niſi faciat animo manifeſtandi ſuam hæreſim internam) poterit à quolibet ſimplici Confeſſario, nedum vi Cruciatæ abſolutè abſolui. *Sanch. Vgolin. Auctor.*

DIFFICVLTAS XX.

An qui audit alium legentem Hæreticorum libros, poſſit vi bullæ abſolutè abſolui?

86 GRaffiui in dec. 1. p. l. 4. C. 18. n. 34. Suar. tr. de fid. D. 20. ſe. 2. n. 19. Reginal. prax. to. 1. l. 9. C. 14. n. 251. Sayrus de cenſ. l. 3. C. 5. n. 14. Layman. l. 2. tr. 1. C. 15. n. 6. Megala in 3. p. l. 3. C. 1. n. 38. Azor. to. 1. l. 8. C. 16. q. 4. & alij putãt, etiã audientẽ alios legẽtes Hæreticorũ libros in excõmunicationẽ incidere latam in bulla cœnæ cõtra legẽtes. quorũ ratio eſt, quia in prẽsẽti materia, aiũt, per ſeipſum legit, qui per alium legit; & præſertim ſi qui audit, præcepit, ſeu curauit, vel coegit alium ad illos legendos. quarè ſecũdùm hanc opinionem, nequit is vi Cruciatæ abſolui, niſi ſemel in vita, ac ſemel in articulo mortis, æquè ac is, qui per ſeipſum hæreticorum libros legit. *Graff. Suar. Reginal. Sayrus. Layman. Megala. Azor.*

87 At *Sanch. ſum. to. 1. l. 2. C. 10. n. 48. Filluc. to. 1. tr. 16. C. 3. n. 45. Bonac. de cenſ. D. 2. q. 5. p. 4. n. 11. Vgolin. in Bul. cœn. can. 1. V. ac eorund. §. 1. n. 4. Sanctarel. tr. de hæreſ. C. 13. d. vnic. n. 8. Souſa in Bul. cœn. C. 2. D. 14. n. 4. Portell. in add. ad d. reg. n. 11.* alijq; oppoſitum docent, & meritò, nam qui alium etiam cogit ad legẽdum, nimis ſanè impropriè, & ſolùm metaphoricè dicitur legere, ac proinde lex pœnalis vt odioſa, & conſequenter reſtringenda, lata contra legentes propriè hæreticorum libros, nequit extendi ad illos impropriè, ac metaphoricè legentem, nempè audientem; & cenſura lata in aliquid facientem, nullo modo comprahendit conſulentes, aut mandantes, niſi ſpecialiter exprimantur, etiamſi hi improprie dicãtur facere. Ex quibus patet ad rationem AA. in contrarium. *Sanch. Filluc. Bonac. Vgolin. Sanctar. Souſa. Portell. Auctor.*

88 Qui igitur audit alium legentem Hæreticorum libros, ſiquid delinquit in hoc, præſertim ſi alium coegerit ad legendum, non incurret præcisè ex hoc excommunicationem, atq; adeo poterit non ſolùm vi bullæ, ſed etiam à quolibet ſimplici Confeſſario abſolui: imò neque excommunicationem incurret ipſe legens, ſi nõ intelligat linguam, in qua tales libri conſeribuntur, & ſi illam intelligat, ſi coactus illos legerit, iuxta ſupradicta n. 79. & Q. 1. à n. 30.



DIFFICVLTAS XXI.

An qui legit, imprimit, seu defendit Infidelium libros erroribus cõtrà Fidem refertos, possit vi Bullæ absolutè absolui?

89 VIdetur idem dicendum de istis ratione periculi, ac dictum est hactenùs de illis, qui legunt, imprimunt, seu defendunt, similibus erroribus contra fidem refertos Hæreticorum libros; atque adeo excommunicationem bullæ cœnę incurrere &c.

90 Omninò tamen oppositum docent *Vgolin. de cas. reser. 2.p. C.1.V. ac eorund.§. 1. n. 3. Sanch. sum. to. 1. l. 2. C. 10. n. 22.* alijq; & meritò, nam Infideles, saltem rigorosè loquendo, nõ veniunt sub Hæreticorum nomine; ac proinde excommunicatio lata contra legentes Hæreticorum libros nequit extendi ad legentem Infidelium libros, quamtumuis erroribus contra fidem refertos; atque adeo legentes, imprimentes, seu defendentes huiusmodi infidelium libros, siquid peccati in hoc cõmittant, poterunt absolutè à quolibet simplici Confessario, nedùm vi bullæ absolui. *Vgolin. Sanch. Auctor.*

91 Et idem dicendum puto cũ *Sanchez ci.* etiamsi dicti infideles fuerint cathecumeni, & à fide defecerint; eò quia verè Hæretici non sint, cùm solemniter in baptismo fidem professi non sint; & si aliquando hæretici dicãtur in fauorabilibus, in odiosis tamen minimè vnquam sub Hæreticorum nomine veniunt.

DIFFICVLTAS XXII.

An qui non reuelat Inquisitoribus Hæreticorum libros, sed comburit, incurrat excõmunicationem bullæ cœnæ.

92 NEgant *Suar. tract. de fid. d. 20. sec. 2. nu. 23. Sanch. sum. to. 1. l. 2. C. 10. n. 56. Portell. in add. ad d. reg. n. 13. Diana p. 1. tr. 11. res. 37.* alijq; & meritò, nã qui illos comburit, verè & in omni rigore illos non retinet; dummodo tamẽ intrà aliquod breue temporis spatium illos comburat (iuxta supradicta n. 70.) nam si post multos dies ab habita notitia talium librorum illos combutet, iam ratione illius præteritæ retentionis excõmunicationem bullæ Cœnæ incurrit, & consequenter non poterit absolutè absolui, sed vi bullæ Cruciatę semel tantùm in vita, et semel in articulo mortis, modo supradicto. *Suar. Sanch. Portell. Diana. Auctor.*

93 Maior tamen Difficultas est, An is peccet comburendo tales libros, et non tradendo Inquisitoribus.

94 Absolutè negant *Zanchin. tr. de haret. C. 7. n. 7. Filliuc. to. 2. tr. 22. C. 7. n. 208.* nonnullique alij. suaderi potest ex eo, quia dùm comburuntur, non adest ampliùs periculum illos legendi, ad quod videtur spectare præceptum tradendi huiusmodi libros Inquisitoribus. *Zanchin. Filliuc.*

95 Affirmant tamen *Azor. to. 1. l. 8. C. 19. q. 11. Sanch. sum. to. 1. l. 2. C. 10. n. 56. Suar. tr. de fid. D. 20. se. 2. n. 23. Farinac. de haresi, q. 180 n. 40. Riccius p. 4. dec. 255. n. 4. Sousa in Bul. cœnæ, C. 2. D. 15. concl. 3. n. 4.* aliique communiter DD. et meritò; ita enim *Azor. Sanch. Suar. Farinac. Riccius. Sousa. Auctor.*

aperte

apertè colligitur ex quodam motu proprio Iulij III. qui sic ait: *Qui verò tales libros habuerint, eos consignare debeant realiter, & cum effectu Inquisitoribus ciuitatum, in quibus eiusmodi libri extiterint; alioquin tanquam Hæretici possint publicari;* in quibus verbis Sum. Pontifex aufert à personis priuatis omnem potestatem disponendi de huiusmodi libris pro ipsorum arbitrio; quod præceptum etiā sub graui obligabit, per se loquendo, hoc est, quoties ex illorum librorum consignatione in manus Inquisitorum, nullū graue damnum, seu periculum timetur, quia tunc non obligabit, sicuti non obligant reliqua alia præcepta positiua, quoties ex illorum executione aliquod graue damnum timetur.

96 Ad rationem verò, quæ in contrarium videtur, satis patet ex dictis. Atque hæc satis sint circa legentes Hæreticorum libros; superest vt aliqua breuiter adnotemus circa imprimentes; seu defendentes eosdem libros.

DIFFICVLTAS XXIII.

Qui veniu... sub nomine Imprimētium libros hæreticorum, ita ut non possint nisi semel, & non absolutè vi Bullæ absol. ui.

97 Conueniunt DD. sub nomine imprimētium hos libros venire omnes illos, qui ad impressionem proximè cooperantur; vt sunt qui typos ordinant, et componunt, qui sic compositos attingunt atramēto: qui torcularia premunt; qui chartas madefaciunt, aut madefactas torculari supponunt. Similiter & officinæ Patronus, seu Dominus, qui licèt non per se sed per suos ministros imprimat, verè tamen dicitur imprimere, cùm sua auctoritate libri omninò imprimantur; sicuti nō minùs dicitur construere domum Architectus, quàm eius operarij.

98 Dubitatur tamen primò, An compræhēdatur sub imprimētium nomine qui impressionis facit expēsas. Negat *Sanch. sum. to. 1. l. 2. C. 10. n. 57.* *Sanch.*

99 Affirmāt tñ *Sayrus to. 1. thes. l. 3. C. 5. n. 17.* & meritò, nam plùs influit is sua pecunia in impressionem, quam alij manibus. *Sayrus. Auctor.*

100 Dubitatur secundò, An similiter compræhendatur Corrector exemplaris impressi. Affirmant *Sayrus ci. & Graffius p. 1. dec. l. 4. C. 18. n. 50.* *Sayrus. Graff.*

101 Negant tamen *Vgolin. de cens. reser. p. 2. C. 1. V. Imprim. & Sanch. sum. n. ci.* & meritò, nam corrector per accidens se habet ad impressionem; quòd enim liber exeat è typis mendosusne, an correctus, se habet omninò per accidens: comprehenditur tamen vt legens. *Vgolin. Sanch. Auctor.*

102 Dubitatur demùm tertio, An compræhendatur, qui librū imprimendum tradit, siue sit ipsemet libri auctor, siue non. *Vgolin. ci.* initiò non audet affirmare, in fine verò affirmat, similiter & *Sanch. ci.* & meritò, nam in communi vsu loquendi, verè dicitur imprimens. *Vgolin. Sanch. Auctor.*

103 Tandem conueniunt DD. non compræhendi eos, qui vendunt dictis impressoribus literas æneas, chartas, atramentum, & reliqua ad imprimendum necessaria. Et meritò, nam nec imprimere

primere dicuntur, nec proximè ad impressionem concurrunt.atque adeo præcisè ex hoc (ni aliud obstet) poterunt hi omnes, sicuti & alij non compræhensi, à quolibet simplici etiam Confessario absolui; qui verò compræhenduntur, semel tantùm vi bullæ in vita, & semel in articulo mortis, modo supradicto.

DIFFICVLTAS XXIV.

Quinam dicantur defensores librorum hæreticorum, itaut non possint nisi semel, & non absolutè vi Bullæ absolui?

104 CONueniūt DD. dici Defensores librorum Hæreticorum omnes, & singulos, qui siue publicè, siue occultè, ex quauis causa, & quouis quæsito colore libros Hæreticorum defendunt; sic enim expressè habetur in prima clausula Bullæ cœnæ. quarè qui siue verbis, siue scriptis quamuis non in publicum editis, defenderet dictos libros, excommunicationem eiusdem bullæ cœnæ incurreret. similiter qui etiam solius disputationis gratiâ illos defenderet, quia dicta clausula bullæ ait: quouis quæsito colore, & ingenio. Similiter siquis se ostenderet paratum ad illos defendendos, prouocans ad certamen volentes contrarium sustinere, nam hoc ipsum moraliter reputatur defensio; sicuti benè dicitur defendere arcem Dux ille, qui contra hostem stat armatus, etiamsi non pugnet. Similiter etiam qui diceret, tales libros esse bonos, vel vtiles, seu non comburendos, seu quouis alio modo studeret, ne dicti libri in manus Inquisitorum venirent.

105 E contrà conueniunt similiter DD. nō debere dici defensorem horum librorum, qui defenderet id, quod in his libris catholicum est; non quidem vt contentum in Hæreticorum libris, sed quia in se verum, ac catholicum est; & meritò, cùm hoc sit defendere veritatē, nullo habito respectu ad hæreticorum opus. Similiter neque diceretur Hæreticorum defensor, qui stylum libri, seu eius phrasim, vel auctoris ingenium laudaret, nō formaliter vt opus hæretici, nec ad defendendum ne comburatur, & extermine tur, sed secundùm se; cùm neque hoc sit verè defendere. similiter neque erit illos defendere, siquis dicat, se velle illos defendere, eò quia velle facere, absolutè non est facere. Quare hi omnes non incurrent excōmunicationem latam contra Defendentes libros hereticorū, & consequenter poterunt absq; vllo priuilegio absolui, ac toties quotiès, nisi aliud obstabit.

DIFFICVLTAS XXV.

Quinam sint Hæreticorum libri ex professo de religione tractantes, qui communi DD. consēsu, prohibentur sub excommunicatione legi, imprimi, atq; defendi?

106 DE Religione tractare dicuntur libri secundùm *Suarez to.5. in 3.p.D.21.se.2.n.* 10. qui ad Fidei expositionem Suar.

nem pertinent, & consequenter qui vel *Diuinam Scripturam* exponunt, vel scholasticam Theologiam explanant; secus autem qui de Philosophia, aliisq; inferioribus artibus historia, seu poesi tractant.

Vgolin. 107 Item per *Vgolinum de cas. reser. 2. p. C. 1. V. vel de rel.* de religione tractare dicuntur libri, qui disserunt de cultu debito tàm Deo, quam Sanctis; similiter de Clericis, ac monachis.

Sanch. 108 Insuper secundùm *Sanchez sum. to. 1. l. 2. C. 10. n. 21.* qui de moribus Christianis tractant non solùm politicis; sed etiam ad forum conscientiæ spectantibus.

109 Quibus addi poterunt libri de immortalitate Animæ tractantes, quamuis id spectet per se ad materiam de anima, quæ Physicæ propria est; & consequenter qui de Purgatorio, & de alia vita disserunt ex professo; vtiquè omnes isti absolutè neq; legi neq; imprimi, neq; defendi poterunt, prout dictũ est. Pro cõplemento igitur præsẽtis Quæstionis restat solũ, nonnullas Difficultates soluere circa Receptatores, Fautores, & Defensores ipsorum Hæreticorum, pro quo sit.

DIFFICVLTAS XXVI.

An quomodocumque quis receptet, seu faueat, vel defendat Hæreticos, semper incidat in excommunicationem Bullæ cœnę.

110 CONueniunt DD. non incidere in excommunicationem bullæ cœnę, qui receptat, seu fauet, vel defendit Hęreticos non formaliter vt Hęretici sunt, sed vel causà amicitiæ, seu consanguinitatis, & huiusmodi; estò sępe in foro externo pręsumatur in illam incidere, neutiquam autem in foro conscientię. & meritò, nã excommunicatio hec sicuti primariò fertur in Hæreticos ratione hęresis, ita nequit ad alios extendi nisi per habitudinem ad eamdem heresim; atq; adeo qui receptat, fauet, vel defendit Hęreticum, vt Hęreticus est, in dictam excommunicationẽ incidit, etiamsi sit coniux, seu parens ipsius Hęretici, quia bulla cœnę quoad hoc, indiscriminatim loquitur. si verò vi hoc fiat, me remitto ad ea, quę suprà dixi Q. 1. à n. 30.

111 Dubitatur tamen primò, An sola intentio non fauendi Hęretico, vt Hęreticus est, satis sit adhoc, vt quis dicatur fauere non heretico, vt Hęretico; etiamsi fauor per se, & proximè redundet in Hęresis fauorem.

112 Affirmant *Sanch. sum. tom. 1. l. 2. C. 10. n. 5. Suar. to. 5. in 3. p. D. 21. se. 2. n. 8. Rodriq. S. 9. n. 75. Nauar. l. 4. cons. tit. de Her. cons. 11.* & alij. secundum quorum opinionem, siquis receptet Hereticum amicum, vel consanguineum ne veniat in manus Iudicis querentis illum ob crimen Hęresis, dummodo non receptet illum Hęreticum animo fauendi hęresi, quam reuera execratur, sed causa solius amicitię vel consanguinitatis, in tali casu is non diceretur fauere Heretico, vt hęreticus est, non obstante quod talis fauor per se, & proximè redundet in fauorem hęresis, & consequẽter neq; incurreret excommunicationem bullę cœnę. *Sanch. Suarez. Rodriq. Nauarr.*

Negant

Tolet. *Vgolin.* *Sayrus.* *Auctor.*

113 Negant tamen *Tolet. sum. in bul. cœn. excom. 1. nu. 2. & 23. Vgolin. de cens. reser. 2. p. C. 1. V. recep. Sayrus to. 1. thes. l. 3. C. 5. n. 3.* alijq; & meritò, nam eò ipso quòd fauor, seu defensio heretici redundat per se, & proximè in Heresis fauorem, formalissimè est fauere, ac defendere Hereticum per se, & proximè in crimine heresis, (quacunque intentione id fiat;) fauere autẽ, vel defendere hereticum in ijs, quę spectant ad crimen heresis proximè, & per se, est formaliter fauere, & defendere Hereticum, vt Hereticus est, prout apertè patet in reliquis rebus. sic defendere Titium homicidam in ijs, quę pertinent ad homicidium, formaliter est defẽdere Titium vt homicidam, &c. Quarè qui ascondit Hereticum conquisitum ob crimen heresis, quamuis id faciat nõ animo fauendi heresi, incurret tamen excommunicationem bullę cęnę; secùs autem si abscondat Hereticũ ob aliud crimen v. g. homicidij, vnde consequenter effugiat etiam manus Iudicis conquirentis illum ob crimen heresis; tunc enim fauor non per se, ac proximè redundaret in fauorem heresis, sed tantùm per accidens, & remotè.

Suar. *Sanch.*

114 Dubitatur secundò, An ad incurrendam dictã excommunicationem requiratur subsequi effectum. Affirmant *Suarez tom. 5. in 3. p. D. 21. se. 2. n. 8. ci. Et Sanch. lo. ci. n. 9.* quarè secundùm hanc opinionẽ, siquis abscondat Hereticum, ne veniat in manus Iudicis conquirentis illum etiam ob crimen heresis, si tamen de facto capiatur, non incurret excommunicationem abscondens.

115 Negat tamen *Sayrus ci. n. 4.* & meritò, nam ipsum factum absconsionis sub excommunicatione in bulla cœnę prohibetur, atque adeo nisi paruitate materię, hoc est breuitate temporis, quo absconditur, nempe per vnum, aut duos dies, excusetur, excommunicationem incurret. *Sayrus.* *Auctor.*

116 Dubitatur demùm Tertio, An Hereticus receptatus, seu defensus, vel cui fauetur, sit denunciatus ad hoc, vt illum receptans, &c. excommunicationẽ incurrat. Affirmat *Vgolinus lo. ci.* eò quia Conc. Constãtiense iubet, solos excommunicatos denunciatos vitandos esse. *Vgolin.*

117 Negant tamen *Suar. lo. ci. n. 9. & Sanch. etiam ci. n. 6.* & meritò, nam dictum Concilium loquitur de incursione excommunicationis ratione communicationis cum excommunicato vt sic; in bulla autem cœnæ non prohibetur receptatio &c. Heretici vt participatio, seu communicatio cum Hæretico, vt excommunicatus est, sed vt Hæreticus est; atq; adeo etiamsi Hereticus non esset excommunicatus, adhuc fauens illi vt Hereticus est, hãc excõmunicationem incurret. *Suar.* *Sanch.* *Auctor.*

118 Atque hęc satis sint circa Receptatores, Fautores, ac Defensores Hereticorum in communi; superest ergò solùm aliquas difficultates circa eosdem in particulari enodare.



DIF.

DIFFICVLTAS XXVII.

Quinam dicuntur Hæreticorum Receptatores, itaut non poſſint niſi ſemel in vita, &c. non autem abſolutè vi bulla abſolui?

119 CONueniūt DD. dici abſolutè Hæreticorum Receptatorem, qui, adhùc pro vnica vice, Hæreticum receptat, vt Iudicis manus effugiat, & ne puniatur vt hæreticus eſt, modo ſupra explicato. quarè nō ſolum Hæreticorum receptator dicitur priuata perſona recipiens in ſuas ędes, vel in ſuum agrum hęreticos, ſed etiā publica, vt Princeps illos recipiēs in ſuam ciuitatem, prouinciam, vel regnum, ſiue in proprias, ſiue alienas ędes. & meritò, quia bulla cœnę non diſtinguit locū receptionis; & cōſequenter hi omnes dictam excommunicationem incurrent, & conſequēter nō poterūt niſi ſemel vi Cruciatę abſolui, modo ſupradicto.

DIFFICVLTAS XXVIII.

Quinā ſint Hæreticorū Fautores?

120 CObueniunt DD. dici abſolutè Hęreticorū Fautores, omnes & ſingulos, qui quouis modo Hęreticis, vt hęretici ſunt opem pręſtant, ne à Miniſtris iuſtitię compręhendantur, aut ne puniantur compręhenſi; ſeu quomodocunquè illis fauent in ſua hęreſi tuenda, vel docenda. Hoc autem dupliciter contingere poteſt, nēpè poſitiuè, ideſt commiſſione: & Negatiuè, ideſt omiſſione.

121 Omiſſione igitur dicuntur fauere, dictàq; excōmunicatione innodantur, qui contra Hęreticos facere negligunt, quod debent ratione officij, quo funguntur. Quare ipſi Inquiſitores, alijq; Prelati eccleſiaſtici dictā excommunicationē incurrent, ſi causà fauendi hęreſi, negligūt capere, torquere, vel punire Hęreticos, vel fideliter in carcere cuſtodire. ſimiliter eorūdem Miniſtri, ſi causà tuendę hęreſis, hęreticos capere omittant; cùm adhoc ex officio teneantur. eademque ratione & Magiſtratus ſęcularis, ſi punire omittat hereticos brachio ſęculari traditos;

122 Priuatę autem perſonę ex ſola omiſſione, non reputantur fauere hereticis, & conſequenter ex hoc capite, per ſe loquēdo, non incurrere poterunt dictam excommunicationē. Dixi, per ſe loquendo, nam per accidens contingere poteſt; & quidem Primò, ſiquis priuatus requiratur à magiſtratibus, ſuum præſtare auxilium ad capiēdos, ſeu puniendos Hæreticū, idq; præſtare nolit, & hoc vt faueat Hæreſi. Secundò ſi nolit iudicare Hæreticum Magiſtratui illum conquirenti, cum hoc cōmodè poſſit; nam in vtroquè caſu tenentur ex iuſtitia etiam priuatæ perſonæ ſuam præſtare operam contra dictos Hęreticos, vt contra hoſtes communes; atq; adeo, cū poſſint, & nolint, iurè exiſtimari debent veri Hæreticorum Fautores.

123 Tertiò cum perſonę ſiue publicæ, ſiue priuatæ, iuramēto ab Inquiſitoribus adſtrictæ de ferendo in Hæreticos vero teſtimonio, veritatem negant, vel celant, vt Hæreticis faueant; eo quia delinquunt contra iuſtitiam. Quartò, quando quis ex ſpeciali iuramento adſtringitur, contra Hęreticos ſuam præſtare operam; præſertim ſi talis obligatio acceptetur à magiſtratibus. Quintò demū, quę-

cunque personæ siue publicæ, siue priuatæ iussæ per Ill. Inquisitorum edicta denunciare Hereticos, idque omittunt, gratiâ fauendi Hæresi.

124 Petes, An dicatur Hereticorũ Fautor, Magistratus, qui negligit capere suspectum de Hæresi. Affirmant *Nauarr. l. 5. cons. tit. de Haret. in 1. edit. cons. 11. & in 2. cons. 14.* atq; adeò, secundùm hanc opinionem, Magistratus, qui non capit perseuerantem in excommunicatione per annum, incidit in excõmunicationem bullæ cœnæ.

Nauarr.

125 Negant tamẽ *Suar. to. 5. in 3. p. D. 21. se. 2. n. 14. & Sanch. sum. to.* 1. l. 2. C. 10. *n.* 14. & meritò, nam dicta excommunicatio contra hæreticorũ fautores fertur; suspectus autẽ de heresi, verè hæreticus nõ est, ergò &c.

Suar. Sanch.

Auctor.

126 Commissione demum dicuntur fauere hæreticis, ac dictam excommunicationem incurrunt, qui Hæreticos, vt tales, verbis excusant, laudant, commendant; vt si dicant, esse viros probos, seu iniustè damnatos, similiter qui dant consilium, vt incolumes è manibus iudicum euadant, vel aufugiẽdi viam docent, vel pro eis intercedunt, ne puniantur. similiter qui factis fauẽt, vt si eos comitentur, visitent, vel auxilium dant eis ad euadendũ, subministrando alimenta, pecunias, rũpendo, abscondendo, falsificando processum cõtra eos formatum, vel quouis alio modo impediendo executionem iustitię contra illos; & hoc etiamsi Hereticus, cui talis fauor prestatur, sit mortuus, seu emendatus, vt si quis ratione heresis preteritæ puniatur.

127 Demum dicitur Hereticorum fautor, qui confert benẽficiũ Heretico, vt Hereticus est, vel ad illud eum scienter presentat, vel quoquo modo ad idem auxilium prestat, idemq; benè dici potest, de conferentibus heretico, vt tali, quasuis dignitates, & honores.

DIFFICVLTAS XXIX.

Quinam sint propriè Hæreticorũ Defensores?

128 Conueniunt DD. dici verè, ac propriè Hereticorũ defensores, qui quouis modo, arte, vel industriâ Hereticos, vt Hereticos tuentur, vt in tuto viuant, ne vel in Iudicum manus incidant, vel siue in iudicio, siue extra illos defendũt. Quarè Aduocati, qui Hereticorum patrocinium suscipiunt, & Notarij in eorumdẽ defensione conficientes instrumenta, vt heresi faueant, dictam excommunicationem bullę cœnę incurrent; & consequenter non poterunt absolutè neq; vi Cruciatę absolui, nisi semel in vita, & semel in articulo mortis, sicut & reliqui supradicti, qui eandem excommunicationem incurrunt, prout dictum est.

129 E contrà non incurret dictam excommunicationẽ, qui Hereticos extra causam heresis defendit; quia sic non erit defẽdere Hereticos, vt Hereticos, sed proximos; nisi hoc ipsũ fiat animo fauendi Heresi.

130 Atq; hęc satis sint circa absolutionem à casibus, seu peccatis reseruatis, in ordine ad facultatem illa absoluendi, vi bullę Cruciatę concessam; superest ergò agendum de eadem facultate in ordine ad absoluendum excommunicationem, aliasq; censuras similiter reseruatas.

DISPV-

DISPVTATIO SETTIMA

DE POTESTATE, QVAM HABET CONFESSARIVS VI BVLLÆ ELECTVS ABSOLVENDI A CENSVRIS ETIAM RESERVATIS.

In eodem §. XV. Sum. Pontifex concedit Confessario virtute Bullæ Cruciatæ electo, non solùm potestatem absoluendi à peccatis etiam ipsi Sedi Apostolicæ reseruatis, modo supradicto, verùm etiam & facultatem absoluendi ab omnibus Cẽsuris similiter reseruatis; de quarum absolutione præcipuè in præsẽti Disputatione agendum erit.

QVÆSTIO I.

De Absolutione à Censuris in communi.

IN tres Quæstiones præsentem Disputationem secabimus. Et quidem in prima agemus de dicta absolutione à Censuris in communi; in secunda verò de absolutione ab Excommunicatione; ac demùm in tertia de absolutione à reliquis cẽsuris vi eiusdem bullæ Cruciatæ dandâ, breuiter dicemus.



DIFFICVLTAS I.

An vi Bullæ Cruciatæ possint absolui Censuræ etiam reseruatæ extrà Confessionem sacramentalem?

1 COnueniunt DD. absolutionẽ à Censuris vi Cruciatæ, necessariò dandam esse à Confessario per Ordinarium ad audiendas confessiones approbato. Et meritò, cùm expressè in eadem bulla Cruciatę dicatur, quod sumens bullam, possit eligere Confessarium ab Ordinario approbatum, qui ab omnibus Censuris absoluat, &c. atque adeo absolutio a Censuris vi bullæ Cruciatæ necessariò dari debet à Sacerdote per Ordinarium approbato. ceterùm nihil refert, an talis Confessarius sit pœnitentis, an aliquis alius.

2 Controuertitur ergò solùm,

An talis Confessarius possit vi præsentis bullæ absoluere à Cẽsuris etiam reseruatis, adhuc extrà Confessionem sacramentalem tàm validè, quàm licitè.

Nauarr. Couarr. Rodriq. Vasquez Filluc. Acosta.

3 Negant *Nauar. sum. C. 16. n. 31. Couar. in C. alma mater p. 1. §. 11. n. 16. Rodriq. §. 9. n. 14. Vasquez de excom. D. 20. n. 9. Filluc. to. 1. tr. 11. nu. 29. Acosta D. 50.* & alij; quorum ratio est, quia priuilegium hoc, aiunt, conceditur tãquam dispositio in ordine ad absolutionem à peccatis, vnde de facto soli Confessario cõmittitur huiusmodi potestas (vt dictum est) quamuis, generaliter loquendo, cuilibet clerico, etiam primæ tonsuræ, committi possit; signum ergò est, talem absolutionem vi eiusdem bullæ, necessariò dandam esse in ipsa Confessione sacramentali.

4 Confirmant etiam ex quodam Iubileo *Pij V.* in quo Põtifex apertè ait, omnia illa indulta, sicuti & omnia alia in futurum concedenda, esse pro foro conscientiæ, ac pœnitentiali: forum autem istud vtiq; est in Sacramento pœnitentiæ; ergò dicta absolutio necessariò danda est in ipsa confessione sacramentali, non solùm vt licitè, sed etiam vt validè fiat.

Auila. Sanch. Suar. Coninb Lud. à cr. Trullen. Hurtad. Bardi.

5 Affirmant tamen *Auila 2. p. C. 7. D. 3. d. 3. Sanch. lib. 8. de mat. D. 34. n. 30. Suar. to. 4. de rel. l. 9. C. 2. Coninb. D. 14. de excom. d. 16. n. 253. Lud. à Cruc. D. 1. C. 4. d. 5. nu. 3. Trullen. l. 1. §. 7. C. 2. d. 13. Hurtad. de excom. D. 15. d. 5. nu. 18. Bardi p. 2. tr. 6. C. 1. num. 67.* aliiq; & meritò; nam ex vna parte absolutio à Censuris nullam habet connexionem ex natura sua cum absolutione à peccatis, vt de se patet; potest n. generaliter loquendo, aliquis absolui à censuris, non autem à peccatis, nam cum communiter priùs quis absoluatur à Cẽsuris, & deinde à peccatis, vtiquè poterit Confessarius datà absolutione à censuris, suspendere, & differre absolutionem à peccatis. ex altera verò parte potestas hæc absoluendi à censuris vi bullæ conceditur absq; vlla dependentia à Confessione sacramentali; nullibi enim dicitur in hac bulla debere absolui censuras in Sacramento pœnitentiæ, vel auditis peccatis, vel aliud huiusmodi, ergò omninò gratis absolutio à censuris alligatur absolutioni sacramẽtali peccatorum; præsertim si censuratus nullam habeat necessitatem confitendi.

Auctor.

6 Ad rationem verò AA. in contrarium Dico, quòd quamuis potestas absoluendi à Censuris detur in ordine ad absolutionem à peccatis, non inde tamen sequitur, quòd necessariò debeat esse simul cum absolutione à peccatis; sicuti potestas, quæ datur in Iubileo absoluendi à reseruatis, vtiq; ordinatur ad lucrandam Indulgentiam Plenariam, & tamen potest quis vi Iubilei absolui à reseruatis, & de Indulgentia nihil curare. quòd autem talis absolutio committatur Confessarijs, cùm alioqui possit committi etiam non Sacerdoti, nihil obstat; hoc enim fit, vt cum maiori prudentia, ac meliùs pensatis omnibus procedatur, præsertim quando est pars satisfacienda; approbatus enim ad audiendas confessiones, ceteris doctior absolutè præsumitur.

7 Ad Confirmationem Dico, Pium

Pium V. per ly. *In foro consciẽtiæ, & pœnitentiali*, voluisse significare, absolutionem censurarum vi Iubilei, bullę, & huiusmodi non valere pro foro exteriori, & contentioso (vt infrà dicemus) sed solùm pro foro conscientię, vt scilicet homo fiat capax suffragiorum Ecclesię, quod etiam benè dicitur forum Pœnitentiale, dùm etiã pro sola absolutione censurę, imponenda est pœnitentia aliqua salutaris.

8 Hoc ipsum dicendum puto, etiamsi in facultate concessa absoluendi à Censuris, apponeretur dicta clausula. *Auditis confessionibus*, vel quid huiusmodi, prout de facto addebatur in bullis Cruciatæ antiquis ante Pium V., nam huiusmodi verba non important necessariam conditionem, sed conuenientem quandam instructionem, qua meliùs intelligatur, excõmunicatum iam deposuisse cõtumaciam, quod cõuenientiùs fit per confessionem, & debet regulariter fieri; oppositum tamen facere nullùm erit peccatum, præsertim si aliquà causà prudenter differatur absolutio à peccatis, & hoc non obstante detur statim absolutio à censuris, quæ erit non solùm valida, sed etiam omninò licita.

DIFFICVLTAS II.

An vi bullæ possit absens absolui à Censuris non solùm validè sed etiam licitè?

9 CONueniunt DD. posse absentem absolui à censuris per eos omnes, qui possunt ijsdem Censuris alios ligare. & meritò, nam plus est ligare cẽsuris, quàm ab eisdem soluere; imponere enim censuram, v.g. excommunicare, est actus iurisdictionis contentiosæ, quæ non in omni loco potest à Superiore in subditum exerceri; at absoluere est actus iurisdictionis gratiosæ, & voluntariæ, quæ etiam in alieno territorio exerceri poterit; cùm igitur ij possint etiam absentem ligare censuris, vt patet, multò magis poterunt etiam absentẽ ab eisdem censuris absoluere.

10 Dubitatur ergò solùm, An vi bullę possit absens absolui à censuris & validè, & licitè. Et quidem negant omnes illi, qui putant, absolutionem à censuris vi bullę Cruciatę necessariò impertiendam esse in actu confessionis sacramentalis, prout suprà vidimus n. 3.

11 Absolutè tamen affirmant *Suar. de cens. D. 7. se. 7. n. 4. Bonac. de cens. D. 1. q. 3. p. 4. n. 4. Diana p. 4. tr. 2. resol. 103. Lezan. sum. to. 3. qq. reg. V. absol. n. 16.* ijq; omnes, qui nobiscum docent, etiã absentem posse vi bullę Cruciatæ absolui, prout supra num. 5. diximus. & meritò, nam si semel vi bullæ poterit dari absolutio à censuris extrà cõfessionem sacramentalem, vtiq; non est, cur similiter non possit vi eiusdem bullæ dari etiam absenti, non solùm validè, sed etiam licitè, per se loquendo.

Suar. Bonac. Diana. Lezan.

Auctor.

12 Dixi, *per se loquendo*, nam absquè proportionata, & rationabili causa erit illicitum absoluere absentem à cẽsuris etiam vi bullæ, aut alterius similis priuilegij; & hoc tàm propter reuerentiam ipsius censuræ, quã propter scãdala, quæ occurrere possent. An verò similiter vi bullæ possit absolui à censuris

inuitus,

inuitus, vel inscius, diceturDiff. eque ntibus.

DIFFICVLTAS III.

An vi Bullæ possit absolui à Censuris etiam inuitus?

13 CONueniunt DD. posse inuitum absolui à censuris per eos omnes, qui possunt iisdem censuris alios ligare. Et meritò, nam ij possunt etiam inuitum ligare censuris, vt patet, ergò multò magis poterunt etiam inuitum ab eisdem censuris absoluere; plùs enim est ligare censuris, quàm ab eisdem soluere, vt suprà n.9. probatum est. Videndum ergo est, An vi præsentis priuilegij bullæ possit inuitus absolui à censuris, non solùm validè, sed etiã licitè.

14 Et quidem conueniunt DD. similiter posse inuitum absolui à censuris tùm validè, tùm licitè à confessario habente priuilegium absolutè, & absq; limitatione absoluendi à censuris etiam reseruatis, quotiès tale priuilegium fuerit cõcessum in gratiam ipsius confessarij, siue vt priuatæ personæ, siue vt partis alicuius communitatis, vt sunt religiosi. Et meritò, nam spectata natura censurarum, sicuti ad illã infligẽdam non requiritur cõsensus illius, contra quem fertur, ita neque ad illam auferendam.

15 Verùm tamen est, aliquando non expedire absoluere à censuris inuitum; & maximè si in contumacia persistat; atque adeo poterit interdum esse graue peccatum, imò & contra iustitiam, si talis absolutio tendat in præiudicium tertiæ personæ; sed hoc erit per accidens; per se tamen loquendo, erit & valida, & licita, vt dictũ est, spectata scilicet ipsius censuræ natura.

16 His tamen non obstantibus, conueniunt DD. absolutè non posse absolui a censuris inuitũ vi bullæ Cruciatæ, aut vi alterius similis priuilegij concessi in fauorem ipsius censurati, & pœnitentis. Et meritò nam vsus huiusmodi priuilegij primò, & per se dependet à libera voluntate ipsius priuilegiati, atque adeo ipso nolente, nequit priuilegium applicari.

17 Dubitari solùm potest, An possit inuitus absolui à censuris vi priuilegij concessi in gratiã ipsius confessarij, non quidem absolutè, sed cum dependentia à confessione sacramentali.

18 Negant *Bonac. de cens. D.1. q. 3. p.4. n.3. & Bardi p.2. tr.6.* C. 3. *n.22.* quorum ratio est, quia confessio nequit sacramentaliter fieri absq; positiuo consensu pœnitentis; proindè quandò facultas absoluendi à censuris est dependens à tali confessione, nõ poterit habere suum effectum non posita confessione; hinc inferunt, non posse inuitum vi talis priuilegij absolui à censuris. *Bonac. Bardi.*

19 Verùm hęc opinio, vt iacet, non videtur omninò vera. quarè in tali casu vltrò concedo, nõ posse tunc censuratũ vi talis priuilegij absolui à cẽsuris, nisi de facto cõfiteatur, neq; posse cõfessionẽ sacramẽtaliter fieri absq; positiuo cõsensu pœnitẽtis; attamen facta cõfessione sacramentali omninò liberè, &c. quid vetat, quęso, posse confessarium *Auctor.*

ſarium tunc impertiri ipſi pœnitenti abſolutionem à cenſuris, etiamſi ipſe pœnitens illam nolit? niſi quid aliud ex alio capite obſtabit.

DIFFICVLTAS IV.

An vi Bullæ poſſit abſolui à cenſuris etiam ignarus?

20 QVæ ſuperiori Diff. dicta ſunt de abſolutione à cenſuris in ordine ad inuitum, valebunt etiam in ordine ad inſcium, vel ignarum. quare quicunq; poteſtatem habet ferendi cenſuras, cùm vi talis poteſtatis poſſit & ignarum ligare cẽſuris, poterit conſequenter multò magis & ignarum ab eiſdem cenſuris abſoluere, non ſolùm validè, ſed etiam licitè, regulariter loquendo, vt ſupradictum eſt. idemque aſſerendum eſt de confeſſario habente priuilegium, in ſui gratiam conceſſum abſolutè abſoluendi à cenſuris etiam reſeruatis, modo etiam ſupradicto in n.14.

21 Quod ſi tale priuilegium nõ fuerit abſolutè conceſſum, ſed dependenter à confeſſione Sacramentali, idemq; dicendum puto de abſoluendo ingnaro à cenſuris, quod ſuprà n.19. in ordine ad abſoluendum ab eiſdem cenſuris inuitum, dictũ eſt.

22 Deſcendendo autèm magis in particulari ad propoſitam difficultatem, dico vi bullæ Cruciatæ, vel alterius huiuſmodi priuilegij conceſſi in gratiã ipſius cenſurati, & pœnitentis non poſſe abſolui à cenſuris ignarum, & omninò inſcium talis priuilegij; nam tale priuilegium nequit ſuum conſequi effectum, niſi ipſemet cenſuratus, & pœnitens, in cuius fauorem, & gratiam conceſſum eſt, velit eodem priuilegio vti; iam qui omninò ignorat ſuum priuilegium, quomodo poterit velle eo vti?

23 Dixi, qui omninò ignorat ſuum priuilegium, nam ſiquis non omninò ignoret, ſe vi bullæ à Confeſſario abſolui, tunc illius conſequenter effectum, ac liber remanebit à cenſuris, quib⁹ erat innodatus; ad quod ſatis eſt, vt habens bullam Cruciatæ, quamuis eius efficaciam ignoret, attamen accedat ad Confeſſarium, vt vi eiuſdem bullæ omni meliori modo abſoluatur, idemq; intendat ipſe Confeſſarius; quia tunc iſte implicitè, eſto non explicitè, cenſetur bullæ efficaciam cognoſcere, eademq; vti velle; vt in ſimili ſupra diximus D.5.Q.1.à n.49.

DIFFICVLTAS V.

An vi Bullæ poſſint abſolui Cenſuræ ſub conditione non ſolùm de præterito, & præſenti, ſed etiam de futuro?

24 COnueniunt DD. poſſe cenſuras validè abſolui tàm ſub conditione de præteritò, ſi abſoluendo dicas: Si reſtituiſti, ſeu parti læſæ ſatisfeciſti, Ego te abſoluo ab excõmunicatione v.g. quam incurriſti; quàm ſub conditione de præſenti, ſi abſoluendo dicas: Si doleas, v.g. Ego te abſoluo. Et meritò, quia conditio de præterito, vel de præſenti non ſuſpendit actum, nam ſi verè à parte

parte rei conditio illa habuit existentiam, vel nunc habet, absolutio transit in absolutum; si verò talis conditio non erit adhuc posita, tunc absolutio erit irrita, cùm intentio absoluentis, est, absoluere posita tali conditione.

25 Controuertitur ergò solùm, An Censuræ possint absolui sub conditione de futuro, vt si v.g. absoluendo dicas, si intra mensem solueris, vel dederis parti læsæ satisfactionem, Ego te absoluo ab excommunicatione &c.

D. Anton. Syluest. Angel.

26 Negant *D. Anton. p.3. tit. 24. C. 77. §. 1. Syluest. V. absol. 3. n. 1. Angel. V. excom. 2. n. 5.* nonnullique alij, quorum ratio est, quia absolutio sacramentalis à peccatis data sub conditione de futuro est illicita, & nulla, ergò similiter erit illicita, & nulla absolutio à Censuris sub conditione tali de futuro data.

Auila.

27 At *Auila 2. p. C. 7. D. 3. d. 15.* & alij docent, huiusmodi absolutionem esse illicitam, eò quia est contra rationem, vt maneat in suspenso: esse tamen validam vtpote nullo iure irritam.

Suar. Vasquez. Coninb. Reginal. Hurtad. Bauny. Auctor.

28 Absolutè tamē affirmāt *Suar. de cens. D. 7. se. 8. Vasq. de excom. d. 18. Coninb. de sacr. D. 14. d. 16. n. 213. Reginal. prax. l. 6. n. 52. Hurtad. tr. de excom. D. 14. d. 2. Bauny p. 2. D. 3. tr. 2. q. 34.* aliique & meritò, quia huiusmodi absolutio nullo iure irritatur, atque adeo impleta conditione sub qua fuit facta, vtiquè habebit effectum tollendi censuram, & cōsequenter erit valida. quod possit etiam esse licita, probatur; nullo enim iure prohibetur, non positiuo, cùm nullum extet: non naturali, quia sic absoluere non est cōtrà rationem, sicuti neque est contra rationem ferre Censuras sub conditione similiter de futuro.

29 Ad rationem verò in contrarium pro prima opinione n. 26. allatam, Nego paritatem; & disparitas est, quia absolutio sacramentalis in ordine ad suū effectum ex Christi institutione habet; nō posse directè dependere ab ipso cōfessario absoluente, ac proinde vel statim suum sortitur effectum, si cadat supra debitam materiam, nullumq; in subiecto reperiat impedimentum, vel si secus, nunquam habebit; absolutio verò à censuris non est sacramentalis, sed actus iudicialis merè humanus, & institutione tantùm humana introductus, sicuti, & ipsamet censura; idcirco directè, & absolutè dependere potest ab hominis intentione, & consequenter ab eadem intētione poterit eius effectus suspendi, vsquedum purificetur conditio.

30 Quarè cum circa hoc nihil in contrarium in bulla Cruciatæ statuatur, cōsequenter iuxtà nostram opinionem, poterunt vi eiusdem bullæ absolui censuræ sub conditione non solùm de præterito, & præsenti, sed etiam sub conditione de futuro tàm validè, quàm licitè.

DIFFICVLTAS VI.

An vi bullæ possint absolui Censuræ ad cautelam?

31 QVotiès certò constat absoluendum in censurā incurrisse, toties absolutio dāda erit simpliciter, & absolutè.

quando

quando verò eſt dubium, an fuerit contracta, necne, tunc abſolutio hæc danda erit ad cautelam ſic: ego te abſoluo ab excommunicatione v.g. ſi fortè illam incurriſti. Si verò nullum adſit dubium, nullaque ſuſpicio cenſuræ, tunc talis abſolutio dicitur dari ad ſuperabundantiam, ſiue ad cautelam impropriè, vt quotidie euenit in confeſſionibus ſacramentalibus in quibus nullum aperitur peccatum annexam habens cenſurã, & tamen ex vſu Eccleſiæ ante abſolutionem ſacramentalem præmittitur abſolutio à cenſuris, quod fit ob reuerentiam ſacramenti; ſimiliter ante exercitium alicuius actus, cuius valor à cenſuris impediri poſſet; ſicuti etiam fit ab Epiſcopo, antequam conferat Ordinem ad vitandum periculum irregularitatis in eo, qui ordinatur, ſi fortè aliquà cenſurà inueniatur innodatus. his poſitis.

32 Conueniũt DD. poſſe vi bullæ abſolui Cenſuras tam ſimpliciter, & abſolutè, quàm ad ſuperabundantiam, ſeu ad cautelam impropriè dictam. Quarè ſolùm controuertitur, An vi bullæ poſſint abſolui cenſuræ ad cautelam propriè dictam.

Couar. Nauar. Iaſon. 33 Negant *Couarr. in C. alma mat. p. 1. §. 12. Nauar. C. 27. n. 273. Iaſon. in leg. 2. quolibet. 2.* nonnulliq; alij; quorum ratio eſt, quia abſolutio ad cautelam eſt extraordinaria, atque adeo nõ debet cenſeri conceſſa in ſimplici facultate ad abſoluendum, cuiuſmodi eſt hęc, quę vi bullę conceditur, niſi expreſsè cõcedatur.

Arcbid. Lud à cr. Trullen. 34 Affirmant tamen *Arcbidia. in C. ſolet, de ſen. excom. in 6. Lud. à Cruc. D. 1. C. 4. d. 7. n. 2. Trull. l. 1. Carolus Latius in Bull. Cruc. §. 7. c. 2 d. 9. n. 15. Bardi p. 2. tr. 6. C. 4. n. 11.* alijque cõmuniter DD. & meritò, nã vi bullę poteſt abſolui cẽſura quãdo eſt certa (vt ipſimet AA. concedunt) ergò multò magis poterit vi eiuſdem bullæ abſolui eadem cenſura, quando erit dubia, ſicuti eadem poteſtas, quæ ſufficit ad abſoluenda peccata certa, erit etiam ſufficiens ad abſoluenda peccata dubia: abſoluere autem à cenſuris dubijs eſt propriiſſimè, ac formaliſſimè abſoluere ad cautelam. Adde maiorem requiri poteſtatem ad abſoluendum à cẽſuris certis, quàm à dubijs; nam peccatum reſeruatum ſi erit certum, non poterit abſolui à ſimplici confeſſario, à quo poterit vtiquè abſolui, ſi fuerit dubium; & idem eſt de voto reſeruato, quod ſi fuerit dubium poterit vi bullæ commutari, ſecus autem ſi fuerit certum; & ſic maior poteſtas requiritur ad abſoluendum à certis, quàm à dubijs, ac proinde dùm conceditur poſſe vi bullæ abſolui cenſuram certam, ridiculum ſanè erit negare, poſſe vi eiuſdem bullæ abſolui cẽſuram dubiam. Bardi. Auctor.

35 Ad rationem verò in contrarium AA. nego poteſtatem abſoluendi ad cautelam, modo à nobis explicato, eſſe extraordinariam, & non compræhenſam ſub poteſtate abſoluendi à cenſuris certis, imò illa continetur ſub iſta, tanquam minus ſub maiori. Ceterùm quæ ab AA. congeruntur contrà nos, videntur habere locum tantùm pro foro cõtentioſo, ſeu externo, non pro foro conſcientiæ, ſeu interno, de quo hic loquimur, & pro quo ſolo conceditur vi bullæ poteſtas hæc abſoluẽdi à cenſuris, vt infrà patebit.

Gg DIF-

DIFFICVLTAS VII.

An vi Bullæ possit quis ad reincidentiam absolui?

36 ABsolutio à censuris ad reincidentiam dicitur illa, qua quis non absoluitur ab illis omninò, & simpliciter, sed cum regressu in eandem censuram. quod dupliciter contingere potest; primò, cùm quis absoluitur non in perpetuum, sed ad determinatum tempus absque vlla conditione, vt si dicas v.g. *Absoluo te ab excommunicatione ad tres dies*, quibus transactis dictis tribus diebus, qui fuit sic absolutus, iterùm in eandem incidit excommunicationem, quod fieri solet ex consensu partis ad hoc vt excommunicatus, vel suspensus, &c. possit sic coram Iudice suũ ius dicere, vel testimoniũ ferre, siue vt collatio Beneficij ecclesiastici, aut alia gratia Sum. Pontificis suum habeat valorẽ. Secundò, cùm quis absoluitur non ad determinatum tempus, sed simpliciter, & absolutè, sub conditione tamen satisfaciendi, vel aliquid aliud faciendi intra aliquod determinatũ tempus, quo transacto, & tali conditione non impleta, iterum in eandem censuram incidatur; vt si e.g. dicas: Absoluo te ab excommunicatione, itaut si intra tres dies non soluas, incidas iterum in eandem excommunicationem.

37 His positis, quęrimus in pręsenti, An vi bullæ Cruciatę possit quis absolui ad reincidentiã modo iam explicato.

38 Et quidem ratio dubitandi pro parte affirmatiua est, quia vi bullę Cruciatę potest quis absolutè absoluià censuris, ergò multò magis etiam vi eiusdẽ bullę absolui poterit ad reincidentiam; patet consequentia, plùs enim est absolutè absoluere, quàm cum limitatione, nẽpè ad reincidentiam; atq; adeo si vi bullę poterit primum fieri, poterit & secundum.

39 Negant tamen *Rodriq.§.9.n.57. Sotus in 4. D. 22. q. 2. ar. 4. Herriq.l.13.C.29.n. 3. Acosta q. 51. Trullen.l.1.§.7.C.2.d.14.n.2. Gomez claus.10.n.27. Bardi p.2. tr.6.C.4.n.15.* alijq; communiter DD. & meritò, nam ex vna parte absoluere ad reincidentiam, supponit in absoluente potestatem excommunicandi, vel suspendendi censuram, ne afficiat personam, quę absoluitur; quæ quidem suspensio nõ est tantùm quoad effectum, vt scilicet ipsa censura manente, effectum tamen non causet; nam si semel informat, nequit non causare suum proprium effectum in subiecto, quod informat; atq; adeo ita suspendi debet, vt ampliùs hominem nõ afficiat, vt dictum est; cùm quis igitur absoluit ad reincidentiã, vel ad determinatum tempus, vel absolutè, sub conditione tamen, tunc transacto eo tempore, seu non positâ conditione censetur ex vi suę iurisdictionis, vel iterum excommunicare, vel facere vt prior excommunicatio suspensa redeat, & de nouo hominem afficiat, quę omnia apertè sũt actus iurisdictionis supponentes hãc potestatem in eo, qui ita operatur.

Rodriq. Sotus. Herriq. Acosta. Trullen. Gomez. Bardi. Auctor.

40 Ex altera verò parte per bullam Cruciatæ non datur potestas neq; excommunicãdi, neq; imponẽdi aliquã censurã, neq; suspen-

suspendẽdi excõmunicationẽ, vel alias censuras, sed solùm datur facultas absoluendi simpliciter à censuris (vt ex ipsamet bulla patet) ergò nequit quis vi præsentis bullę absolui à censuris ad reincidentiam.

41 Ad rationem verò AA. in contrarium, satis patet ex dictis; nego enim plùs requiri ad absoluẽdum simpliciter, quàm ad reincidentiã, nam hęc supponit in absoluẽte potestatem excommunicandi, seu suspendendi censuras, secus illa, vt dictum est.

DIFFICVLTAS VIII.

An absolutio à Censuris vi Bullæ sit valida, si metu extorqueatur?

42 CONueniũt DD. huiusmodi absolutionem esse irritam, & nullam, si per vim, seu per metum grauem iniustũ extorqueatur. Et meritò, primò quia in iure Canonico *C. de his quæ vi, aut metu, in 6.* non solum statuitur, talem absolutionem esse prorsus inualidam, sed vlteriùs eum, qui tali pacto illam extorquet, incidere in excommunicationem. probatur secundò ex congruentia, nam qui per iniuriam aliquid extorquet, conueniens est, vt de re sic extorta nullum reportet commodum à iure concessum; & prout facit ad rem pręsentem, qui per vim, aut metum iniustum extorquet absolutionem à censura, non videtur adhuc reliquisse suam contumaciam, & consequenter reddit se indignum tali absolutione.

43 Dixi, si *per metum iniustum extorqueatur*, nam si iustè incutiatur, valida erit huiusmodi absolutio. Dixi similiter, *per metum grauem*, hoc est cadentem in costantem virum, atque adeò metus leuis non inualidat dictam absolutionem, eò quia metus leuis in iure pro nihilo reputatur.

44 Deueniendo igitur ad propositam Difficultatem, conueniunt similiter DD. esse irritã, ac nullam absolutionem à Cẽsuris etiam vi bullę Cruciatę collatam, si per vim, seu per metũ grauem iniustum extorqueatur. & meritò, nam circa hoc nihil de nouo in bulla statuitur, ac proinde quoad hoc se omninò conformat iuri cõmuni.

DIFFICVLTAS IX.

An absolutio à Censuris vi Bullæ sit valida, si per dolum, & fraudem extorqueatur?

45 AFfirmant aliqui, quorum ratio est, quia censura excommunicationis v.g. validè fulminatur, seu fertur, etiamsi id per dolum, & fraudem à Põtifice, vel ab Ordinario obtineatur, ergò similiter valida erit illius absolutio, etiamsi per dolum, & fraudem extorqueatur.

46 Negant tamen *Bonac. de cens. D. 1. q. 3. p. 8. n. 4. Suar. D. 7. de cens. se. 6. n. 13. Filliuc. to. 1. tr. 11. C. 10. q. 5.* alijq; cõmuniter DD. quoties dolus, seu fraus versatur circa causam finalem, vel substantialiter requisitam ad ipsam absolutionem. Et meritò, nam absolutio non habet vim nisi ex intentione absoluentis, idcircò si absoluens non inten-

Bonac. Suar. Filluc.

Auctor.

DIFFICVLTAS XI.

An absoluens vi Bullæ à Censuris teneatur vti determinata forma.

53 Conueniunt DD. ad validam censurarum absolutionem nō sufficere nudam, ac solam absoluendi voluntatem, sed vlteriùs requiri, vt talis absolutio exprimatur signo aliquo exteriori. & meritò, nā talis absolutio debet fieri modo humano, atq; adeo modo sensibili, & consequenter nisi talis absolutio exprimatur signo aliquo exteriori, nulla erit.

54 Conueniunt similiter DD. ad valorem huiusmodi absolutionis sufficere quęcunque signa exteriora (licèt verba non sint) quibus sufficienter significari possit absolutio. & meritò, nam ex vna parte sufficiunt quęcunque signa, si rei natura spectetur: ex altera vero parte in iure positiuo nulla pręscribuntur vt necessaria ad valorē talis absolutionis, ergo &c. Ex consuetudine tamen talis absolutio non fit signis, sed verbis eam sufficienter significantibus; contra quam consuetudinem nequit absq; necessitate licitè fieri, & pręsertim inter pręsentes; verùm tamen hoc non videtur esse illicitum mortaliter. ceterùm Sum. Pontifex cùm sit suprà ius positiuum Canonicum, poterit etiam omninò licitè per solos nutus, & signa absoluere censuratos.

55 His ergò positis, quęrimus in pręsenti, An in bulla Cruciatę pręscribatur certa, & determinata forma absoluendi à cēsuris diuersa ab illa, quæ secundùm ius commune vsurpari solet. Et quidem ratio dubitandi est, quia de facto in ipsamet bulla apponitur quædam specialis forma pro absoluēdis dictis censuris.

56 Communiter tamen DD. asserunt, prædictam bullæ formā absoluendi a censuris vi eiusdē bullæ; non tradi vt necessariò exercendam, sed solùm ex maiori deuotione, quatenus in tali forma reperiuntur distinctè varij effectus, qui vi eiusdē bullæ causantur, nempè explicita remissio censurarum tàm à iure, quàm ab homine: remissio culparum etiam reseruatarum: & applicatio indulgentiæ plenariæ. imò prædicta forma apponitur pro illa absolutione, quæ datur semel in vita, & semel in articulo mortis. quarè Confessarius adhuc vi bullæ absoluens tàm à peccatis, quàm à censuris etiam reseruatis, æquè benè vti poterit forma absoluēdi Ecclesię ordinaria.

57 Imò eadem numero forma absolutionis, quæ vi bullæ confertur, poterit interdum validè ferri in censuras, & culpas simul delendas; & sic hæc numero verba, *absoluo te*, sufficere poterunt ex intentione absoluentis ad vtrumque effectum; posito quòd essentia formę absolutionis sacramentalis, secundùm communiorem opinionē, consistat in prædictis tantùm verbis. Atque hæc satis sint circa absolutionem censurarum in communi, prout facit ad præsentem materiam; restat ergò aliqua consequenter discutere circa earundem Censurarum absolutionem in particulari.

QVAE-

QVÆSTIO II.

De Absolutione ab Excommunicatione.

POsitis ijs, quæ hactenùs dicta sunt circa absolutionem à casibus reseruatis, & à Censuris in communi, pauca satis supersunt discutienda circa absolutionem ab excommunicatione, alijsque censuris in particulari. agemus ergò in præsenti quæstione de absolutione solius excommunicationis, in sequenti verò de reliquis censuris breuiter disseremus.

DIFFICVLTAS I.

An Confessarius vi Bullæ electus possit absoluere in foro interno ab excõmunicatione lata tàm à Iure, quàm ab homine, saltem satisfacta parte?

1 EXcommunicatio maior alia est à Iure, vt quæ datur per modum statuti, cuiusmodi sunt, quæ inueniuntur in Iure Canonico, & in cõstitutionibus Ordinariorum, ac Religionum. alia verò est lata ab homine, non per modum statuti, sed vt à Iudice tantùm Ecclesiastico; quæ similiter est duplex, alia generalis, vt si verbis generalibus feratur, v.g. sic *Præcipimus ne fiat hoc sub sententia excommunicationis ipso iure incurrenda.* alia particularis, quæ scilicet fertur in aliquam personam particularē, v.g. sic: *Præcipio tibi hoc sub excõmunicatione ipso iure incurrēda.* His positis.

2 Ratio dubitandi pro parte negatiua est, quia ex communi Theologorum, ac Iuristarum axiomate, Nemo potest absoluere, nisi qui poterit ligare; ac proinde cùm dictus Confessarius non tulerit talem excommunicationem, consequenter neque poterit ab illa absoluere.

3 Affirmant tamen communiter DD. posse vi bullæ Cruciatæ absolui in foro interno quamcunq; excommunicationem latam tàm à Iure, quàm ab homine, satisfacta parte modo infrà dicendo, & quidem toties quoties à non reseruata, & à reseruata Sum. Pontifici, semel in vita, & semel in articulo mortis, iuxtà supradicta. Et meritò, nam vi bullę conceditur Confessario virtute eiusdē bullę electo facultas absoluendi ab omnibus censuris modo dicto; prædictę autem omnes excommunicationes sunt verę censurę, ergò &c.

4 Ad rationem verò dubitandi in contrarium Dico, quòd quando dicitur, non posse absoluere, nisi qui ligauerit, subintelligitur, vel ab eius superiore, vel ex commissione illius, quo modo in pręsenti fit; nam de mandato Sum. Pontificis, cui omnes fideles subduntur, confertur vi bullę talis absolutio. Neque dicas, sic fieri pręiudicium Episcopis, qui ob id priuantur suis iuribus; nam Episcopi pro absolutione nulla iura recipiunt; & quamuis reciperent, sanè posse Sum. Pontifex priuare illos propter maius bonum, pręsertim commune, ratione cuius hęc bulla conceditur. An verò idem dicendum sit parte non satisfacta, vel de

excom-

excommunicatione iam deducta ad forum, & iudicium externum, dicetur infrà.

DIFFICVLTAS II.

An vi Bullæ possit absolui ab excōmunicatione, qui nequit parti satisfacere?

5 PEr bullam Cruciatæ conceditur facultas absoluēdi ab excommunicatione non omninò absolutè, sed veluti conditionatè, nempe vt parti læsæ detur satisfactio, quotiès scilicet ex patrato delicto, cui est annexa excommunicatio, pars remanet læsa vel in honore, vel fama, vel alijs bonis.

6 Nomine autem partis læsæ non venit Prælatus, quatenus eius præceptum transgreditur, quia offensio, quæ fit contra Superiorem, dùm eius lex contemnitur, est imbibita in qualibet transgressione, hic autem Sum. Pontifex aliquid speciale exigit ab absoluendo ab excōmunicatione; multò minùs pro parte intelligi debet Iudex, cui ratione delicti soluenda sit pœna pecuniaria, neq; Tabellio; atquè adeò vi bullæ Cruciatæ poterit absolui excommunicatus, antequam de facto soluat iura Iudici, seu Tabellioni. nomine igitur partis in præsenti materia intelligi debet ea persona, quæ immediatè fuit offensa, vel in honore, vel fama, vel alijs bonis, v.g. si quis Clericū suadente diabolo percutiat, & sic incurrat excommunicationem, pars læsa, & cui satisfaciēdum erit ante absolutionem, est Clericus percussus, cui immediatè facta est iniuria per tale delictum, cui annexa est excōmunicatio.

7 Nomine autem satisfactionis venit recompensatio, seu restitutio honoris læsi, seu famæ, vel aliorū bonorum. Quærimus ergò in præsenti, An vi bullę Cruciatę possit absolui ab excommunicatione, nō adhuc satisfacta parte, qui absolutè nequit parti satisfacere.

8 Negant *Sotus in 4. D. 22. q. 2. ar. 3. Cordub. tr. de Indul. q. 43. Guttier. qq. can. l. 1. C. 5. n. 29. Ledesm. sum. to. 1. tr. de excom. C. 8. d. 3.* & alij, quorum ratio est, quia *ex c. cum dilecta, de rescrip. & c. fin. de restit. spol.* acta contra formam à Superiore pręscriptam sunt irrita, & nulla: iam per illam clausulam in bulla appositam, nempe, *satisfacta parte*, pręscribitur forma, qua absolui debet excommunicatio vi eiusdem bullę, vel alterius similis priuilegij; ac proinde nisi de facto parti lęsę satisfiat, vtiq; irrita, & nulla erit talis absolutio. *Sotus. Cordub. Guttier. Ledesm.*

9 Affirmant tamen *Rodriq. §. 14. n. 52. Vasq. in 3. p. to. 4. tr. de excom. d. 20. n. 2. Suar. to. 4. D. 7. se. 5. n. 41. Sanch. sum. to. 1. l. 2. C. 20. n. 19. Filliuc. to. 1. tr. 11. C. 9. n. 295. Auila p. 2. de cens. C. 7. D. 3. d. 8. Herriq. l. 7. de Indul. C. 13. Sayrus de cens. l. 1. C. 18. n. 21.* alijq; communiter DD. & meritò, nam expressio satisfactionis nō apponitur vt noua forma, sed eo modo, quo inest in iure cōmuni; in iure autem communi non est de essentia absolutionis, & consequenter neque erit de essentia in terminis bullę Cruciatę. quod autem expressio satisfactionis non apponatur in bulla vt noua forma, patet, nam apponitur sub eisdem terminis Iuris communis, atq; adeo se habet vt admonitio quędam *Rodriq. Vasq. Suar. Sanch. Filliuc. Auila. Herriq. Sayrus.*

quædam Confessarij, vt recordetur de sua obligatione in iure communi prescripta, precipuè in ordine ad satisfactionē partis læsæ. quarè posita impossibilitate satisfaciendi parti læsæ, non solùm erit valida, talis absolutio, sed etiam licita, vt meliùs infrà patebit.

10 Hæc autem impotentia satisfaciendi, non est necesse, vt sit simpliciter impotentia, sed sufficit vt pensatis omnibus circumstantijs, prudenter excusatur pœnitens ab actuali satisfactione, seu recompensatione, vel ex toto, vel ex parte, antequā absoluatur; eo modo, quo DD. discurrunt in ordine ad sacramentalem absolutionem, quæ in aliquibus circumstantijs poterit quis & validè, & licitè sacramentaliter absolui, antequā de facto restituat rem alienam, famam, &c.

11 Ad rationem verò in contrarium AA. patet ex dictis. An verò idem dicendum sit, quando commodè poterit parti læsę satisfieri, dicetur Diff. sequenti; posita tamen sēper Iuris Cautione, de qua infrà.

DIFFICVLTAS III.

An vi Bullæ possit absolui ab excommunicatione, non adhuc satisfacta parte, etiam qui commodè potest parti satisfacere?

12 Conueniunt DD. huiusmodi absolutionem esse illicitam, atque adeo grauiter, per se loquendo, peccare Confessarium absoluentem ab excommunicatione absq; præuia satisfactione partis, quoties commodè talis satisfactio præmitti poterit. Et meritò, nam tunc dictus Confessarius absq; rationabili causa non seruat ordinem Iuris in re graui, & in præiudicium tertiæ personę.

13 Dixi tamen, per se loquendo, eò quia in tali casu poterit Confessarius excusari à culpa absoluendo ante realem satisfactionem partis, vt si laboret ignorantia inuincibili, vel si ob metum grauem illatum à pœnitente eum absoluat ab excōmunicatione extra Sacramentum; nam cum ordo iste sit ex lege ecclesiastica, non videtur Ecclesia obligare Confessarium tunc in tali periculo positum ad seruandum illum ordinem, nisi metus incutiatur in odium fidei, tunc enim Confessarius tenetur potiùs subire mortem, quàm absolutionem dare.

14 Dubitatur ergò solùm, An huiusmodi absolutio sit valida. Negant *Rodriq. §.9. n.52. Vasq. in 3. p. to.4. tr. de excōm. d.*20. *Suarez de cens. D.*7. *se.*5. *n.*42. *Filliu. to.1. tr.*11. C.*9. n.295. Herriq. sum. l.7. C.*13. *n.2. Præpos. in 3. p. de cens. in com. q. 1. d. 15. n. 114.* & alij, quorum ratio est, quia Delegatus qualis est ille, qui virtute bullæ absoluit, nequit excedere limites potestatis, quæ per eandem bullam ipsi conceditur; at per hanc bullam conceditur potestas absoluendi à censuris cum illa limitatione, nempè vt parti satisfaciat, quod ad minùs debet intelligi in eo casu, in quo Reus tenetur & commodè potest parti læsæ satisfacere; ergò absolutio data absque præuia satisfactione partis, dùm commodè potest satisfieri parti læsę erit

Rodriq. Vasq. Suar. Filiuc. Herriq. Prepos.

erit

erit non solùm illicita (vt dictũ est) sed etiam irrita, nulla, & inualida.

15 Affirmant tamen *Auila de cens. p. 2. C. 7. D. 3. d. 9. concl. 2. Barbos. in collec. to. 3. tit. 40. C. 13 n. 3. Lezana to. 3. qq. reg. V. Bulla Cruc. Bardi p. 2. tr. 6. C. 2. n. 64.* alijq; & meritò, nam clausula illa de satisfacienda parte, non se habet vt forma, seu vt conditio sine qua non, sed solùm se habet vt admonitio, qua Sum. Pontifex vult admonere Confessarios (vt supra etiam dictũ est) vt aduertant, ne absoluant pœnitentes in præiudicium tertij, & absque partis læsæ satisfactione; ac proinde dicta clausula de satisfacienda parte non irritat huiusmodi absolutionem, quamuis illam illicitã reddat, vt dictum est. *Auila. Barbos. Lezana. Bardi. Auctori*

16 Confirmatur, nam detinens rem alienam nequit sacramẽtaliter absolui nisi illam restituat, & tamen omninò validè absoluitur etiam antequam de facto illam restituat, dummodò pœnitens firmum habeat animum quamprimùm illam restituendi, quamuis commodè possit illam restituere, attamen vt commodiùs restituat, potest æquè benè post absolutionem sacramentalem differri ea restitutio; ergò similiter poterit vi bullæ absolui ab excõmunicatione, non adhuc de facto satisfacta parte, etiam qui commodè potest parti læsæ satisfacere, solùm vt commodiùs post absolutionem parti satisfaciat; præstita tamen cautione iuris de satisfacienda parte.

17 Et ratio à priori est, quia firma voluntas restituendi, seu satisfaciendi parti, est virtualis restitutio, & virtualis satisfactio; atque adeo dùm absoluẽdus ab excommunicatione dat cautionem iuris, siue Pignoratitiam, siue Fideiussoriam, siue Iuratoriam, moraliter, seu virtualiter dicitur benè parti læsæ satisfacere.

18 Ad rationem autem AA. in contrarium patet ex dictis; nego enim dictam clausulam de satisfacienda parte esse limitationem potestatis per bullam concessæ, sed dico esse meram instructionẽ confessarij, vt absque læsione tertij suo munere fungat, modo dicto.

DIFFICVLTAS IV.

An vi bulla possit absolui nominatim excommunicatus, & denunciatus?

19 Absolutè negant *Vasquez in 3. p. S. T. to. 4. de excomu. d. 20. n. 8. Gasp. Hurtad. D. 14. de excom. d. 5. n. 23.* alijq; docẽtes, non posse vi bullæ absolui neq; licitè, neq; validè, etiam in foro interno, nominatim excommunicatum, seu denunciatum. *Vasq. Hurtad.*

20 At *Auila de cens. p. 2. D. 3. d. 10. concl. 1. & 2. Coninb. de Sacram. D. 14. d. 16. n. 207.* cum alijs asserunt hunc validè absolui vi bullæ Cruciatæ, non autem licitè. ratio autem pro vtraque opinione est, quia aliter perturbaretur ordo iudicandi; vnde conuenienter cautum fuit in *Trid. sess. 24. C. 6.* vt Episcopi nequeant absoluere à casibus Summi Pontifici reseruatis, quotiès deducti sunt ad forum contentiosum. *Auila. Coninb. Trident.*

21 Confirmant etiam ex *Extra. Etsi Domini 2. de pæn. & remiss.* vbi

vbi Sixtus IV. decreuit, denunciatū, vel publicè diffamatū nō posse absolui neq; virtute Cruciatæ, neq; alterius priuilegij.

22 Absolutè tamen affirmant *Sanch.sum.l.6.C.17.n.42.Guttier qq.can.C.6.n.19.Rodriq.9.n.52. Herriq.l.8.C.60.n.4.Acosta q.50.Lud.à Cruc.D.1.C.4 d.1.n.5. Sayrus de cens.l.2.C.20.n.29. Bardi p.2.tr.6.C.3.n.6.* alijq; cōmuniter DD. Et meritò, nam in bulla potestas hæc absoluendi à censuris conceditur absolutè, & absque tali restrictione, ergò non est à nobis restringēda; & præsertim quia priuilegium bullæ quoad hanc facultatem sit fauorabile, & consequenter ampliandum. vi igitur bullæ poterit absolui nominatim excommunicatus, ac denunciatus ab excommunicatione tàm à Iure, quàm ab homine, in foro tamen conscientiæ (vt infrà dicetur) ac satisfacta parte, iuxta dicta Diff. superiori.

Sanch. Guttier. Rodriq. Herriq. Acosta Lud à cr. Sayrus. Bardi. Auctor.

23 **Ad rationem verò AA. in cōtrarium nego, ex absolutione** ab excommunicatione vi bullæ data in foro tantùm conscientiæ perturbari ordinem iudicandi, nam forum internum cùm sit omninò disparatum à foro externo, vtiq; illius iudiciarium ordinem omninò illibatum relinquit; sicuti & absolutio sacramentalis à delictis nullo prorsus modo perturbat iudicium externum Iudicis cōpetentis; nam huiusmodi absolutiones in foro tantùm conscientiæ tàm à delictis quàm à censuris se habēt quoad forum externum, ac si non essent, vt meliùs infrà dicetur.

24 Id verò quod ex Tridentino affertur, neq; nobis officit, nam paritas in huiusmodi rebus positiuis, nulla est, cùm omninò dependeant à libera voluntate legislatoris; quarè placuit Sum. Pontifici expresè ibi coarctare potestatem Episcoporum quoad casus Papales tantùm occultos, & nō publicos deductos ad forum cōtentiosum, in bulla verò minimè, si hęresis excipiatur, iuxtà dicta D. 6. Q. 2. per totam; semel tamen in vita ac semel in articulo mortis in ordine ad huiusmodi censuras Pōtifici reseruatas, modo similiter supradicto.

25 Demùm extrauagans Sixti IV. iam cessauit morte ipsius Sixti; neque potest coarctare facultates ab alijs Pontificibus in posterum cōcedendas. Quia verò huiusmodi absolutionem vi bullæ collatam contendunt aliqui, valere etiam pro foro externo, ideò videndum nunc erit ex professo, an hoc consistere possit.

DIFFICVLTAS V.

An absolutio excommunicationis habita vi Bullæ Cruciatæ valeat etiam pro foro exteriori, & cōtentioso?

26 **COnueniunt DD. absolutionem ab excommunicatione, alijsq; censuris valere pro solo foro conscientiæ, quoties in priuilegio expresè dicitur, pro eo solo valere, cùm sic clarè restringatur talis absolutio. Similiter valere etiā pro foro exteriori, seu contentioso quoties additur etiam pro eo valere.**

27 **Difficultas ergò est, quoties in priuilegio absolutè, & vt sic datur potestas absoluēdi à censuris**

suris nullaq; apposita additione, prout de facto conceditur vi bullę Cruciatę, & similiter Religiosis mendicantibus.

Rodriq. Suar. Medin. Io. à Cru. Excobar.

28 Et quidem absolutè affirmãt *Rodriq. §.9.n.56. Suar. tom.5. de cens. D.7. sec.5. nu.* 20. *Medin. l.2. sum. C.12. Io. à Cruc. p. 2. tr. de excom. d.5. Excobar to.1. Th. mor. l.7. se.2. C.3.* nonnulliq; alij, dũmodò satisfiat parti lęsę, habeatq; sic absolutus schedulam Confessarij, qua authenticè testetur, se iam absolutum fuisse ab excommunicatione, aliaue censura, quarè secundùm hanc opinionem, non poterit is ampliùs à Iudice puniri in foro externo, & contentioso, stante tali absolutione à Confessario data. ratio autem est, quia ex vna parte potestas absoluendi à censuris per bullam concessa, est absoluta, & absque restrictione fori externi: ex altera verò parte est gratiosa, & liberalis, & consequenter saltem non est restringenda, ac proinde non est cur ad absolutionẽ pro solo foro conscientię restringatur.

29 At *Acosta q.* 50. alijq; cum distinctione procedunt; quarè admittunt, absolutionẽ vi bullę, aut simili alio priuilegio collatã valere etiam pro foro externo, quoties Cẽsura est à Iure, non autem si erit ab homine; ita enim, aiunt, expresè decreuisse Pium V. in quadam bulla pro Regno Portugallię concessa an. Dom. 1571.

30 Similiter *Lud. à Cruc. D.1. C.4. d.3.* putat, huiusmodi absolutionem vi bullę, si detur antequam excommunicatio publicetur, & ad forum externum deferatur, valere etiam pro tali foro externo, quamuis post datã absolutionem manifestetur delictum, & ad forum externum deferatur.

Couarr. Molin. Sanchez. Auila. Sayrus. Palaus. Bardi. Auctor.

31 Absolutè autem negant *Couarr. in C. alma mat. p.1. §. 11. n. 16. Molin. to.4. de iust. D.64. n.10. Sanch. sum. to.2. l.6. C.17. Herriq. l.7. de indul. C.13. Auila 2 p. C.7. D.1. d. 12. Sayrus de cens. l.2. C. 20. n.31. Palaus to.4. tr.25. p.9. n. 9. Bardi p.2. tr.6. C.5. n.8.* alijque communiter DD. Et meritò, primò quia id est contra rigorem Iuris, & iurisdictionem Ordinariorum, quorum Tribunal ex hoc maximè perturbaretur, ac proinde non est per generalem, & absolutam concessionem hoc concedendum; sicuti siquis vi eiusdem bullę absolueretur sacramentaliter à peccato homicidij v.g., hoc tamen non obstante, adhuc à Iudice semper puniri poterit in foro externo legalibus pœnis, vt ex praxi satis constat, etiamsi tale delictum homicidij post datam absolutionem fuerit delatum ad forum contentiosum. Si igitur absolutio à peccatis vi bullę nihil prodest pro foro externo, ita similiter neque absolutio à censuris vi eiusdem bullę valebit pro eodem foro externo, cùm vtraque potestas ijsdem verbis concedatur. Ex quibus satis patet ad rationes AA. in contrarium.

32 Probatur secundò nostra sententia ex constitutione 105. Vrbani VIII. edita an. Dom. 1630. die 19. Iunij, quę incipit: *Innouatio Constitutionis*, in qua Pontifex expresè decreuit, absolutionem datam etiam à reseruatis in cœna Domini non suffragari, nisi in foro conscientię, non autem in foro externo: quarè hodie nequit hęc nostra

Carolus Latius in Bull. Cruc.

opinio, neque in dubium reuocari; & quamuis oppositum aliquam speciem probabilitatis videatur sumere ex verbis Pij V. allatis, attamen post dictam Vrbani constitutionem nequit prorsus pratticari.

DIFFICVLTAS VI.

An vi Bullæ in foro tantùm conscientiæ ab excommunicatione absolutus possit absque culpa cum alijs communicare?

33 DIximus suprà n. 31. absolutionem ab excommunicatione per bullã collatã nõ suffragari in foro externo, seu cõtentioso; videndũ verò est in præsenti, An saltem talis absolutio prosit absoluto in ordine ad communicandum cum alijs tàm in rebus sacris, & actibus ecclesiasticis, quàm in rebus prophanis, seu politicis congressibus.

Couarr. Comitol. 34 Absolutè negant *Couarr. in c. Alma mat. 1. p. §. 11. n. 16. Comitol. l. 6. q. 6.* nonnulliq; alij. quorum ratio est, quia cũ prædicta communicatio tàm sacra, quàm prophana, seu politica à legitimo Iudice interdicta sit ipsi excommunicato, non videtur ad eamdem communicationem excommunicatus redire posse, nisi ab eodem Iudice idipsum concedatur.

35 Confirmant etiam ex eo, quia aliter cõtemneretur præceptum Ecclesiæ, dum ipsa ex vna parte per excommunicationem remouet excommunicatum a consortio fidelium; & ex altera parte Confessarius vi bullæ absoluẽs reintegrat eundem excommunicatum, vt liberè valeat conuersari. Proinde sicuti ius publicum prohibuit excommunicato communionem cum fidelibus, ita similiter idem ius publicum, & non aliud debet restituere eidem excommunicato iam absoluto eandem communicationem cũ ijsdem fidelibus.

36 Affirmant tamen *Nauar. to. 2. cons. de excom. cons. 47. n. 3. Suar. de cẽs. D. 7. se. 5. n. 25. Bonac. de cens. D. 1. q. 3. p. 10. n. 4. Herriq. sum. l. 8. C. 6. n. 4. Layman. l. 5. tr. 5. p. 1. C. 7. n. 7. Alter. de cens. to. 1. D. 4. l. 4. C. 4. Prapos. in 3. p. q. 1. de cens. d. 14. n. 100. Bardi p. 2. tr. 6. C. 5. n. 18. Lud. à Cruc. D. 1. C. 4. d. 3. n. 9.* alijq; communiter DD. generaliter asserentes, absolutum ab excommunicatione in foro tantùm conscientiæ siue vi bullæ Cruciatæ, siue Iubileo, aut alio simili priuilegio, posse se gerere tanquam non excommunicatum in omnibus actibus siue publicis, siue priuatis, cùm aliquibus tamen conditionibus mox dicendis, adeo vt ipsum forum externum contemni nõ videatur. Et meritò, nam absolutus ab excommunicatione adhuc pro solo foro conscientiæ, verè coram Deo liber remanet à tali excommunicatione, eo modo ac qui omninò iniustè excommunicatur; ergò si ita cautè cum alijs fidelibus cõmunicabit, vt nullo modo videatur contemni Superioris mandatum (cui semper stare tenetur) sanè nullo modo peccabit.

Nauar. Suar. Bonac. Herriq. Layman. Alter. Prapos. Bardi Lud. à cr.

Auctor.

37 Quarè si excõmunicatio fuerit omninò occulta, tunc sic ab illa absolutus poterit absolutè cum aliis conuersari. Quòd si fuerit excommunicatio publica, tunc similiter poterit con-

uersari cum illis, quos talis latet excommunicatio; vel cum illis, quibus constat illius absotio; in nullo enim ex his casibus Superioris mandatum contemnitur, & hoc etiamsi causa delata fuerit ad forum externum; nam dùm is ita cautè, & secretò se gerit, non videtur contemnere præceptum Superioris, vel eius obedientiam, seu iurisdictionem paruipendere, sed illi deferre.

38 E cõtra satis Superioris præceptum contemneret, eiusque obedientiam, ac iurisdictionem paruipenderet is, si sciens causam iam deductam esse in forũ externum, & tamen, hoc non obstante, publicè conuersaretur; vnde consequenter grauiter peccaret. Quis nam autem personarum numerus requiratur ad hoc, vt iste verè dicatur publicè cõuersari, arbitrio prudentis viri remittimus, attenta qualitate actionum, locorum, personarum, & huiusmodi. in dubio autem standum erit pro Superiore, pro quo stat possessio.

39 Demùm admittunt communiter DD. posse huiusmodi sic absolutum puniri in foro externo ex occulta etiam communicatione, nisi euidenter probet, se fuisse in foro conscientiæ vi bullæ aut alterius priuilegij absolutum; ad quod sufficiet testimonium ipsius Confessarij, qui reum absoluit, siue per schedulam, siue per seipsum, ac personaliter, ex consensu tamen ipsius pœnitentis. testimonium autem ipsius pœnitentis in hoc non videtur sufficere, vtpote testimonium solius partis: qua probatione posita, non poterit Iudex illum punire pro actibus in occulto exercitis, quamuis liberè illum punire poterit ob delictum, quo in excommunicationem incidit.

40 Ad rationem verò AA. in cõtrarium Dico, Confessarium vi bullæ electum, esse absolutè legitimum Iudicem in ordine ad absoluendum a qualibet censura, modo dicto, stat enim loco Sum. Pontificis quoad hoc, qui quamuis possit delegare suam potestatem ad absoluendum etiam pro foro externo (vt patet) tamen ad seruandam Ordinariorum iurisdictionem, foriq; externi quietẽ, satis prudenter pro foro solo interno illam delegat, vt dictum est.

41 Ad confirmationem satis patet ex dictis.

DIFFICVLTAS VII.

An excommunicatus antequam vi Bullæ absoluitur, teneatur præstare iuramentum de parendo mandatis Ecclesiæ, seu Iudicis?

42 Conueniunt DD. absoluẽdum ab excommunicatione maiori pro foro iudiciali, saltem in atrocioribus criminibus (vt in incendijs, & in grauibus percussionibus Clericorũ, atq; in casibus in bulla cœnæ contentis) debere præstare dictum Iuramentum de parendo mandatis Ecclesiæ, seu Iudicis ipsam Ecclesiam repræsentantis; ita enim colligitur *ex C. ex tenore 10. & ex C. de cætero 11. de sent. excom.* non debere tamen esse iuramentum generale de seruandis scilicet omnibus Ecclesiæ mandatis, sed de parendo Ecclesiæ in lege illa, ob cuius

trans-

transgressionem incidit in excommunicationem;& hoc quauis parti læsæ satisfecerit, nam finis, ob quem exigitur tale iuramentum est, vt ipse absoluẽdus cautiùs in posterum procedat, & timore periurij se abstineat à similibus delictis.

43 Conueniunt similiter DD. contra Hostiensem, tale iuramentum non esse de essentia absolutionis, sicuti neque reliquas ceremonias pręscriptas *in c. à nobis* 28. atque adeo regulandas esse consuetudinibus locorum vbi danda erit absolutio, vt omninò licitè detur; neq; earum omissio, etiam vbi sunt in vsu, videtur mortalis, nisi in solemni aliqua absolutione ad Ecclesię satisfactionẽ facta.

44 His igitur positis, quęrimus in pręsenti, prout facit ad rem nostram, An excommunicatus vi bullę absoluendus teneatur ante absolutionem pręstare iuramentum de parendo mandato Ecclesię, seu Iudicis, modo dicto, vt sic omninò licitè etiã absoluatur.

45 Affirmant *Auila de cens.p.2.C.7.D.3.d.3.concl.2.Hurtad.D.*14. *de exco. d.*4.*n.*17.*Herriq.l.*13.*c.*18.& alij absolutè exigẽtes tale iuramentũ ab absoluendo, etiã in foro conscientiæ, quod ampliùs non committet tale, vel tale crimen: cuius opinionis fundamentum est sola auctoritas iurium ci.

Auila. Hurtad. Herriq.

46 Negant tamen *Bonac.de cens. in com.D.*1.*q.*3.*p.vlt.n.*4.*Filliu. to.*1.*tr.*11.*C.*10.*n.*333. *Alter. de cens.l.*4.*D.*7.*C.*2. *Bardi p.*2.*tr.*4.*C.*4.*n.*50. alijq; & meritò, nam iura, in quibus opposita opinio fundatur, habent locum solũ pro foro externo; eò quia sacri Canones exigunt prædictum iuramentum, vt ille, qui absoluitur, sic cogi possit deinde ad præstanda ea, quæ per tale iuramentum promisit, vt se præsentare coram Pontifice, vel alio legitimo superiore; vel vt aliquam externam penitentiam ex mandato superioris peragat ad aliorum exemplum, & huiusmodi, quæ vtiquè locum habent pro foro externo, non autem in foro conscientiæ, pro quo solo vi bullæ absoluitur, vt supra n.31. dictum est. Quarè ab absoluendo vi bullæ ab excommunicatione, sola satisfactio partis exigenda est, de qua supra dictũ est, & aliquid aliud etiam in sequenti Diff. dicetur.

Bonac. Filliuc. Alterus Bardi. Auctor.

DIFFICVLTAS VIII.

An absoluendus vi bulla ab excommunicatione debeat etiam satisfacere communitati, cuius est pars persona læsa?

47 Sæpè in superioribus Diffic. dictum est, absoluendum ab excommunicatione vi bullę Cruciatæ teneri satisfacere parti immediatè læsæ; in præsenti verò dicendum est, an similiter debeat satisfieri communitati, cuius est pars persona immediatè læsa; v.g. quis percussit Franciscum Regularem, vnde in excommunicationem incidit: quærimus in præsenti, an sufficiat satisfacere ipsi soli Francisco, an vlteriùs requiratur, vt etiam satisfiat monasterio, seu conuentui cuius est pars ipse Franciscus.

48 *Bonacina de cens.D.*2.*q.*4.*p.*5.*n.*5. alijq; docent, satisfactionẽ dandam esse tum ipsi *Religioso* percusso, *Bonacin.*

percusso, seu alio modò grauiter offenso, tum etiam eiusdem monasterio, seu Conuentui, ac eiusdem Abbati, ac superiori; ex eo quia *ex leg. in personam. ff. de pactis*, habetur, quòd iniuria facta Monacho censetur facta Abbati, & Monasterio; vnde de facto sic decisum fuit in Curia Archiep. Neapolitana, cùm quis percussisset religiosũ Conuersum cuiusdam Monasterij, prout testatur Riccius in dictę Curiæ p. 1. decis. 86. n. 4.

Auila. Bardi.

46 At *Auila de cens. p. 2. C. 7. D. 3. d. 11. cõcl. 2. Bardi p. 2. tr. 6. C. 2 n. 82.* & alij asserunt sufficere, vt satisfactio fiat ipsimet psonę lęsę, ad hoc vt excõmunicatus ab excõmunicatione absoluatur, nõ aũt Superiori, seu Monasterio.

50 Dicendum, satisfactionem hanc dãdam esse cuicunque immediatè offenso, non autem alijs solùm mediatè ex patrato crimine offensis. quarè in casu posito, si solus Religiosus percussus, fuit immediatè offensus, vtiquè sufficit, vt huic soli detur satisfactio, ob quam etiam eius Superiori sufficiẽter satisfieri censendum est; quamuis mediatè, sicuti & mediatè dictus Superior existimatur offensus, ob immediatam sui subditi offensionem; & idẽ dico de illius Monasterio, seu Conuentu.

51 Quòd si etiam Superior fuerit tunc immediatè offensus; vt si in eius odium, & contemptu subditus lędatur, tunc etiam & ipsi Superiori debet fieri specialis satisfactio, vltrà satisfactionem specialem eius subdito datam. Similiter dicendum de Monasterio, si ob grauem sui religiosi percussionem fuerit immediatè lęsum; vt si aliquas fecerit expensas in curatione religiosi vulnerati, vel grauiter percussi; vnde & ipsi monasterio tunc facienda erit restitutio dictarum expensarum, vel alterius damni inde emergentis tali Monasterio, seu Conuentui; & huiusmodi absq; dubio fuit dicti conuersi percussio, de qua loquitur Cur. Archiep. Neapolitana.

52 Ad rationem verò desumptam *ex leg. in personam ci.* Dico, dictam legem loqui de iniuria mediatè, per se loquẽdo, Superiori, seu Monasterio illatam, ad quam similiter sufficiet satisfactio mediata, modo iam explicato. atq; hęc contra rationem primę opinionis.

53 Contra verò secundam opinionem facit, quia in casu, quo immediatè etiam lęditur Superior, seu Monasterium, non est maior ratio, vt specialiter satisfiat vni, & non alteri. Atque hęc satis sint circa absolutionẽ ab excommunicatione tàm reseruata, quàm non reseruata, quantùm ad rem nostram spectat. solùm igitur pauca remanent discutienda circa reliquas Censuras, de quibus Quęstione sequenti dicemus.

QVÆSTIO III.

De Absolutione à Suspensione, & Interdicto.

PAuca satis nobis supersunt discutienda circa Suspensionẽ, & Interdictum, aliasq; huiusmodi Ecclesiasticas pœnas in particulari, positis ijs, quę superiùs dicta sunt circa absolutionem

tionem à censuris in communi vi bullę elargiendam, idcircò hęc omnia sub hac vltima, & vnica Quęstione amplectemur.

DIFFICVLTAS I.

An vi Bullæ possit auferri omnis Suspensio?

Nauar. Herriq. Rodriq.

1 NEgant *Nauar. in man.C. 27.n.162. Herriq. sum. l.7.de Indul.*C.*13.n.3.& Rodriq. in add.ad* §.*9.n.59.* putantes, nō posse vi bullę auferri suspensionem incursam ob indebitam Ordinum susceptionem, quamuis de alijs suspensionibus id concedant. Ratio autem talis limitationis est, primò quia in ipsamet bulla Cruciatę expressè limitatur facultas Commissarij, ne absoluat ab hac censura, ergò multò minùs poterit absolui à Confessario vi eiusdem bullę. Secundò quia Sixtus V. an 1589. motu proprio ita strictè sibi, & successoribus reseruauit absolutionem huius suspensionis, vt decreuerit, eam non posse auferri neq; per Iubilea, neque per bullam Cruciatę.

Medin. Lud.à cr. Perez. Trullen. Bardi. Auctor.

2 Absolutè tamen affirmant *Medin.sum.l.1.C.11.§.8. Lud.à Cru. D.1.C.4.d.10.n.3. Perez l.1.tit.1. Trullen.l.1.§.7.C.2.d.15. Bardi par.2.tract.6.C.7.num.5.* alijque communiter DD. & meritò, nā in bulla non excipitur absolutio dictę suspensionis, ergò poterit vi eiusdem bullę absolui, sicuti & alię censurę Sum. Pontifici reseruatę, nempe semel in vita &c. reliquę verò non reseruatę toties quoties absq; vlla limitatione. excipi tamen debēt suspensiones illę, quę infliguntur in puram pœnam, & non habent rationem censurę, vt bene notat Bardi ci. n.11.

3 Ad primam autem AA. rationem in contrarium Dico, potestatem Commissarij esse diuersi ordinis, à potestate, quę conceditur Confessarijs, atque adeo non valebit illatio vnius ad aliam; ceterùm pensatis omnibus, concedo maiorem esse potestatem Commissarij, quàm Confessarij.

4 Ad secūdam Dico, quod postea Greg. XIV. an. 1591. cōcessit in suo Iubileo plenam dictę suspensionis absolutionem. immò dùm Pontifex in bulla Cruciatę non excipit absolutionem predictę suspensionis, consequenter illam concedit implicitè in generali concessione aliarum censurarum, prout dictum est.

5 Hinc vi bullę absolutus à dicta suspensionem, poterit omninò licitè ministrare in Ordinibus susceptis, à quorum officio erat suspensus, completa tamen ętate, si ex defectu ętatis fuerit malè promotus.

DIFFICVLTAS II.

An vi Bullæ possit auferri omne Interdictum?

6 COnueniunt DD. posse vi bullę Cruciatę absolui interdictum personale particulare, illud scilicet, quod directè, primò, & per se fertur in aliquā personā singularem, vel in plures, vt personę tamen singulares sunt, ob propriam ipsorum culpam. Et meritò, nam tale Interdictum est proprijssimè censura, atque adeo si absoluendus reliquerit contumaciam, ac parti lęsę satisfecerit, poterit absolutè vi bullę absolui.

Quoad

7 Quoad Interdictũ verò personale generale, quod scilicet fertur in aliquam communitatem vt constituentem vnum corpus politicũ, vt Populus, & Exercitus, similiter dicendum puto, posse singulas personas vt singulares sunt à tali Interdicto absolui; secùs autem prout constituunt vnum corpus; eò quia bullæ priuilegia non conceduntur communitatibus vt tales sunt, sed personis singularibus.

8 Est tamen Difficultas, An vi bullæ possit auferri interdictum etiam locale, siue sit generale, siue speciale. Et quidem affirmant *Rodriq. in add. ad §. 9. nu. 60. & Lud. à Cruc. D. 1. d. 10. C. 4. n. 4.* facta tamen suppositione, huiusmodi interdictum esse cẽsuram; eò quia per bullam conceditur, posse absolui omnem censurã, excepta quæ per Hæresim contrahitur. *Rodriq. Lud. à cr.*

9 Negant tamẽ *Villalob. tr. 27. claus. 9. §. 2. n. 26. Trull. l. 1. §. 7. C. 2. d. 10. n. 2. Gordonus l. 7. q. 16. n. 86. Bardi p. 2. tr. 6. C. 7. n. 18.* & alij, adhuc facta suppositione, huiusmodi interdictum esse veram censuram. Et meritò, nam facultas hæc bullæ absoluendi à censuris conceditur in ordine ad absoluendas personas, non loca; dum in ipsamet bulla dicitur, quòd illam sumentes possint eligere confessarium, qui *eos* possit à peccatis, & censuris absoluere &c. Ex quibus patet ad rationem AA. in contrarium. *Villalob. Trullen. Gordon. Bardi.*

10 Demùm conueniunt DD. nõ posse vi bullæ absolui interdictum nõ in medicina, sed in puram pœnam latum, cum sic nõ habeat rationem censuræ, sicuti & de suspensione dictum est. *Carolus Latius in Bull. Cruc.*

Ceterùm an absolutio ab interdicto dari possit etiam extra Confessionem, absenti, inuito, non satisfacta parte, &c. huiusmodi, ex supradictis petenda erunt.

DIFFICVLTAS III.

An vi Bullæ possit auferri aliqua saltem Irregularitas?

11 Affirmant *Bañez in 2. 2. q. 64. ar. 8. Vega sum. to. 2. C. 15. cas. 8. Salas de leg. D. 15. se. 1. concl. 2. n. 16. Guttier. in qq. can. l. 1. C. 36. n. 6. Fernand. p. 3. C. 9. §. 14. n. 1.* alijq; putantes posse vi bullæ absolui ab Irregularitate, quæ ex sola culpa contrahitur; eò quia putant huiusmodi irregularitatem habere rationem veræ censuræ. *Bañes. Vega. Salas. Guttier. Fernand.*

12 Absolutè autem negant *Molin. to. 4. D. 80. à n. 6. Suar. to. 5. de cens. D. 1. se. 3. Nauar. sum. C. 27. n. 194. Trullen. l. 1. §. 7. C. 3. d. 17. n. 4. Acosta q. 48. Reginal. to. 2 l. 30. tr. 2. C. 3. se. 2. n. 24. Bardi p. 2. tr. 6. C. 7. n. 25.* alijq; communiter DD. & meritò, nam nulla Irregularitas habet rationem censuræ, ergò nulla irregularitas potest vi solius bullæ Cruciatæ auferri. consequentia patet; antecedens verò probatur, nam in Iure Canonico tres tantùm assignãtur Censuræ nẽpè Excommunicatio, suspensio, & interdictũ: ita ex *C. Quærenti 2. de verbor. signif.* vbi Innocentius III. interrogatus, quid per censuram Ecclesiasticam intelligi debeat in Litteris Pontificijs (& idem est in quibuscunq; alijs) sic responder, per eam intelligi Excommunicationem, suspensionem, & inter- *Molin. Suar. Nauar. Trullen. Acosta. Reginal. Bardi. Auctor.*

Ij ter-

terdictum; iam si irregularitas ex culpa esset censura, vtique Summus Pontifex generaliter interrogatus illam omittere nō debuerat; deficiens enim fuisset illius responsio, neq; interrogationi satisfecisset (vt patet) hoc autem nullo modo est asserendum.

13 Probari etiam potest ratione, nam definitio censuræ non conuenit nisi excōmunicationi, suspensioni, & Interdicto, & non alijs. & in primis censura est *pœna medicinalis*: irregularitas autem non est pœna, quia nō fertur in punitionem, sed ad euitādam indecentiam, quæ esset in eo, quòd persona, quæ tale commisit crimen suscipiat Ordines, aut susceptos exerceat. imò adhuc dato, quòd irregularitas illa, quæ ex delicto contrahitur, sit pœna, neque esset censura, eo quia non esset medicinalis, quia fertur quasi auferendo potestatem absquè spe recuperationis, vnde non dicitur vinculum, seu ligamen potestatis, quod solutione, seu absolutione tollitur, sed est quasi impotentia, quæ non tollitur absolutione, sed tantùm dispēsatione legis, quæ ex se efficit dictam impotentiā perpetuam: cēsura verò est vinculum, quo ligatur potestas cū spe recuperationis, & sic potiùs solubile, quam dispensabile.

14 Confirmari etiam potest nostra opinio ex Stylo Curiæ Romanæ, secundùm quem nunquam censetur concedi facultas dispensandi in irregularitate, nisi de ea fiat expressa mentio; cùm igitur in bulla Cruciatæ, prout hodie promulgatur, nulla mentio fiat de irregularitate, consequenter non poterit vi eiusdem bullæ absolui. An verò idem dicendum sit de cessatione à Diuinis, Depositione, & Degradatione, dicetur infrà.

DIFFICVLTAS IV.

An vi bullæ possit auferri cessatio à Diuinis?

15 Cessatio à Diuinis est quędam simplex prohibitio, qua in aliquo loco prohibētur celebrari Diuina Officia, & administrari ea Sacramenta, quæ simpliciter, seu hic, & nunc nō sunt necessaria ad salutem, & hoc in signum mæroris, seu afflictionis ob enormem aliquam iniuriam Ecclesiæ factam; eo modo quo Israeliticus Populus cùm captiuus ferebatur, in signum mestitiæ suspendebat organa, quibus Laudes Deo cantabat, vnde dicta cessatio à Diuinis appellatur Organorum suspensio.

16 Querimus ergò in presenti, An dicta cessatio à Diuinis possit vi bullę auferri. Et ratio dubitandi pro parte affirmatiua est, quia dicta Cessatio est species quędam censurę.

17 Negant tamen *Lud. à Cru. D. 1. C. 4. d. 11. Villalob. tr. 27. clau. 9. §. 2. Trullen. l. 1. §. 7. C. 2. d. 16. Bardi p 2. tr. 6. C. 7. n. 25.* & communiter DD. & meritò, primò quia dicta cessatio à Diuinis nō est censura, vt patet ex allata eius definitione, censura .n. est pœna medicinalis, vt alibi etiam dictum est, ac fertur in punitionem alicuius peccati: cessatio autem hæc fertur solùm in *Lud à cr.* *Villalob.* *Trullen.* *Bardi.* *Auctor.*

signum

signum mæroris, vt etiam dictum est; bullæ autem priuilegium est solùm in ordine ad absoluendas censuras, vt ex illius verbis clarè patet.

18 Probatur secundò, quia dicta Cessatio à Diuinis semper, & immediatè versatur circa locū, siue sit generalis, siue specialis, ac nunquam afficit personas, nisi cum ordine ad locum, vt cōmuniter probant DD. in materia de censuris; quarè cùm absolutio vi bullæ danda, solùm ferri valeat in personam, & non in locum, consequenter non poterit vi bullæ auferri Cessatio hæc à Diuinis.

19 Ad rationem verò dubitandi in contrarium, satis patet ex dictis.

DIFFICVLTAS V.

An vi Bulla possit auferri Depositio, seu Degradatio?

20 DEpositio (quæ etiam dicitur Degradatio verbalis) est quædam pœna ecclesiastica, qua ipsemet ecclesiasticus priuatur ab omni officio, & beneficio ecclesiastico, in perpetuum absq; spe restitutionis, retento solo priuilegio Canonis, & fori.

21 Degradatio verò realis, seu actualis (quæ absolutè, & simpliciter dicitur Degradatio) addit supra Depositionē, seu Degradationem verbalem, etiam priuationem omnis priuilegij Clericalis in perpetuum, & absque vlla spe restitutionis, prout constat ex *C. 2. de pœnis in 6.* Quærimus ergò in præsenti, An prædictæ pœnæ possint vi Bullæ Cruciatæ auferri.

22 Et quidem ratio dubitandi *Carolus Latius in Bull. Cruc.* pro parte affirmatiua facit, quia huiusmodi pœnæ ecclesiasticæ habent speciem censurarū afficientium etiam per se, & immediatè ipsas personas. Adde in bullis antiquioribus ante Pium V. concedebatur facultas absoluendi etiam à pœnis; sub nomine autem pœnæ venire poterant tàm Depositio, quàm Degradatio.

23 Negant tamen *Trullen. l. 1. §. 7. C. 2. d. 16. Bardi par. 2. tr. 6. C. 7. num. 26.* & alij. ac meritò, nam ex natura sua sunt pœnæ perpetuæ, seu habent positiuā perpetuitatem, ac proinde absolutè censuræ non sunt, cùm censuræ sint pœnæ temporales, & ad summum perpetuæ negatiuè quatenus interdum infliguntur absq; temporis determinati definitione, ac proinde nequeunt vi bullæ auferri, cuius potestas absoluendi datur in ordine ad solas censuras, vt sæpe dictum est. *Trullen. Bardi. Auctor.*

24 Ad rationem verò dubitandi in contrarium patet ex dictis. Ad confirmationem dico, in bullis post Pium V. vsque ad hæc nostra tempora, non apponuntur dicta verba: *etiam à pœnis*, atq; adeo corruit omnis difficultas. Atq; hæc satis sint circa facultatem virtute bullæ Cruciatæ concessam pro absoluendis cēsuris tùm reseruatis, tùm nō reseruatis; & quidē pro reseruatis semel in vita, & semel in articulo mortis, modo suprà explicato, pro reliquis verò toties quoties; excepta semper ea, quæ per crimen hæresis contrahitur iuxta supradictaQ. 2. per totam.

DISPVTATIO OCTAVA

DE PRIVILEGIO COMMVTANDI VOTA, QVOD VIRTVTE CRVCIATÆ CONCEDITVR.

In eodem §.XV.Sum. Pontifex concedit vlteriùs Confessario virtute Cruciatæ legitimè electo potestatem commutandi Vota ab ipso priuilegiato emissa. circa hoc igitùr priuilegium dicendum erit in præsenti Disputatione, quænam Vota, & quomodo commutanda sint.

QVÆSTIO I.

De Commutatione Votorum vi Cruciatæ in Genere.

QVinque sub præsenti instituemus Quæstiones;& quidem in prima agemus de commutatione Votorum veluti in genere; in secunda verò de cõmutatione Votorum reseruatorum in communi, ac in reliquis tribus Quæstionibus de ipsis tribus Votis in eadem bulla reseruatis, nempè Vltramarino,Castitatis,& Religionis in particulari.

DIFFICVLTAS I.

An Vouens possit propria virtute, absquè vllo priuilegio commutare sua Vota saltem in rem meliorem?

1 ABsolutè negant *Syluest. V. Votum 4.quæst 7. D.Bonauentura Dist. 38. ar. 2. quæst. 2.* *Gabriel. ibi. qu. 1. art. 5.* nonnullique alij. primò quia commutatio est actus iurisdictionis, nemo autèm potest exercere iurisdictionem in seipsum. Secundò quia nequit pœnitẽs à seipso commutare pœnitentiam in confessione acceptam, neq;in melius,ergò neq; Votũ. Tertiò quia in *c.vlt.Leuit.*Deus præcipit,quod vouens offerre aliquod animal, non possit illud nequè in melius mutare. Quartò quia in *c.licet Regul.* statuitur, non posse Religiosum transire ad strictiorem religionem, nisi ex licentia Prælati; & *c. 1.de Voto* decernit Sum. Pontifex,commutationem voti pendere ab arbitrio eius, qui præsidet,hoc est à Prælato.Demùm quia ex *L. Mutum, ff. si certũ petatur, §.Nam in ceteris*, habetur,quod promissio rei determinatæ inter homines, nequit à promittente pro suo arbitrio commutari in rem meliorem, ergò similitèr neque vouens poterit pro suo arbitrio com-

Syluest. D.Bona. *Gabriel.*

commutare Votum neque in rem meliorem.

Sanchez Lud à cr. Trullen. Bardi. 2 Affirmant tamen *Sanch. l.* 4. *decal. C.* 49. *n.* 4. *Lud. à Cruc. D.* 1. *C.* 6. *d.* 3. *n.* 5. *Trullen. in decal. l.* 2. *C.* 2. *d.* 45. *n.* 2. *Bardi p.* 2. *tr.* 7. *C.* 1. *n.* 3. alijque communitèr DD.

Auctor. & meritò, sic enim definitum est in *c. Peruenit*, 2. *de iureiur.* his expressis verbis: *Non enim propositum, aut promissum infringit, qui in melius illud commutat*; quod à Glossa sic exemplificatur: *Iurasti ire vltrà mare, postea tamē religionem intrasti, & sic vltrà mare non vadis, nō frangis iuramentum, quia in melius commutas.* hoc ipsum dicitur in *c. Scripturæ, de Voto.* & in *c. Licet*, ci. statuitur, quod si religiosus professus petat licentiam à suo Prælato transeundi ad aliam religionem, & hoc denegetur, possit propria auctoritate transire ad strictiorem religionem, commutans Votum prioris religionis in melius.

3 Ratio autèm à priori est, quia quod est maius continet in se quod est minus, atq; adeo si quis voueat Deo v.g. simplex velum calicis, ac postea eius loco calicem argenteum offerat, vtiquè rem gratiorem offert, & consequentèr superabundanter satisfacit, non minus ac, qui vouit decem aureos, & postea offerat aureos viginti. poterit igitur vouens de se commutare própria Vota in melius (nisi aliud in contrarium in ipso voto expresse habeatur.) an verò possit similiter in rem æqualē, dicetur Diff. sequenti.

4 Ad Primam autem AA. rationem in contrarium Nego, commutationem in melius, vt sic, esse actum iurisdictionis, seu dispensationis, sed dico, esse superabundantiorem satisfactionem.

5 Ad Secundam multi benè admittunt, posse pœnitentem à seipso commutare pœnitentiā in melius, & fortassis etiā inæquale. Nego tamen paritatē, nam obligatio ex voto oritur ex voluntate vouentis, obligatio autèm pœnitentiæ oritur ex voluntate Confessarij vt Superioris: quod autèm ex Superioris præscripto prouenit, in aliud commutari nō potest, vt patet in obligatione audiendi sacrum, ieiunandi, & huiusmodi.

6 Ad Tertiam dico primò, veterem legem, Christi morte iā expirasse. Dico secundò, legem illam Leuit. fuisse pro solis animalibus figurātibus fideles per religiosam professionem Deo oblatos: iam certum est, non posse Petrum pro Paulo religiosum statum subire.

7 Ad Quartam dico, meritò Superioris placitum prerequiri ad transitum in Religionem strictiorem, ne temerè id fiat, & cum detrimento prioris religionis.

8 Ad Quintam dico, prudenter esse recurrendum in rebus proprijs ad virum prudentem, & præsertim Superiorem, qui Dei vices gerit, præcipuè in ijs, quæ sunt propria status.

9 Ad Vltimam demùm Dico, per se loquendo, etiam inter homines rem meliorē esse promissario gratiorem, ac proindè promittens (nisi aliud obstet) poterit, saltē in foro conscientiæ, rem promissam in meliorē commutare, esto in foro fori possit aliquando per accidens promissarius exigere rem promissam

missam etiam in indiuiduo.

10 Hinc notant communitèr DD. huiusmodi commutationem in melius, habere etiam in locum quando Votum cedit in commodum tertiæ personę; & meritò, nam votum, cum fuerit emissum in honorem solius Dei, aut alicuius Sancti (vt hic supponitur) consequentèr nullum ius à tertia persona acquisitum est, ac proinde dicta tertia persona nullam actionē habebit in ipsum vouentem; quarè si quis voueat elargire alicui pauperi, aut loco pio v. g. centum aureos, vtiq; is, absq; vllà auctoritate Prælati, seu bullæ, aut alterius priuilegij virtute, poterit suum Votum in melius pro suo libito commutare. videndum nunc erit, an similitèr possit in rem ęqualem illud commutari.

DIFFICVLTAS II.

An vouens possit propriâ virtute, absquè vllo priuilegio, commutare sua Vota in bonum euidenter æquale?

11 NEgant *Suar. tom. 2. de relig. l. 6. C. 19. n. 3. Sanch. l. 4. dec. C. 49. Filluc. tom. 2. tr. 26.* C. 10. *n.* 28 3. *Palaus tom. 3. tr. 15. D. 2. p. 14. Layman. l. 4. sum. tr. 4.* C. 8. *Malder. in 2. 2. tr. 10.* C. 15. *d. 11. Caiet. ibi. q.* 88. *ar.* 12. *Bardi p. 2. tr.* 8. C. 1. *n. 14.* & alij. primò quia difficilè est attingere ęqualitatem requisitam inter rem promissam, & subrogandam. secundò quia gratius erit Deo, vt vouens perseueret in priori voluntate, quando loco rei promissæ, non erit rem meliorem exibiturus. Tertiò quia in *c. 1. de Voto*, statuitur hanc commutationem dependere ab arbitrio Prælati, quotiès nō constat rem subrogandam fore Deo gratiorem, & sic non poterit Votum absquè bulla, aut alio simili priuilegio, in rem ęqualem commutari.

Suar. Sanch. Filluc. Palaus. Layman. Malder. Caietan. Bardi.

12 Affirmant tamen *Rodriq. §. 9. num. 106. Herriq. in sum. l. 7. de Indul.* C. *30. Medina* C. 14. §. 7. *Lopez p. 1. instr.* C. 47. *Bonac. de leg. D. 4. q. 2. p. 7. §. 3. Villal. to. 2. sum. tr. 34. d. 31. Sancius in selec. D. 14. Io. la* Cruz *p. 1. direc. propr. 2. ar 2. d. 11. Lud. à cruc. D. 1.* C. 6 *d. 3. Aragon. 2. 2. q. 88. ar. 12. d. 1. Diana p. 1. tr. 2. misc. res. 9.* alijq; & meritò, nam si spectatis omnibus res, quę subrogatur erit omninò, & euidenter æqualis rei promissæ, vtiquè erit Deo æquè gratior, ac proinde non est, cur ex ęquo nequeat alterutra pro libito vouentis Deo offerri. Confirmatur etiam ex *c. Peruenit, de iureiur. & c. Scripturæ, de Voto*, vbi apertè insinuatur, posse fieri cōmutationem in rem euidentèr ęqualem.

Rodriq. Herriq. Medin. Lopez. Bonac. Villalob. Sancius. Io à cruz Lud à cr. Aragon. Diana. Auctor.

13 Ad Primam autem AA. rationem in contrarium Dico, nos loqui in casu, quo euidentèr constat inter rē Voto promissam, ac rem subrogandam esse omninodam ęqualitatem; ceterùm in dubijs vltrò concedimus, id fieri non posse, quia tunc possessio stat pro promissario, nisi constet de ratihabitione ipsius promissarij, quę per Prelatum, seu per Confessarium vi bullę electum habetur, & sic nullo modo poterit loco rei promissę, alia subrogari.

14 Ad Secundam verò Dico; esse

esse AA. probandum, quomodò sit Deo gratius, & non æquè gratum offerri rem promissam, non autem si res omninò æqualis offeratur loco rei promissæ.

15 Ad Tertiam Dico, præsentem casum in praxi vix, vel rarò contingere posse, atq; adeo moralitèr, & communitèr loquẽdo, benè dicitur, quod cõmutatio Voti pendeat ab arbitrio Prælati, dùm non constat, rem subrogandam fore Deo gratiorem, seu æquè gratam. nos verò hic loquimur metaphysicè, & ex natura rei; quarè in praxi longè tutius est, Superioris expectare oraculum. Priuilegium igitur bullæ per nos solùm habebit locum in commutatione Voti in dubijs (vt dictum est) & in rem minorem Voto promissa, vt Diff. sequẽti dicemus.

16 Diligentèr tamen hic notãdum est, in præsenti materia melius, seu ęquale non intelligi entitatiuè, nempè quod ex se est melius, seu ęquale, sed respectiuè, nempe in ordine ad finem intentum à vouente; quarè siquis voueat v.g. pro reprimenda libidine ieiunium, vtiq; nõ poterit tale ieiunium commutari in eleemosynam v.g. seu in orationem, & huiusmodi, quamuis hęc ex naturà suà sint actus perfectioris virtutis, quã sit ieiunium; sed commutari debet in aliquod, quod ex se existimatur magis, seu æquè aptum ad finem à vouente tunc intẽtum, nempè ad carnis macerationem, vtputa super nudam terram somnum capere, flagellis se cædere etiam cum sãguinis effusione, & huiusmodi, spectata semper vouentis cõplessione, statu, & cõditione.

DIFFICVLTAS III.

An virtute Bullæ possit commutari Votum in rem minorem?

17 COnueniũt DD. posse virtute bullæ, vel alio simili priuilegio commutari Votũ in rem absolutè æqualem. Difficultas ergò solùm est, An possit similitèr in aliam rem minorem commutari.

18 Negant *Suar. to. 2. de relig. l. 6. C. 12. Sanch. to. 1. sum. l. 4. C. 54. nu. 4. Sotus l. 7. de iust. q. 4. art. 3. Reginal. tom. 2. l. 8. C. 22. nu. 352. Sanctarel. de Iub. C. 8. d. 1. Bardi p. 2. tr. 7. C. 1. n. 20.* & alij. quorũ ratio est, quia virtute bullę solùm conceditur potestas commutandi Vota, non autem dispensandi: commutatio verò in rem minorem, nequit respectù illius excessus dici absolutè cõmutatio, sed erit vera relaxatio, seu dispensatio, & consequentèr commutare votum in rem minorem excedit potestatem vi bullæ concessam. *Suar. Sanch. Sotus. Reginal. Sanctar. Bardi.*

19 Affirmant tamen *Rodriq. S. 9. n. 107. Tolet. l. 4. sum. C. 18. Medin. l. 1. sum. C. 14. S. 7. Herriq. l. 7. C. 30. Aragon. 2. 2. q. 88. ar. 12. d. 1. Sà D. 11. n. 95. Trullen. l. 1. S. 7. C. 3. d. 12. Diana p. 1. tr. 11. res. 40.* & alij. ac meritò, primò quia vt superiori Diff. dictum est, vouens potest propria virtute, & absquè bulla commutare suum votum in rem æqualem, ergò si virtute bullę non posset commutari votum in rem minorẽ, sanè hoc bullę priuilegium omninò inutile esset. Nequè dicas concedi ad tollẽdos scrupulos; contrà enim est, nam tot DD. auctoritas, vt vidimus, factum omninò licitum reddit. *Rodriq. Tolet. Medin. Herriq. Aragon. Sà. Trullen. Diana. Auctor.*

Pro-

20 Probatur secundò absolutè, nam presens bulle priuilegiũ est onerosum, nempè sub onere soluendi taxatam eleemosynã, ergò vouens dum sumit bullam pro commutando Voto, iam loco Voti adimplet aliquod opus bonum; quarè si preter hoc requiritur vlteriùs equalitas inter Votum, ac rem loco Voti subrogandam, vtiquè sequeretur, quod vi bulle votum commutaretur in rem omninò maiorem, seu meliorem, quod non est asserendum.

21 Ad rationem autèm AA. in contrarium Dico primò, esto physice siue mathematicè, siue arithmeticè loquendo, cõmutationem debere esse inter res equales, alioqui quoad excessũ esset donatio &c. moralitèr tamen loquendo (prout in huiusmodi rebus moralibus loquendum est) benè dicitur Seraphicus Pater commutasse suum nouum vestimentum cũ pannoso pauperis. *Dico* secundò, quod si cum re loco Voti subroganda cõnumeretur onus sumendi ipsam bullam sub prescripta eleemosyna (vt connumerari debet, presertim si quis pro sola commutatione Voti bullam sumat) vtiquè reperiri poterit etiam equalitas physica inter Votum, ac rem eius loco subrogandam.

22 Stet igitùr vi bulle, seu alterius priuilegij sub onere Similitèr concessi, posse commutari Votum etiam in rem minorem, imò in rem minimã, quando Votum ob solam deuotionẽ emissum fuerit, non ita tamen si in spiritualem medicinã emittatur, vt meliùs infra patebit.

DIFFICVLTAS IV.

An per ipsam sumptionem Bulla eò ipso intelligantur Vota esse cõmutata?

23 AFfirmarunt aliqui simplices, vt refert *Nauar. in man.* C.12. putantes, se per solam, ac meram sumptionem bulle liberos satis, ac sufficiẽtèr euasisse ab omni onere adimplendi ampliùs Vota emissa. *Nauar.*

24 Negant tamen communiter DD. & meritò, nam aliud est dare potestatem ad commutanda vota, & aliud actu ipsa vota commutare, vt de se satis patet; per bullam autem solùm datur potestas commutandi Vota per Confessarium, ergò non sunt actu commutata, quamuis magis proximè, ac faciliùs euadant commutabilia per ipsam sumptionem bulle. *Auctor.*

25 Hinc siquis etiam post sumptionem bulle petat à Confessario commutationem suorum votorum, Confessarius verò siue ex obliuione, siue ex malitia non commutet actu, & de facto talia Vota, vtiquè neque remanere commutata, sed adhuc perseuerare in suo robore sicuti priùs.

26 Ceterùm dari potest votum, quod in ipsamet bulle sumptione intelligatur absolutè iam extinctum, vtputa siquis voueat bullam sumere, vtiquè is eo ipso, quod ipsam bullam sumit, statim dictum votum extinctum intelligitur; sed hoc reuera non erit commutatio voti, & multò minùs vi bulle (de qua hìc loquimur) sed ipsissima voti adimpletio, quod nihil facit ad rem presentem.

DIF-

DIFFICVLTAS V.

An vi Bullæ possint commutari Vota emissa etiam post ipsius Bullæ promulgationem?

27 CONueniunt DD. priuilegium commutandi Vota absolutè concessum, hoc est perpetuò duraturum, cuiusmodi est Regularium priuilegium ad hoc concessum, se vtiq; extēdere tàm ad Vota pręterita, nempè emissa ante concessionē ipsius priuilegij, quàm ad vota futura, nempè emittenda post ipsius priuilegij concessionem.

28 Difficultas ergò solùm est, An priuilegium commutandi Vota non perpetuum, sed ad tempus determinatum tantùm concessum, cuiusmodi est hoc bullæ priuilegium (de quo hic loquimur) quod sanè vsquè ad promulgationem nouæ bullæ tantùm durat, similitèr & priuilegium vi Iubilei concessum, & similia, quæ transacto statuto tempore cōcessionis expirant; ac de huiusmodi priuilegijs quærimus hic, An se extendant etiam ad Vota emissa post eorum concessionem, & quoad bullam etiam post ipsius publicationem emissa.

29 Negant *Sotus l. 7. de Iust. q. 4. ar. 3. Lopez p. 1. instr. C. 10. Cord. in sum. q. 149.* nonnulliq; alii, ex eo quia, aiunt, videtur inconueniens dare potestatem commutandi vota nō adhuc emissa, ac proindè nō videtur præsumendum, fuisse Sum. Pontificis intentionem, quod priuilegium hoc bullę se extendat etiā ad vota futura, nēpè emittēda post ipsius bullę pmulgationē. *Carolus Latius in Bull. Cruc.* Sotus. Lopez.

30 Affirmant tamen *Nauar. in sum. C. 12. Rodriq. S. 9. n. 11. Suar l. 6. C. 13. Herriq. l. 6. C. 16. Sanch. in decal. l. 4 C. 53. Trullen. l. 1. S. 7. C. 3. d. 4. Bardi p. 2. tr. 7. C. 1. nu. 39.* & communitèr DD. ac meritò, primò quia potestas hæc commutandi vota vi bullę cōcessa, est absoluta, & absq; vllà limitatione, vt ex verbis ipsius bullæ patet, ergò non est, cur à nobis dicta potestas coarctetur ad vota tantū præterita, & præsertim cum huiusmodi potestas sit vnum ex priuilegijs fauorabilibus bullę. Secundò, quia, sicuti potestas ad hoc Regularium ex eo, quod sit perpetua, se extendit ad omnia vota in perpetuùm emittenda, sic etiā potestas hæc vi bullę pro solo anno concessa, debet se extendere ad omnia vota intrà eundem annum emittenda. Nauarr. Suarez. Herriq. Sanch. Trullen. Bardi. Auctor.

31 Tertiò quià, sicuti Principes, ac leges absq; vllo inconuenietī, imò satis sano cōsilio, delegant Iudicibus potestatem castigādi delicta etiam non adhuc patrata; similiter Ecclesia, seu Ordinarij communicant Cōfessarijs potestatem absoluendi peccata etiam non adhuc cōmissa, etiāsi vtraque potestas sit solùm ad tempus aliquod determinatum concessa, ità similitèr, & absq; vllo inconuenienti poterit vi bullæ dari potestas commutandi vota etiam post promulgationem ipsius bullæ non adhuc emissa. ex quibus satis patet ad rationem AA. in contrarium. Et idem dico de potestate dispensandi in Votis.

DIFFICVLTAS V.

An vouens immemor speciei Voti, possit vi bullæ commutationem obtinere?

32 Contingere potest, vt quis certò sciat, se emisisse Votum, & tamen nihil recordetur in particulari neque in specie, neq; in indiuiduo quodnã Votum emiserit. quærimus hic in tali casu, An tale votum possit virtute bullæ cõmutari.

Suarez. 33 Negat *Suar. lib. 6. ci. de Voto, C. 16. n. 14.* ex eo, quia ex vnà parte commutatio Votorum nequit fieri temerariè, & imprudentèr: ex alterà verò parte nunquam poterit Confessarius maturè, ac prudentèr in hoc se gerere, nisi notitiam habeat de qualitatibus, & conditionibus Voti emissi, & consequentèr in casu posito nequit Confessarius commutare tale Votum, nam sic semper temerariè, ac imprudentèr procederet, cum facilè contingere possit, vt materia in quam fit commutatio; contingat omninò improportionata priori materiæ Voti. Adde, vouentem in casu, quo post adhibitam moralem diligentiam omninò nequit recordari de Voto emisso, ad nihil teneri; atquè adeo quid quæsò cõmutandum erit?

34 Affirmant tamen *Sanch. l. 4. sum. C. 54. n. 34. Trullen. l. 1. c. 7. C. 3. d. 9. n. 3.* alijque, & meritò, primò quia sicuti potest Confessarius commutare Votum, antequàm labatur tempus durationis bullæ, & postea assignare materiam proportionatam priori materiæ voti emissi (vt *Diff.* sequenti dicemus) sic & in præsenti casu vtiq; poterit similitèr Confessarius tempore habili commutare tale Votum, ne tempus durationis bullæ transeat, ac deindè si fortè vouens recordabitur de voto emisso, poterit assignare; ac subrogare materiam proportionatam priori materiæ ipsius voti.

35 Secundò quia si Confessarius dùm tale Votum commutat, simul etiam assignaret Vouenti aliqualem materiam loco prioris materiæ Voti iam obliti, proportionandã posteà suo tẽpore, tunc scilicèt si fortè vouens voti emissi reminiscatur, nihil sanè temerariũ, neq; imprudentèr actum esse videtur, cum notitia Voti solùm requiratur ad commutandum ipsum votum vltimatè, completè, ac diffinitiuè, non autèm ad commutandum votum imperfectè, in confuso, & inchoatiuè, prout dictum est. vndè satis patet ad rationem *Suar.* in contrarium.

36 Ad Confirmationem Dico, quod quamuis vouens hic, & nũc dùm est omninò immemor sui Voti, nihil pro nunc exequi teneatur; attamen adhuc pro nunc extat in ipso obligatio exequendi ipsum votum, quamuis non pro nunc, sed pro tẽpore, quo de illo recordabitur; ac proindè etiam pro nunc poterit similitèr commutari talis obligatio ex vna materia confusa; & indeterminata, vt est materia voti obliti, in aliam materiam determinatã, esto improportionatam, proportionandã tñ tẽpore, quo de voto vouens recordabitur, vt dictũ est, vndè tunc non indigebit nouà bullà pro talis voti commutatione, si fortè alia bulla expirauerit.

DIF.

DIFFICULTAS VII.

An Confessarius vt maturiùs Votum commutet, possit ipsius commutationem differre post elapsum annum durationis Bullæ?

37 CErtum est per se, & absolutè loquendo, nō posse Vota virtute bullę commutari transacto anno durationis eiusdem bullę, nam potestas hęc commutandi Vota cum sit delegata, vtiquè expirat expirante præfixo tempore delegationis.

38 Difficultas igitùr solùm est in aliquo casu per accidens, vt si Vouens peteret à Confessario commutationem sui Voti v.g. vltimo die durationis bullę, Cōfessarius autèm vt maturiùs procedat, quærimus hic, An possit eius cōmutationem differre pòst aliquod tempus, nō obstante quod tunc inueniatur elapsus annus durationis eiusdem bullæ.

39 Affirmant *Suar. l. 6. de Vot. C. 16. n. 15. Sanch. l. 4. sum. C. 54. n. 3. Bardi p. 2. tr. 7. C. 1. n. 129.* non nullique alij, quorum ratio est, quia ex vna parte caussa delegata si semel inchoata sit, vtiquè poterit perfici, & vltimari à Delegato adhuc trāsacto præfixo tempore delegationis, vt communiter DD. concedunt, & probant ex varijs Iuribus: ex altera verò parte eo ipso, aiunt, quod Cōfessarius acceptat potestatem commutandi Votum, statim inchoat caussam, atquè adeò idem Confessarius poterit perficere commutationem talis Voti adhuc transacto anno durationis eiusdem bullæ. *Suar. Sanch. Bardi.*

40 Negandum tamen puto, nā commutatio Voti non est sicuti confessio, & huiusmodi actiones, quæ per partes fieri possunt, sed est actio consistens in indiuisibili; confessarius enim ad petitionem vouentis vt votum commutare velit, vel annuit vel renuit: si primùm, iam eò ipso votum commutatum est, & sic non sumus in casu; esto possit talis confessarius nō determinare tunc, ac simul materiam implendam loco voti commutati, de quo non procedit quæstio: si secundum, cōcedo non intelligi tunc tale votum commutatum, sed nego causam esse inchoatam, & dico remanere omninò integrā; ac proinde, transacto anno durationis ipsius bullæ, nequit ampliùs tale votum commutari vi eiusdem bullæ. *Auctor.*

41 Sed dices in primo casu posito, ex eò, quod Confessarius annuit, & assentitur petitioni vouentis, non statim, ac necessariò ex hoc esse votum commutatum, colligēdum est; nam potest Confessarius ex hoc tantùm promittere illi commutationem voti suo tempore maturiùs faciendam: seu quod idē est solùm ex hoc eidem vouenti innuere, se acceptare potestatem commutandi vota vi bullæ ipsi concessam, quod satis est, vt talis caussa dicatur inchoata, vt dictum supra etiam est.

42 Sed contra est, nam si nuda, ac simplex acceptatio potestatis esset inchoare caussas, ad quas acceptatur potestas (in quo videntur AA. omninò fundari) vtiquè in nullo casu vlla caussa delegata posset remane-

re integrâ transacto tempore delegationis, vel mortuo delegante, &c., quod esse absurdū, nemo negabit; ac proinde similiter in nostro casu, etiamsi cōfessarius acceperit dictam potestatem commutandi votum, nō ideo inferri poterit, talem causam ex hoc praecise esse inchoatam.

43 In casu igitur posito, quoad praxim, debet Confessarius statim de facto, & de praesenti commutare tale votum, posito quod omninò velit illud commutare ex vi Bullae quamprimùm periturae, eritque votum apertè commutabile; quod si dubitauerit, an tale votum sit commutabile ab ipso, necne, sufficit vt tunc, ac tempore habili, hoc est, dum bulla non adhuc expirauerit, intentionem habeat cōmutādi illud quātùm poterit; solū tamē, vt maturiùs procedat, differre potest determinare in particulari materiā subrogandam loco voti iam commutati. quarè in tali casu cū iam sit extincta prima obligatio circa materiam voto promissam, consequentèr vouens nō ampliùs toto tempore subsequenti sacrilegè peccabit contrà tale votum.



DIFFICVLTAS VIII.

An Confessarius omninò teneatur commutare Vota poenitentis, si is vi bullae petat illorum commutationem?

44 Difficultas procedit, quādo Confessarius nullum agnoscit in poenitente impedimentum ne illius vota cōmutet; in tali igitur casu querimus in presenti, An Confessarius omninò teneatur poenitentis vota commutare, itaut peccet talis Confessarius vi bullae electus denegando iniustè illius voti commutationem.

45 Affirmant *Sayrus lib. 6. Clau. reg. C. 12. n. 18. Sanch. lib. 4. de cal. C. 54. Lud. à Cruc. D. 1. C. 6. d. 1. num. 1. Aragon. 2. 2. q. 88. ar. 12. Sanctarel. C. 8. de Lub. d. 2. Diana p. 1. tr. 11. res. 44.* & alij; quorū ratio est, quia Confessarius eo ipso quod excipit cōfessionem poenitentis, teneri videtur prestare ea omnia, quae ad suum officium spectabunt, dum ex parte poenitentis non apponitur obex: iam ex vna parte aiunt non minus spectat ad Confessarium commutare Vota, quàm peccata absoluere: (facta hypotesi, quod solis Confessarijs delegetur facultas haec commutandi vota.) ex altera verò parte iam supponitur ex parte poenitentis nullum apponi impedimentum, ergo Confessarius saltem in casu, quo excipit peccata vouentis, tenetur etiam eiusdem vota commutare. *Sayrus. Sanch. Lud à cr. Aragon. Sanctar. Diana.*

46 Confirmant hoc ipsum ex *c. Quanto, 2. q. 5.* vbi Episcopus dicitur infidelis, si deneget dipen-

ſpenſationem ſubdito illam ex iuſta cauſſa petenti. Ceterùm hi DD. non ſe explicant, an talis Confeſſarius peccetne grauitèr, an tantùm leuitèr in dicto caſu.

47 Negant tamen, per ſe loquendo, *Sancius in ſelect. D. 14. n. 17. Palaus to. 1. tr. 30. D. 6. p. 8. nu. 12. Bardi p. 2. tr. 7. C. 1. n. 27.* aliјque, & meritò, nam cum omnis obligatio ſit odioſa, vtique nemo obligandus eſt, niſi euidens habeatur caput obligationis: in caſu igitur noſtro cum nullum poſſit aſſignari caput obligãs ipſum Cõfeſſarium ad Vota commutanda, (vt ex ſolutione rationum in contrarium patebit) conſequentèr ſi nolit ea commutare, neque venialiter peccabit. Cõfirmatur, nam Confeſſarius nõ eſt ad hoc delegatus neceſſarius: ſed liber, cõmutatiò enim nullo modo præcipitur, ac proindè in manu confeſſarij abſolutè erit, ſi velit, necne in hoc ſeſe immiſcere.

Sancius. Palaus. Bardi. Auctor.

48 Ad rationem autèm in contrarium Nego, teneri Confeſſarium commutare pœnitentis vota ex eo præcisè, quod illius peccata Sacramentalitèr exceperit, nam abſoluere peccata, & commutare Vota (adhùc facta hypoteſi, quòd vni ſoli vtrumque competat) ſunt abſolutè onera inter ſe omninò diſparata, nullamque connexionem neque implicitam inter ſe dicunt; ac proinde confeſſarius ex eò, quod acceptauerit ſui electionem in ordine ad peccata, nequaquam cenſendum eſt, acceptaſſe etiam electionem in ordine ad Vota commutanda.

49 Dixi *per ſe loquendo* nõ teneri confeſſarium commutare vota pœnitentis, nam per accidens vtiq; contingere poteſt, vt etiam ſub mortali teneatur ea commutare, ſi ſcilicèt vouens inueniatur in manifeſto periculo frangendi votum, ipſeque confeſsarius facilè poterit illud commutare, & præſertim ſi ſit proprius confeſſarius vouentis, qui quidem non ita facilè eximẽdus erit à tali onere, etiamſi alios ſui loco expoſuerit, nam sẽper ratione dicti ſui officij, & conſequentèr nõ ſolùm ex charitate vt alij, verùm etiam ex iuſtitia tenetur, quoad fieri poterit, quærere ſpiritualem pœnitentis profectum, ad quem maximè aliquãdo conferre poterit commutatio Voti vt dictum eſt.

50 Ex quibus patet diſparitas ad confirmationem opinionis contrariæ, nam Epiſcopus eſt proprius, vnicus, ac neceſſarius Delegatus in hoc, ac etiam ad diſpenſandum, qualis non eſt ſimplex confeſſarius, adhuc vi bullæ electus.

DIFFICVLTAS IX.

An ad commutanda Vota virtute Bullæ requiratur cauſſa?

51 Conueniunt DD. quod ſicuti à vouente poteſt commutari Votum in rem meliorem propria virtute, abſquè bulla, aut alio priuilegio (vt ſuprà n. 2. dictum eſt) ita etiam id ipſum ab eodem abſquè vlla cauſſa fieri poſſit, & meritò, nam melioritas ipſa boni, loco Voti, ſubrogandi erit ſufficiens cauſſa commutationis. Id ipsũ aſſerimus cum illis DD. qui nobiſcum ſentiunt, poſſe ſimilitèr vouen-

vouẽte in propria auctoritate, absquè vllo priuilegio commutare suum votum in rem euidenter æqualem; ad quam cõmutationem si requiris causã, satis erit maior promptitudo vouẽtis adimplẽdi potiùs hoc, quàm aliud.

52. Conueniunt similitèr DD. quod sicuti vouens nequit propria virtute, & absquè vllo priuilegio commutare suum votũ in rem minorem, sed necessariò pro tali commutatione recurrere debet ad sui Prælati auctoritatem, ita etiam ad huiusmodi commutationem requirunt aliquam caussam, quamuis leuissimam. & meritò, alioqui Prælatus omninò leuitèr in huiusmodi commutationibus se gereret. Id ipsum asserunt, qui negant, posse vouentem propria auctoritate commutare sua vota in rem omninò æqualem.

53 Difficultas ergò est, An ad commutandum Votum vi bullæ præsertim si in rem minorẽ fiat talis commutatio, requiratur caussa. Et quidem ratio dubitandi pro parte affirmatiua est, quia non omne priuilegiũ commutãdi vota excludit caussam commutationis, nam de facto aliqui Regulares habent quidem priuilegium commutandi aliqua vota, & tamen nequeunt illa commutare, nisi ex aliqua rationabili caussa, vt omnes concedunt.

Suarez. Rodriq. Sanchez. Trullen. Auctor.

54 Negant tamen *Suar.l.6. de Vot.C.19.n.10.Rodriq.in add. ad §.9.n.107.Sanch.l.4.sum.C.50.n.19.Trullen.l.1.§.7.C.3.d.13.n.6.* & communitèr DD. ac meritò satis enim sufficit caussa, quæ in eadem bulla assignatur, nempè commune bonum resultans ex receptione ipsius bullæ, mediante eleemosyna, quæ in subsidium belli contrà Infideles applicatur; nam si quæuis etiam leuissima caussa sufficit ad commutandum votum à Prælato absquè bulla (vt dictũ est) multò magis sufficiet ad eandem commutationem ex vi bullæ, stante tam maxima, ac nobili caussa, vt est Ecclesiæ pax, ac quies quæ magna ex parte oritur ex hoc dato subsidio Regi Catholico contrà Infideles per erogationem huius bullæ, vt patet.

55 Hinc apparet disparitas inter priuilegia bullæ, ac priuilegia Regularium; nam priuilegia Regularium sunt omninò gratuita, & absquè vllo onere, sed solùm in gratiam Religionis concessa, & consequentèr nullam supponunt caussam, ac proindè meritò requiritur aliqua caussa de nouo ad commutanda vota virtute priuilegiorum Regularium; priuilegia autèm hæc bullæ, cum ex caussa subsidij contrà Infideles cõcedantur, ac sub onere erogãdi taxatam eleemosynam, satis durum esset requirere aliã nouam caussam pro commutandis votis vi priuilegij eiusdem bullæ.

56 Quarè, licèt in ipsa commutatione Votorum virtute bullæ Cruciatæ nulla caussa inquirenda sit, absolutè tamen non absquè caussa huiusmodi commutatio fit, cum in ipsa receptione bullæ satis optima caussa supponatur, prout dictum est.

Ex quibus satis patet ad rationem dubitandi in contrarium.

DIE.

DIFFICVLTAS X.

An commutatio Votorum vi bullæ fieri possit à Confessario extra Confessionem sacramentalem?

57 CONueniũt DD. commutationem Votorum debere fieri à Cõfessario per Ordinarium approbato ad audiẽdas confessiones, & meritò, expressè enim in eadem Bulla dicitur, quòd sumens bullam possit sibi eligere Confessarium ab Ordinario approbatum, qui etiam à reseruatis eũ absoluat, vota commutet, &c. ergò commutatio votorum vi bullę debet necessariò fieri à Confessario per Ordinariũ approbato; ceterùm nihil refert, an talis Confessarius sit ipsius vouẽtis, aut aliquis alius Confessarius; prout suprà diximus de absolutione cẽsurarum vi eiusdem bullę danda.

58 Controuertitur ergò solùm, An talis Confessarius possit cõmutare vota vi bullę etiam extrà confessionẽ sacramentalem & validè, & licitè.

59 Absolutè negant *Rodriq. §. 9. n. 13. reg. & Fernand. in Theol. mor. p. 3. C. 9. sec. 2. §. 17. Lopez in 2. p. Instr. C. 9. Sayrus in clau. reg. l. 6. C. 11. n. 105.* nonnulliq; alij, quorum ratio est, quia ad commutanda vota vi bullę, expressè requiritur in eadem bulla Confessarius ab Ordinario approbatus (vt dictũ est) ac proinde in confessione sacramentali videntur vota esse vi bullę commutãda; & hoc non solùm vt licitè, verùm etiam vt validè commutentur.

Rodriq.
Fernand.
Lopez.
Sayrus.

60 Absolutè tamen affirmant *Sotus de Iust. l. 7. q. 4. ar. 3. Suar. l. 6. de vot. C. 16. n. 4. Sanch. de mat. l. 8. D. 15. n. 25. Herriq. l. 7. de Indul. C. 30. n. 6. Trullen. l. 1. §. 7. C. 3. d. 10. Villalob. to. 1. sum. tr. 27. clau. 9. §. 3. n. 36. Bardi p. 2. tr. 7. C. 1. n. 47.* alijque, & meritò, nã ex vna parte commutatio votorum nullam habet connexionem ex natura rei cum absolutione à peccatis, vt de se patet: ex altera verò parte potestas hæc commutandi vota vi bullæ, conceditur absquè vlla dependentia à cõfessione sacramentali: nullibi enim in hac bulla dicitur, quod debeant vota commutari in sacramento pęnitentiæ, vel auditis peccatis, vel quid huiusmodi; & consequentèr omninò gratis alligatur confessioni sacramentali commutatio hæc votorum vi bullæ facienda, & præsertim si volens nullam pro tunc necessitatem habeat cõfitendi, prout suprà similitèr diximus de absolutione à Censuris vi eiusdẽ bullæ.

Sotus.
Suar.
Sanch.
Herriq.
Trullen.
Villalob.
Bardi.
Auctor.

61 Ex eò autem, quòd talis votorum commutatio vi bullę necessariò fieri debeat à Confessario per Ordinarium approbato &c. non sequitur, quòd requiratur actuale exercitium excipiendi cõfessiones, sed solùm denotatur, requiri, potestatem excipiendi cõfessiones; eo prorsus modo, quo pro edenda carne vi eiusdem bullæ, requiritur consilium medici; non quidem in actu medendi: sed solùm, quod tale consiliũ sumatur ab eo, qui facultatem habet corpora medendi. Ex quibus patet ad rationem AA. in contrarium.

62 Stet igitùr posse & licitè, & validè commutari vi bullæ vota

etiam

etiam extrà confessionem sacramentalem, sicuti etiam virtute Iubilei, aliorumque priuilegiorum Regularium, nisi expressè in priuilegio habeatur, quod huiusmodi votorum cõmutatio fieri debeat in ipsamet confessione sacramentali.

DIFFICVLTAS XI.

An Votorum commutatio vi Bullæ fieri debeat in subsidium temporale Sacræ Expeditionis, an verò sufficiat spirituale?

63 IN bulla hac dum loquitur Sum. Pontifex de facultate commutandi Vota, ait, ea commutãda esse in aliquod subsidiũ huius sacræ Expeditionis videndum ergò est in præsenti; An tale subsidium debeat esse spirituale, nempè Orationis, Ieiunij, verberationis, & huiusmodi, an verò temporale, nẽpè eleemosynæ proportionatæ quidem tàm Voto commutando, quàm etiam qualitati ipsius Vouentis.

64 *Gomez claus. 10. n. 54. Llamas 3 p. meth. C. 4. §. 42.* nonnullique alij volunt, commutationem hanc votorum vi bullæ satis, ac sufficiẽter fieri posse in aliquod subsidium tantùm spirituale. Quorum ratio est, quia sub nomine subsidij æquè continetur tùm spirituale, tùm temporale: cum igitùr in bulla ad hoc requiratur solùm aliquod subsidium vt sic, & in genere, consequentèr vtrumlibet ex ijs subsidijs siue spirituale sit siue temporale, satis erit pro commutandis votis vi eiusdem bullæ. Adde, saltem respectù alicuius piæ psonæ poterit absolutè esse efficacius contra Infideles subsidium spirituale, quàm aliud subsidium temporale, præsertim paruæ quantitatis. *Gomez. Llamas.*

65 At *Nauar. in sum. C. 12. n. 80. Sotus l. 7. de Iust. q. 4. ar. 3. Cordub. in sum. q. 149. Rodriq. §. 9. n. 109. Lopez p. 2. instr. C. 9.* & alij asserunt, subsidium, in quod fieri debet votorum commutatio vi bullæ, totum debere esse tẽporale. primò quia nomine subsidij absolutè prolati pro Bello contrà Infideles, venit subsidiũ temporale consistens in aliqua eleemosyna pecuniaria. Secundò quia si vota possent vi bullæ commutari in rem omninò spiritualem, vtiquè hoc in eadem bulla expressè diceretur, sicuti de facto expressè dicitur pro lucrandis indulgentijs. *Nauar. Sotus. Rodriq. Lopez.*

66 Demùm *Suar. l. 6. de Vot. C. 19. n. 18. Sanch. l. 4. sum. C. 54. n. 58. Villalob. to. 1. tr. 27. claus. 9. §. 3. Herriq. l. 7. C. 30. n. 6. Lud. à Cr. D. 1. C. 6. d. 2. Fernand. p. 3. C. 9. se. 11. §. 17. Diana 1. p. tr. 11. res. 21. Bardi p. 2. tr. 7. C. 1. n. 108.* & alij communitèr DD. docent, cõmutationem hanc, per se loquẽdo, debere fieri in subsidium sacræ expeditionis partim tẽporale, & partim spirituale. Et meritò: & quoad primam partem probatur ex eo, quia sub nomine subsidij, quamuis absolutè loquẽdo, veniat tàm spirituale, quàm temporale, in subiecta tamen materia sacræ Expeditionis, debet intelligi id, quod est magis necessarium dictæ Expeditioni, tale autem est temporale, pro quo & ipsamet bulla maximè conceditur; & de facto ad tollendam omnem dubitatione, iam in bulla Italica expressè dicitur, quòd commutatio *Suar. Sanch. Villalob. Herriq. Lud. à Cr. Fernand. Diana. Bardi. Auctor.*

mutatio votorum debeat fieri in aliquam eleemosynam.

67 Quod autem tale subsidium nequeat esse totum temporale (per se, ac regulariter loquẽdo), probatur ex eo, quia in cõmutandis Votis maximè attendẽdus est maior profectus spiritualis vouentis, ac finis ab eodem vouente intentus (vt suprà dictum est, & latiùs infrà dicetur Diff. vlt.) vnde siquis voueret v. g. ieiunium pro reprimenda libidine, malè tale ieiunium in solam eleemosynã commutaretur, &c. cum ergò Vota vt plurimùm emittantur ad maiorem spiritualem profectum acquirendum, vtiquè si in solum temporale subsidium commutarentur, vel non haberetur finis à vouente intentus, vel in maius commutari deberent. ceterum quænam ex his partibus debeat esse maior tẽporalisne, an spiritualis, remittitur prudentiæ Confessarij, cuius erit hìc, & nunc dignoscere voti qualitatem, ac vouentis facultatem; ac proinde si quis fuerit adeò pauper, vt nullam eleemosynam contribuere possit, tunc in tali casu per accidens, positâ scilicet incapacitate subiecti ad eleemosynam erogandam, absolutè poterunt huius Vota in aliquod omninò spirituale commutari, secùs autèm per se loquendo, vt dictum est.



DIFFICVLTAS XII.

An Vouens possit omittere commutationem Voti, & prius votum exequi?

68 Conueniunt DD. posse Vouentem pro suo libito omittere commutationem Voti, & ad prius Votum redire, quotiès Votum commutatum fuit in rem minorem, seu æqualem. Difficultas ergò solũ procedit, quandò Votum commutatum fuit in rem meliorẽ, & in hoc casu.

69 Negant *Suar. l. 6. de Vot. C. 20. nu. 1. Filluc. to 2. tr. 26. C. 10. nu. 288. Reginal. tom. 2. pra. l. 20. nu. 362.* & alij; quorum ratio est, quia commutatio, aiunt, habet vim noui Voti, quo vouens se obligat exibere Deo aliquid melius eo, quod antea promiserat; ac proinde nequit redire ad pristinum Votum, sic enim votum commutaretur in rem minorem, quod saltem absquè priuilegio fieri nequit, vt suprà dictum est. *Suarez. Filluc. Reginal.*

70 Confirmant etiã ex eo, quod in humanis contractibus, quãdo ex consensu partium obligatio melioratur in fauorem creditoris, nequit ampliùs debitor resilire ab hac vltima obligatione; & ad pristinam redire, ita proportionalitèr dicẽdum erit in præsenti materia.

71 Affirmant tamen absolutè *Sanchez l. 4. sum. C. 55. num. 26. Azor. tom. 1. l. 11. C. 19. q. 12. Lud. à Cruc. D. 1. C. 6. d. 16. num. 5. Trullen. l. 2. decal. C. 1. d. 49. Bonac. D. 4. decal. q. 2. §. 7. p. 7. n. 20. Lessius l. 2. C. 40. d. 16. num. 111.* *Sanch. Azor. Lud. à cr. Trullen. Bonacin. Lessius.*

Malder. Bardi. Auctor.

Malderus in 2.2.tr.10.C.5.d.11. q.9. Bardi disp. 2 tr. 7.C.2.num. 89. alijque, & meritò, nam commutatio Voti fit in gratiam vouentis, vt is scilicet faciliùs suũ Votum adimpleat, ac proinde commutatio est absolutè priuilegium ipsius Vouentis, & consequentèr vouẽs poterit vtrũlibet exequi; alitèr commutatio esset onus, nõ priuilegium.

72 Ad rationem autèm incontrarium Nego, regularitèr loquendo, commutationem Voti habere vim noui voti, quod vtiquè AA. probare deberent, non supponere: sed dico esse meram, ac solam translationẽ vnius obligationis in aliam siue æqualem, siue meliorem, semper tamen in fauorem solius vouentis.

73 Ad Confirmationem verò nego paritatem, nam in cõtractibus humanis quando obligatio melioratur, vtiq; in fauorem creditoris melioratur, nõ autèm in vtilitatem debitoris; & ideo dum à creditore acceptatur, fit nouus contractus, à quo debitor nequit ampliùs resilire: quando verò commutatur votum etiam in melius, talis commutatio primò, & per se fit in fauorem vouentis, qui ideò in sua libertate adhùc est, iterùm ad priorem materiã voti redire, & hoc totiès quotiès vouens voluerit.

74 Dixi, *regularitèr loquendo*; nam si vouens velit commutationem Voti in rem meliorem ad augendum solùm Diuinum cultum, ac veluti de nouo vouendo, ac renuncians dicto suo iuri, vtiquè in tali casu videtur vouens non ampliùs posse ad pristinum Votũ redire, sed hoc erit per accidens.

75 Quod si vouens dubitauerit, an in commutatione sui voti in meliùs, renunciauerit dicto suo iuri, ac fauori, necne; seu an se obligauerit de nouo materiæ subrogatæ, in tali casu adhùc vouens erit in sua libertate exequi, quod ipsi placuerit, nam in dubijs præsumptio desumẽda est à communitèr contingẽtibus: communitèr autèm Vota commutari solent in fauorẽ ipsius vouentis, & consequentèr absque præiudicio illius libertatis.

DIFFICVLTAS XIII.

An si vouens redeat ad primum votum, nolens commutatione facta lætari, possit iterùm ad materiam subrogatam redire.

76 NEgant aliqui absolutè distingunt tamen *Suar. l. 6. de Vot. C. 20. n. 13. & Sanch. l. 4. sum.* C. 55. *n.* 19. dicunt enim, si votum commutatum fuit in rẽ minorem, vel etiam in rẽ æqualem, tunc si vouens redeat ad primum votum, nolens lætari commutatione factà, non posse eum iterùm redire ad materiã subrogatam. quorum ratio est, quia vouens dum renũciat cõmutationi, saltèm implicitè, & virtualitèr videtur emittere nouum votum circa materiã commutatam, ac proindè nouo voto ligatus nequit ab illo propriâ virtute recedere; secùs autem si commutatio fuerit in meliùs, cũ vouens absolutè possit propria virtute suum votum in melius commutare, vt suprà dictũ est num. 2. Suarez. Sanchez.

77 Sed absolutè Affirmãt *Palaus to. 3. tr. 15. p. 18. num. 11. Villalob.* Villalob. Palaus.

tom. 1.

to.1. sum.tr.27. clauf.9. Bardi p. 2.tr.7.C.2.n.99. aliijq; & meritò; falsum enim est, vouentem nouum votum emittere circa primam materiam voti ex eò præcisè, quod renunciet cõmutationi, nolitque illa lætari, quod satis gratis ab AA. supponitur, cum totum hoc possit fieri per nudum, ac simplex propositum non vtendi tali commutatione, & consequentèr absquè vlla intentione se obligandi determinatè ad primam materiam voti suaque libertate ad vtramlibet priuandi. quarè, nisi de opposito constet, etiamsi adsit circa hoc dubitatio, semper tamen præsumendum est, nunquam vouẽtem intendisse se sua libertate priuare.

78 Videndum nunc erit, an quæ hactenùs dicta sunt de Voto, possint similiter dici de Iuramẽto tàm nudè sumpto, quàm simul cum voto concurrente, se ipsum votum confirmante.

DIFFICVLTAS XIV.

An Iuramentum absquè Voto emissum, possit virtute Bullæ commutari?

79 NEgant *Caiet. 2.2.q.89.ar. 9. Nauar. in sum. C.27. n.275. Azor. to.1. l.11.C.10. q.2. Lessius 2. de iust. C.42. d.12. n.60. Sà V. Iuramẽ. 32. Pet. Ledes. to.2. sum. tr.11. C.4. Lud. à Cr. D.1. C.6. d.5.* nonnullique alij. quorũ ratio est, quia Votum, & Iuramentum sunt diuersę speciei, ac proinde diuersam imponunt obligationem, & sic facultas per bullam concessa commutandi Vota nequit extendi ad commutanda Iuramenta. Confirmant etiam ex eo, quia Sum. Pontifices aliquando dum concedunt facultatem commutandi vota expresse addunt & iuramenta, seu Vota iurata, ergò dum in pręsenti bullę priuilegio de solo Voto fiat mentio, signum est, Sum. Pontificem nolle in illo includere iuramẽta.

Caietan. Nauarr. Azor. Lessius. Sà. Ledesm. Lud. à cr.

80 Affirmãt tamen *Sotus l.8. de iust. q.1. ar.9. D. Anton. 2.p. tit.11 C.2. §.2. Rodriq. §.9. n.110. Suar. to.2. de relig. l.6. C.14. n.6. Sanch. l.8. de mat. D.2. Herriq. l.7. C.30. Palaus to.3 de Iuram. D.3. p.1. Pontius l.8. de mat. C.11. Aragon. 2.2. q.88. ar.12. Trullen. l.1. §.7. C.3. d.2. Filluc. to.2. tr.26. C.9. n. 254. Diana p.1. tr.11. res.41. Bardi p.2. tr.7. C.1. n.77.* & communitèr DD. ac meritò, nã ex vna parte obligatio proueniens ex iuramento quo quis promittit aliquid Deo, eadẽ omninò est ac obligatio, quæ prouenit ex Voto; ex altera verò parte priuilegium hoc bullæ commutandi Vota nullum continet odium, sed merum, ac nudum Principis fauorem, ergò latè est sumendum, atquè adeò qui virtute eiusdem bullæ poterit cõmutare obligationẽ prouenientem ex Voto, poterit similitèr commutare & obligationem, quæ ex iuramento prouenit.

Sotus. D. Anto. Rodriq. Suarez. Sanchez. Herriq. Palaus. Aragon. Trullen. Filluc. Diana. Bardi. Auctor.

81 Confirmatur etiam ex *L. tantum, §. de Seruo, Cod. de furtis*, vbi dicitur, quod quidquid disponitur in vno ex æquiparatis, dispositum & altero censeatur, & præsertim in fauorabilibus; vnde per idem priuilegium comedẽdi oua diebus prohibitis, etiam lacticinia comeduntur ex eo, quia vtrobiquè est par ratio. Similitèr, (vt omnes cõcedunt) si Beneficiario concedatur facultas percipiendi fru-

ctus Beneficij in absentia, vt Theologiæ vacet, vtiquè poterit eosdem fructus percipere, etiāsi velit Iuri Cononico operam dare ex eo, quia hę duæ scientię in Iure ęquiparantur, ac ex multis alijs exemplis cōstat. licèt ergò Votum, ac Iuramentum non æquiparentur in omnibus, attamē quia vtrūque parit coram Deo eandem obligationem, hinc qui poterit obligationem Voti commutare, poterit etiam & obligationem commutare Iuramenti; similitèr & qui poterit dispensare in Votis poterit etiam & dispensare in iuramentis.

82 Ad rationem igitur AA. nego, Votum, & Iuramentum diuersam parere obligationem in pręsenti materia, de qua loquimur. Ad Confirmationem Dico, aliqua verba, vt plurimùm, apponi à Sum. Pontificibus in suis priuilegijs ad maiorem rei explicationem, & conscientię securitatem, pręsertim circa res sub varijs DD. placitis positas.

DIFFICVLTAS XV.

An vi Bullæ possit commutari Votum Iuramento confirmatum, seu Iuramentū confirmatum Voto?

83 VOtum dicitur iuramento confirmatum, quotiès vouens post emissum votū iurat, se seruaturum tale votū; at siquis aliquid iuraret, ac deinde voueret, se seruaturum tale iuramentum, tunc diceretur iuramētum voto cōfirmatum. de vtroque igitùr quęrimus hic, an sit commutabile vi pręsentis facultatis bullę commutandi Vota.

84 Negant *Azor. to. 1. l. 11.* C. 10. *q. 20.* omnesque illi, qui negāt, facultatem hanc bullę commutandi vota, posse extendi ad iuramenta, vt suprà vidimus n. 79. quorum ratio est, primò quia votum iuratum, seu quod idem est, iuramento confirmatum inuoluit duo vincula, ergò est quid maius, ac fortius, & sic per simplicem hanc bullę facultatem commutandi Vota vt sic, non poterunt commutari ea vota, quę iuramento confirmātur; & idem consequentèr dicere tenentur de iuramento, si voto confirmetur. Secundò quia Votum perpetuę Castitatis v. g. si iuramento confirmetur, non validè à Sum. Pontifice dispensaretur, si de solo Voto fieret mentio. Confirmant etiā ex quodā priuilegio à Gregorio XIII. concessum Soc. Iesu, quo extendit priuilegium eidē Soc. datum à Paulo III. etiam ad Vota iura, ergò commutare hęc vota iurata est quidē maius, alioqui dicta Gregorij extensio esset omninò inutilis. *Azor.*

85 Affirmant tamen *Suar. l. 6. de Vot.* C. 14. *n. 19. Sanch. l. 8. de mat.* D. 23. *Palaus to. 3. tr. 1. D. 2. p. 1. Bardi p. 2. tr. 7.* C. 1. §. 4. alijque communitèr DD. & meritò, primò quia in Summario Italico (cuius est declarare aliqua obscura bullę magnę plumbeæ) expressè habetur, posse Confessarium vi eiusdem bullæ electum, commutare Vota etiam iurata. Secundò quia Accessorium sequitur naturam principalis, ex reg. *Accessorium, de reg. Iur. in 6.* ergò commutato Voto, quod est principale, commutatum etiam censetur & iuramentum, quod est Accessorium. *Suar. Sanch. Palaus. Bardi. Auctor.*

rium. Similitèr est dicendum, quando Iuramentum est principale, & accessorium votum, nam commutato iuramento, commutatum etiam & ipsum votum, censendum est. Nota hic, aliquos DD. velle, accessorium in tali casu non commutari, sed relaxari, verùm hoc nihil refert.

86 Ad primam autèm rationem AA. in contrarium concedo, votum iuratum inuoluere duo vincula, & sic fortiùs ligare, attamen cum vnum se habeat accessorium ad aliud, consequentèr corruēte principali, corruere & accessorium necesse est; cum igitùr per bullam detur facultas suprà principale, consequentèr, seu indirectè erit etiā suprà accessorium; sicuti siquis promittat mihi cētum, & promissionem firmet iuramento, vtiquè si ego condonem huic dictam promissionem, corruet etiam & iuramentum.

87 Ad secundam verò rationē similitèr dico, quod si iuramētum se habuit merè accessoriū ad votum perpetuæ castitatis, vtiquè adhùc nulla facta mentione de huiusmodi iuramento, sed solùm petatur dispensatio de Voto, validissima erit talis dispensatio, eò quia extincto Voto, extingui etiam debet & iuramentum vt accessorium, prout communitèr affirmant DD. nostræ sententiæ.

88 Ad confirmationem ex priuilegio Gregorij XIII. dico, solùm fuisse concessum ad maiorem conscientiæ securitatem, quæ quidem sufficit ad reddendum dictum priuilegium laudabile.

89 Confessarius igitùr vi bullæ electus quotiès poterit commutare Vota, poterit æquè benè eadem commutare, etiamsi iuramento fuerint confirmata; & idem dico de iuramento per votum confirmato. Maior autèm difficultas est, quādo vnū non se habet vt principale, & alterum vt accessorium, modo dicto, sed tàm Votum, quàm Iuramentum æquè primò concurrunt ad obligandum; quarè sit.

DIFFICVLTAS XVI.

An vi Bullæ possint commutari Votum, & Iuramentum, si simul concurrant absolutè, & sine connexione, seu subordinatione vnius ad aliud?

90 IVramentum duplicitèr potest simùl cum Voto concurrere circa eandem rem, primò cum subordinatione, seu connexione cum ipso Voto, vtputa si vouens post emissum votum iurat, se seruaturum hoc suum votum, ac tunc tale iuramentum dicitur se habere accessoriè ad illud votum, vel contra, de quo satis dictum est in superiori diff. Secundò absq; vlla subordinatione, seu connexione vnius ad aliud, sed merè cōcomitantèr, absolutè tamèn, ac per se ad inuicem se habeant vt siquis voueat v.g. ieiunium, & deindè iuret, se seruaturum tale ieiunium, itaut iuramentū tunc primò, & per se immediatè cadat suprà ipsum ieiunium nō autèm suprà promissionem per votum Deo factam, adeò vt vouens in tali casu duobus vinculis per se adstingatur. Videndum ergò est in præsenti, An hoc

hoc duplex per se vinculum possit commutari per simplicē facultatem commutandi Vota, vi bullæ concessam.

Rodriq. Sanch. Fagund. Azor. Lessius. Herriq. Filluc. Lud. à cr.

91 Negāt *Rodriq.§.9.n.110.Sāch. l.8.de matr.D.2.n.23.Fagūd.l.2. de cal.C.50.n.13.Azor. to.3.l.11.* C.10.q.2.*Lessius l.2.de iust.*C.42. *d.12.n.66. Herriq. l.7. de Indul.* C.30.n.5.*Filluc.to.2.tr.26.* C.9. *n.255.Lud.à Cruc.D.1.C.6.d.6. n.6.* & alij. quorum ratio est, quia dum simul cōcurrunt duo vincula,& vnum non dependet ab alio,neque est illi accessoriū, fortiùs ligant, quàm si esset vnū tātùm; cùm igitùr præsens bullæ priuilegium respiciat vnum solum vinculum, consequentèr non poterit tollere, seu commutare obligationem, quæ in duplici vinculo fundatur; potestas enim, aiunt, ad commutādum vtrumque vnitim, absolutè est maior, quàm potestas ad commutandum vtrumque diuisim.

92 Confirmant hoc ipsum à pari, namquotiès concurrunt simul duo impedimenta ad contrahendum matrimonium, totiès strictiùs habetur vinculum impediens; & ideò solutio est difficilioris dispēsationis, quàm si eadem impedimenta inuenirentur separata in diuersis personis; vndè in dispensationibus in vnica petitione necessariò exprimi debent huiusmodi impedimenta; itane si in diuersis petitionibus separatim exprimantur, nulla, ac subreptitia tunc dispensatio existimetur, prout ex ipso stylo Curiæ constat.

93 Similitèr si duo concurrant impedimenta, quorum vnum possit ab Episcopo auferri, aliud verò à solo Sum. Pontifice, non potest ab Episcopo auferri primum impedimentum propter quidem connexionem alterius impedimenti. eadem igitùr impedimenta, seu vincula maiorem habent vim vnitim, & sic fortiùs ligant, quàm si separatim inueniantur; eo modo, quo in physicis habetur, quod virtus vnita est fortior seipsà dispersà. ex eo igitùr, quod vi bullæ possint commutari Votum, & Iuramentum vt sic, & separatim, non inde infertur, quod similitèr possint commutari, si vnitim concurrant, sicuti ex eò quod quis ferre potest centum libras separatim, ac per partes, non inde inferri potest, posse easdem simul vnitas ferre; nequè ex eo, quod quis potest vincere plures hostes separatim, inde sequitur, posse ab eodem vinci eosdē simul vnitos, &c.

94 Affirmant tamen *Suarez l.6. de Vot.C.14.n.119. Palaus to. 3. D.3.p.1.nu.5.Trullen.l.1.§.7.*C.3.d.3.*Sà V. Votum*, *Pontius l.8. de mat.* C.11.*Rodriq.in add.§.9. n.111.Bardi p.2.tr.7.*C.1.nu.9. alijque, & meritò, nam votum ex connexione iuramenti non mutat naturam, neq; iuramētum ex connexione Voti, ergò si vtrumque per se, ac solitariè sumptum potest vi bullç commutari (prout supra dictū est) poterant consequentèr eadem commutari, etiamsi vnitim inueniantur; sicuti qui habet facultatem absoluendi à cēsuris, vtique sine dubio poterit çquè benè absoluere tàm, qui vnicā censuram habet, quàm etiam qui duplici, seu triplici, imò multiplici censurà innodatur; eò quia sola coniunctio censurarum non causat maiorem reser-

Suarez. Palaus. Trullen. Sà. Pontius. Rodriq. Bardi. Auctor.

reseruationem illa, quam habent, dum separatim inueniuntur, similitèr & in casu nostro.

95 Ad rationem autèm AA. in contrarium Dico, duo vincula simul concurrentia, modo dicto, ligare fortiùs extensiuè, nō intensiuè: vnde eadem potestas, quę sufficit ad tollenda dicta vincula separata, sufficiet etiam ad tollenda eadem vincula si vnita fortassis in eodem subiecto reperiantur, vt clarè patet in absolutione à censuris, vt dictum est. Quarè etiamsi vi bullę detur facultas ad commutādum simplicitèr Votum, posita tamen extensione eiusdem facultatis ad commutandū etiam iuramentū (vt supra n. 80. probatum est) poterit consequentèr eadem facultas etiam extēdi ad Votum, & iuramentum adhuc vnitim concurrentia.

96 Ad primam confirmationē Nego primò, esse absolutè inualidam dispensationem multorum impedimētorum simul, & vnitim in vno existentium, etiamsi eorumdem dispensatio per multas, ac totidem petitiones obtineatur (vt in tr. de matr. ostendi) esto possit esse illicita ratione praxis Curię. Dico Secūdò, quod adhuc dato AA. inualidam esse huiusmodi dispensationem, nihil aliud tamē ex hoc contrà nos sequi, nisi quod in pręsenti casu simul exprimetur & votum, & iuramētum simul, & vnitim concurrētia, vt sic adequata fiat cōmutatio, eo modo, quo volunt AA. simul exprimenda esse omnia impedimenta, quę vnitim in vno concurrunt, quod quidem nihil nobis hic obstat, dum hoc non obstante, integra semper maneat facultas huiusmodi vota etiā commutandi. Ceterum cum hoc non procedat ex ipsa natura rei, sed ad summum ex speciali vsu circa matrimoniū, non debet ad alias res extendi.

97 Ad secundam verò n. 93. allatam, Dico primò, nullam esse paritatem, foret autèm si vtrūque impedimentum per se, ac separatim sumptum posset ab Episcopo auferri, at tunc similitèr dicerem, posse ęquè benè ab eodem Episcopo eadem impedimēta adhuc vnitim auferri. Dico secundo, in casu posito ea duo impedimenta conflare vnum integrum impedimentū, cuius singulę partes, ac per se, & solitariè sumptę cum non stent sub potestate Episcopi, cōsequentèr neque erunt prout conflant vnum totum. Ceterùm non desunt, qui adhuc in casu posito dicant, posse Episcopum tunc dispensare in impedimento illo, quod suam potestatem non excedit, non obstante connexione alterius impedimēti Sum. Pontifici reseruati.

98 Demùm ad exempla ex rebus physicis desumpta Dico, esse longè disparem rationem inter potentiam physicam, ac potentiam moralem: potentia enim physica est absolutè finita, & sic poterit ita absorberi ab aliquo obiecto, vt omninò deficiat quoad reliqua obiecta, prout patet ex allatis exemplis; potentia verò Moralis est finita, sed in infinitum in suo genere, vt ijdem AA. fateri tenentur in potestate absoluendi à censuris, & peccatis, ac huiusmodi moralibus potentijs, quę ex applicatione ad vnum obiectum nihil diminuūtur, quia possint simul

ſimul eodem modo applicari ad omnia reliqua obiecta ſuæ latitudinis; vnde per ſimplicem poteſtatem abſoluendi à cenſuris, ſeu à peccatis, æquè benè poterunt abſolui infinitæ cenſuræ, ſeu infinita peccata ſimul, & vnitim exiſtētia, & per vnicū actū, ac ſi diuiſim inueniantur, & per diuerſos actus.

99 Petes, An commutatio præſentis Voti facienda ſit ſimul, an per partes. Reſpōdeo, vtroque modo fieri poſſe. poteſt enim Confeſſarius pro ſuo libito commutare priùs Votum, deinde Iuramentum: vel priùs Iuramentum, & deinde Votum: vel vtrumque ſimul, & vnico actu. Tandem huiuſmodi Votum in bulla non excipitur, ergò abſolutè poterit vi eiuſdem bullæ commutari.

DIFFICVLTAS XVII.

An Confeſſarius vi Bullæ poſſit etiā in Votis diſpenſare?

100 COmmutare Votum, ſeu Iuramentum (vt ex hactenùs dictis patet) eſt transferre obligationem, quam habet Vouens, ſeu Iurans circa vnam materiam, in aliam; Diſpenſare verò, ſeu irritare Votum, ſeu iuramentū eſt omnē obligationē tollere ſiue ad tēpus, ſiue in perpetuum. Iam verò, Conueniunt DD. omnes eos, qui habent poteſtatem Ordinariam commutādi Vota, vt ſunt Prælati reſpectù ſuorum ſubditorū, habere etiam poteſtatem in illis diſpenſandi, & è contrà. Et meritò, hoc enim docet ad abſolutum, ac perfectum dominiū, cuiuſmodi eſt Ordinariorum Prælatorum.

101 Controuertitur ergò ſolū, An qui habet poteſtatem delegatam commutandi Vota, qualis eſt hæc, quæ vi bullæ ſeu Iubilei conceditur, poſſit etiam & in eiſdem Votis diſpenſare, & eadem eſt ratio de Iuramentis.

102 Affirmant *Syluеſ. V. Votum, 4. q. 3. & Palacius in 4. D. 38. d. 3.* quorum ratio eſt, quia commutatio Voti in rem minorem, videtur neceſſariò includere etiam diſpenſationem ſaltem partialem, & ſecundùm quid: cum igitùr vi bullæ concedatur facultas commutandi vota etiā in rem minorem (vt ſuprà nu. 19. probatum eſt) conſequentèr confeſſarius, qui vi bullæ poteſt vota commutare, poterit etiam & in eiſdem diſpenſare. *Syluеſ.* *Palacius*

103 Negant tamen *Suar. l. 6. de Vot. C. 12. n. 4. Sanch. in decal. l. 4. C. 53. ar. 2. Lud. à Cruc. D. 1. C. 6. d. 7. nu. 12. Cordub. l. 5. de Indul. q. 37. Bardi p. 2. tr. 7. C. 1. num. 50.* alijq; communitèr DD. & meritò, nam poteſtas delegata nequit extendi vltrà terminos delegationis, vt de ſe patet; iam commutare Vota eſt quid minus; vt vidimus, cum ſit ſolùm tranſmutare vnam obligationē in aliam: diſpenſare autèm eſt quid maius, cum ſit omnē obligationem tollere, & auferre, ac proindè nō benè infertur, quod habens delegatam poteſtatem commutandi Vota, habeat etiā poteſtatem in illis diſpenſandi; cum igitùr vi præſentis bullæ nō concedatur niſi facultas cōmutandi Vota, conſequenter non poterunt vi eiuſdem bullæ vota diſpenſari; & idem dico de Iuramento. *Suar.* *Sanch.* *Lud. à Cr.* *Cordub.* *Bardi.* *Auctor.*

104 Ad rationem verò AA. in con-

contrarium patet ex suprà dictis n. 21. eò quia in huiusmodi rebus moralibus, moralitèr sumendi sunt dicti termini, nēpè Cōmutatio, & Dispensatio, itaut Dispēsatio importet totius obligationis ablationē, Cōmutatio verò importet translationem obligationis circa vnā materiā in aliam siue maiorē, siue æqualem, siue etiam minorem, alitèr erit quæstio de nomine. An verò ex potestate delegata dispēsandi, posit inferri etiam potestas commutandi, dicemus Diff. sequenti.

DIFFICVLTAS XVIII.

An habens delegatam potestatem dispensandi in Votis, possit ex vi talis potestatis eadem Vota commutare?

105 NEgant *Nauar. in man. C. 12. n. 79. Valent. in 2. 2. D. 6. q. 6. p. 7. Azor. to. 1. l. 11. C. 10. q. 4. Medin. in sum. l. 2. C. 1. Sanch. l. 8. de mat. D. 2. n. 15.* nonnullique alij. primò quia Dispēsatio, & Commutatio ex vna parte sunt diuersi actus: ex altera verò parte cōmutatio respectù dispensationis nequit comparari vt pars in ordine ad totum, atquè adeo ex potestate dispensandi nequit inferri potestas commutandi. Secundò quia priuilegium quantumuis fauorabile nequit extendi vltrà verborum proprietatem, ergò quamuis potestas dispensandi sit fauorabilis, non ideo tamen poterit extendi ad commutationem, quæ nequè ex vsu loquendi, nequè ex proprietate verborum sub dispensatione continetur.

Nauarr. Valent. Azor. Medin. Sanchez.

Carolus Latius in Bull. Cruc.

106 Affirmant tamen *Sotus l. 7. de Iust. q. 4. ar. 3. Rodriq. § 9. nu. 115. Suar. to. 2. de Relig. l. 6. de Vot. C. 12. n. 10. Palud. in 4. D. 38. ar. 3. n. 35. Sayrus in clau. l. 6. C. 12. n. 15. Herriq. l. 7 de Indul. C. 30. n. 5. Lessius l. 2. de iust. C. 40. d. 16. n. 108. Layman l. 4. sum. tr. 4. C. 8. n. 20. Sà V. Votum, n. 19. Pontius l. 8. de mat. C. 11. n. 3. Fagund. in decal. l. 2. C. 50. n. 7. Palaus to. 2. tr. 15. D. 2. p. 14. n. 4. Trullen. in decal. l. 2. C. 2. d. 37. n. 1.* alijq; cōmunitèr DD. & meritò, nam ex vna parte huiusmodi potestas dispensandi in Votis, est purum Principis beneficium, nullumq; odium cōtinet, ergò largè est interpretanda, vt ab ipsismet AA. cōceditur: ex altera verò parte potestas commutandi continetur sub potestate dispēsandi vt pars sub toto, & minus sub maiori, & sic ex reg. 53. Iuris in 6. *cui licet, quod plus est, licebit etiam quod minus est*, ergò qui potestatem habet dispēsandi in Votis, poterit etiam eadem vota cōmutare, (& idem dico quoad Iuramenta) sicuti qui habet potestatem relaxādi alicui totum debitum, sanè multò magis poterit relaxare partē eiusdem debiti.

Sotus. Rodriq. Suar. Palud. Sayrus. Herriq. Lessius. Layman. Sà. Pontius. Fagund. Palaus Trullen. Auctor.

107 Ad primam ergò AA. rationem in contrarium concedo, dispensationem, & cōmutationem esse diuersos actus, attamē nego, commutationem respectù dispensationis non se habere vt pars respectù totius, prout dictum est.

108 Ad secundam similitèr nego, in nostra sententia extendi priuilegium vltrà verborū proprietatem, nam ex regula Iuris ci. videlicèt, *Cui licet, quod est plus, licebit etiam quod est*

minus, vtiquè minus intelligitur concessum in ipsa cōcessione maioris; sicuti in concessione comedendi carnes diebus ieiunij, conceditur similitèr facultas cōmedendi lacticinia, & hoc absquè vlla impropríetate verborum; ita & in casu nostro, in concessione facultatis dispēsandi in Votis, concedi etiam & facultatem commutandi eadem Vota, dicendum est.

DIFFICVLTAS XIX.

Quenam Confessarius præcipuè spectare debeat in Votorum commutatione?

109 NOn est hic animus pro singulis Votis cōmutandis, singulas DD. regulas in medium afferre, sed tantùm aliquas pro modulo nostro, præcipuas tamen, breuitèr adnotare, quæ ad complementum præsentis Quæstionis omninò necessariæ videntur, reliquas verò prudentis Confessarij iudicio iuuat libērè relinquere.

110 In Cōmutatione igitur Votorum, generalitèr loquendo, quatuor necessariò erunt perpendenda. Primò *Finis* à vouēte in suo voto intentus: potest enim vouens in emissione Voti intendere vel corporis castigationem, vel solùm Dei, ac SS. cultum, vel exercere opera charitatis erga proximum, &c. Siquis igitur vouit aliqua ieiunia ad macerandam carnem, ac libidinem compescendam, vtiquè nequit tale Votum cōmutari in solas præces, seu Rosaria, & huiusmodi, etiamsi Oratio sit actus præstantioris virtutis, attamèn quia per se nō videtur ita apta ad finē à vouēte intentum, ideo dicta ieiunia cōmutanda sunt in totidem corporis verberationes, vel gestationes cilicij, vel aliud huiusmodi aptum ad macerādam carnem, & è contrà.

111 Similitèr Votum erogandi aliquam eleemosynam emissū ad comprimendam auaritiam, congruentiùs cōmutabitur in aliqua alia opera misericordię corporalis, vt inseruire infirmis in Xenodochijs, stipem petere pro pauperibus derelictis in carceribus, instruere pueros, ac rudes in rebus fidei, & huiusmodi, ac è contrà, quę magis ad finem à vouēte intentū Confessarius hic, & nunc existimabit.

112 Si verò finis voti fuerit solus honor, seu Diuinus cultus, tunc absolutè commutari poterit in aliquam eleemosynam, vel Rosarij recitationem, vel alias Orationes, seu preces magis proportionatas fini intento à vouente. & siquis voueat aliqua ieiunia pro Defunctorum suffragio, poterunt commutari in recitandum toties Officium Defunctorum, seu in tot confessiones, & communiones, seu aliquas eleemosynas pro eisdē Defunctis.

113 Secūdò perpēdi debet *Natura*, seu ęstimabilitas tā in specie, quā in indiuiduo ipsius Voti cōmutandi. Et quidem Votum absolutum est maioris momenti, quam conditionale, & pœnale: conditionale est maioris pōderis, quàm pœnale. Rursùs si votū pęnale emittatur fugiēdi caussa blasphemias, seu periuria, maiori indigebit cōmutatione, q̄ si emittatur ad vitādā solā pecunię iacturā, vel quid simile. insuper ęstimatio voti con-

conditionalis augetur post adimpletam conditionem. ac demùm iuxtà maiorem, aut minorem certitudinem purificandæ conditionis, maior, aut minor erit materia subroganda.

114 Prætereà, si materia per votum promissa fuerit aliunde præcepta, vt siquis voueat non furari, tunc leuior sit commutatio, eò quia adhuc ad hoc vouens aliunde tenetur, vnde maior sit commutatio Voti circa materiã nõ præceptã; similitèr maior etiã sit, si circa eãdẽ materiã plura Vota, aut iuramenta simul concurrant, sicuti etiã in casu, quo quis post emissũ votũ voueat etiã nõ petere cõmutationem, seu dispensationem circa tale votum. ac demùm si vouens ex voto emisso valdè frænatur à lapsu in aliquod peccatum, vtiq; præcisè ex hoc, aliquid aliud erit in commutatione addendũ, secùs autem si vouens ex voto à peccatis non arceatur, ac multò minus si votũ erit occasio aliqua peccãdi.

Suar. Sylvest. Azor.

115 Tertiò perpendenda sunt *Onera*, quæ executionem voti consequuntur, quorum aliqua se habent per se, aliqua verò per accidens. Et quidẽ de his omnibus habenda est consideratio, si vouens in ipsa voti emissione præuia, ac subire illa intendit; si verò tunc solùm directè intendit ipsam voti substantiã, nullam habens rationem de circumstantijs, & annexis in tali casu, quæ per se spectant voti substantiam omninò sub cõmutatione cadere debent; v.g. in peregrinatione itineris labor, ac maior si animum habuerit redeundi: similitèr maiores sumptus illis, quos in propria domo esset facturus (nisi expressè animum habuerit mendicandi, sed tunc excresceret labor.) nullo autem modo sub commutatione cadunt sumptus, illi, quos facturus erat vouens ex sola vana ostentione, cum hoc absolutè Deo displiceat. pericula verò, quibus peregrinaturus exponitur ac negotiorum, domusue detrimentum ex eius absentia, & alia huiusmodi, iudicio prudentis Cõfessarij omninò remittẽda sunt cum sint omninò accidentaria.

116 Quartò demùm perpendẽda est *Materia*, quæ loco Voti subrogari debet, vt sc. quoad fieri poterit, sit eiusdem valoris & æstimabilitatis. quare si commune ieiunium commutatur in cilicij gestationem v.g., vtique si ieiuniũ fuerit in pane, & aqua tunc hæc circũstantia alio opere suppleri debet. sic confessio commutari potest in actu amoris Dei super omnia, seu contrictionis. sumptio SS. Eucharistiæ, in recitationem Rosarij, vel aliud opus pro eodem die festiuo colẽdo. celebratio missæ, in sumptionem SS. Eucharistiæ, & è contrà, vt meliùs ex cõmutatione aliquorum votorũ in particulari infrà patebit.

117 Atquè hæc satis sint gratia exempli pro commutatione Votorum in genere, de qua hucusquè loquuti sumus; ceterùm poterit prudens Confessarius pro varietate circumstantiarũ tum voti, tum vouentis pro suo libito variare, attenta semper, & maximè vouentis conditione, quatenùs vna, & eadẽ actio respectù vnius habet maiorem difficultatẽ, quam respectù alterius, sic debilis v.g. maximã habet difficultatẽ ieiunãdi, minorẽ autẽ, per se loquendo, fortis simi-

similitèr minimi facit diues, dare in eleemosinā duos aureos, maximi pauper; quæ quidem difficultas cum augeat valorem operis, & meriti, consequentèr erit in voti commutatione cōpensanda; vnde idem numerò votum à paupere emissum, in minimam eleemosynam commutandum erit, in maiorem, si à Diuite, & in longè maiorē si à Magnate, seu prodigo emissum fuerit. Tandem concedunt communitèr DD. posse satis laudabilitèr omnia cuiuscunq; generis Vota in solam Sacramentorum frequentiam commutari, cùm Sacramenta sint omnium virtutum ditissima Officina.

QVÆSTIO II.

De Commutatione Votorum reseruatorum in communi.

ACturi per sequētes Quæstiones de Votis in bulla exceptis, ac reseruatis, iuuat de illis in communi priùs agere, deinde verò de singulis in particulari expeditiùs agemus.

DIFFICVLTAS I.

Quænam, & quot sint Vota reseruata?

Angel. Graff. Abbas. 1 ANgel. *V. votū, 4. n. 6. Graff. 1. p. dec. l. 2. Abbas C. ex multa, n. 4.* alijq; pauci volunt, duo tātùm vota Castitatis perpetuæ, & Religionis esse semper reseruata, tria verò Peregrinationum, nempè Hierosolymitanæ, Compostellanæ, ac Romanæ tunc solùm cùm in subsidiū eorum locorum emittuntur nō autèm cùm ex sola deuotione fiunt; eò quia C. *ex multa, &c. super his, de Voto,* vbi peregrinatio Hierosolymitana reseruatur, agitur de illa, quæ in eiusdem loci subsidiū promittitur vnde à fortiori idem videtur dicendum de duplici alia peregrinatione.

2 At *Suar. to. 2. de rel. l. 6. de Vot. C. 2. n. 4. Syluest. V. vot. 4. q. 3. Azor. to. 1. l. 11. C. 18. q. 4.* alijq; communitèr DD. asserunt, omnia dicta quinque Vota esse de Iure communi Sum. Pontifici reseruata. Et meritò, saltem post constitutionem Sixti IV. in sua *extrauag. Etsi Dominici, 2. de pœn. & remiss.* vbi excommunicantur commutantes ista quinque Vota absq; Sum. Pontificis facultate, ergò Pontifex vel supponit ea esse iam ex vniuersali consuetudine Ecclesiæ reseruata, vel saltem consequentèr, seù implicitè illa de nouo Summi Pontifici reseruat; ac proindè non poterunt de iure cōmuni, per se loquendo, ab inferioribus Papæ absquè speciali priuilegio commutari, & multò minus dispensari, seu irritari; an verò possint per accidens, patebit ex infrà dicendis, & præsertim ex vi bullæ Cruciatæ. Suar. Syluest. Azor.

3 His Votis addunt aliqui Votum peregrinationis in templū Deiparæ Virginis Lauritanæ: alij omne Votum perpetuum: alij demùm votum non peccandi, communitèr tamen DD. absolutè docent, sola, ac dumtaxat quinque supradicta vota esse de iure communi Sum. Pōtifici reseruata. Et meritò, nam omnis reseruatio cùm sit odiosissima,

ssima, & consequentèr stricti iuris, nequit extendi nisi ad ea Vota, quæ expressè, & absolutè reseruata inueniuntur, cuiusmodi non sunt hæc tria, vt meliùs ex dicendis patebit.

4 Ceterùm virtute bullæ Cruciatæ omnia quęcunque Vota, tùm personalia, tùm realia, aut mixta commutari poterũt, tribus tantùm exceptis, nempè *Vltramarino, perpetuæ Castitatis, & Religionis*, de quibus in posterùm tàm in cõmuni, quã in particulari agemus. Excipi etiam necessariò debent Vota substantialia Religionis, & illis annexa, siue sint solemnia, siue simplicia; nam ista, certum est, non posse neque per bullam, neque per quodcunque Iubileum commutari. Excipiunt etiam communitèr DD. Vota, seu Iuramenta, quibus firmantur statuta Communitatum, Collegiorum, Academiarũ, &c. & meritò; nam hoc Bullæ priuilegium conceditur personis particularibus, non Vniuersitatibus; præsertim si huiusmodi statuta fuerint à Sum. Pontifice confirmata. Similitèr iuramẽta, quæ cedunt in vtilitatẽ tertij; & primò, & per se non fiũt ob motiuum diuini cultus, ac proinde cùm eorum commutatio redundet in alterius damnum, consequentèr non continentur sub obiecto præsentis priuilegij Cruciatæ. & ob eamdem rationem nequeunt per bullam commutari iuramenta, quæ fiunt ab aliquibus Prælatis non alienandi bona Ecclesiastica, & alia huiusmodi, quorum relaxatio, seu dispensatio tẽderet in damnum tertij.

DIFFICVLTAS II.

An tria Vota in Bulla excepta possint vi eiusdem Bullæ commutari, si fuerint Pænalia?

5 Tria supradicta Vota, nẽpè Vltramarinum, Castitatis, & Religionis non posse, per se loquendo, neque per bullam commutari, omninò certum est, vt supra etiam innuimus; controuertitur ergò solùm, An hæc eadem vota possint saltem per accidens commutari, quando scilicèt in quibusdam circumstantijs emittũtur, in quibus aliquid suæ perfectionis deperdere videntur; & quidem primò si fuerint pœnalia, hoc est, si in pœnam emittatur: vt siquis v.g. à ludo faciliùs se abstineat, voueat v.g. religionem ingredi, si ampliùs ludat; in quo quidem casu vouens duo promittit Deo, vnum absolutè, nempè se nõ ampliùs lusurum: alterùm verò conditionatè, nempe ingressum religionis, posito scilicèt quòd ludat, & in pœnam delicti, videlicet ludi.

6 Iam verò *Sotus l. 7. de iust. q. 4 art. 1. Couar. p. p. §. 3. num. 2. Rodriq. §. 9. num. 124. Acosta q. 73.* nonnullique alij docent, huiusmodi votum ante incursionem pœnæ non est reseruatum, sed fieri reseruatum post ipsam incursionem pęnæ adimpletà cõditione; quorum ratio est, quia antequam adimpleatur conditio, & in pœnam incurratur, votum ingrediendi religionem est accessorium ad aliud votum de non ludendo; accessorium autem sequitur naturam principalis *Sotus. Couarr. Acosta.*

cipalis *ex c. Accessoriũ, de reg. iur. in 6. & ex l. Cum principalis ff. eod. tit.* Cum igitur principale votum de non ludendo non sit reseruatum, vt patet, consequentèr nequè erit reseruatum eius accessorium. post adimpletam verò conditionem, ac pœnam incursam, statim votum ingrediendi religionem euadit absolutum, & sic independens à priori voto, ac proinde non erit ampliùs accessorium, & cõsequentèr erit reseruatum.

Philiar.

7 Negant tamen absolutè aliqui, quibus adhæret *Philiar. to. 1. de off. Sacerd. p. 2. C. 22.* quorũ ratio est, quia antequam vouens, modo dicto, pœnam incurrat, ad nihil tenetur, & consequentèr nihil erit commutãdum; post incursam verò pœnam, iam votum transit in absolutum, ac proinde tunc erit Pontifici reseruatum, & sic absolutè nõ erit vi bullæ commutabile. Confirmatur, nam siquis in pœnam alicuius delicti iam cõmissi voueret v.g. ingressum religionis, vtiquè hoc tale votum est per omnes DD. reseruatum, ergò similitèr erit dicẽdum de eodem voto emisso ante delictum in pœnam si tale, vel tale committat delictum, si semel purificetur conditio.

Sanchez. Medin. Herriq. Trullen. Gomez. Palaus Pe. Ledes Bardi. Auctor.

8 Affirmant autèm absolutè *Sanch. l. 8. de mat. D. 10. n. 8. Medina C. 4. sum. §. 6. Herriq. l. 7. C. 30. nu. 6. Trullen. l. 1. §. 7. C. 3. d. 6. Gomez clauſ. 10. n. 99. Palaus to. 3. tr. 15. D. 2. p. 11. Pet. Ledeſ. 2. p. sum. tr. 10. C. 8. Bardi p. 2. C. 2. n. 23.* & alij communitèr DD. ac meritò, nam reseruatio cum sit maximè odiosa, maximè etiam est restringenda, & consequentèr ad ea vota solùm extendenda, quæ in suo genere maximã dicunt perfectionem; sicuti cõmunitèr ea sola peccata censentur reseruata, quæ in suo genere summam dicunt imperfectionem, seu deformitatem. Iam votum (vt ipsum nomen sonat) est affectus, seu desiderium, atq; adeo quo maiori affectu, ac desiderio res aliqua Deo promittitur, eò perfectius erit votum: votum autem pœnale nõ emittitur nequè ex affectu, neq; ex desiderio rei promissæ, sed ex summa abominatione eiusdem rei vt fugiendæ, prout patet, atquè adeo longè deficit à perfectione in genere voti, & sic nequit esse reseruatum, & consequentèr poterit vi bullę commutari.

9 Ad rationem autèm in contrarium pro prima sententia Dico, quod licèt post pœnam incursam votum hoc pœnale euadat absolutum; attamen cũ transeat in absolutum cũ eadẽ imperfectione, quam habebat in statu conditionato, consequentèr talis imperfectio sufficienter eximet illud à reseruatione, vt dictum est.

10 Ad rationem verò pro secũda sententia Nego, ante incursionem pœnæ ad nihil tunc teneri vouentem: sicuti ipsius mihi centum promittat hinc ad annum daturus, vtiq; ex nunc statim incipit talis obligatio, esto pro nunc nõ teneatur dare centum, sed post annum: sic & obligatio voti pęnalis statim incipit post emissum ipsum votum; quamuis non statim pro tunc teneatur actu luere ipsam pœnam, sed post adimpletam conditionem, quà adimpletà cum transeat tale votum tunc in absolutum cum imperfectione supradicta, consequentèr nequit

nequit etiam tunc sub reseruatione contineri; ac proinde poterit vi bullæ commutari tàm ante, quàm post adimpletam conditionem.

11 Demùm ad Confirmationem nego paritatem, nam votũ absolutè emissum in pœnam commissi delicti, quamuis aliquando proponatur ipsi vouenti vt res ardua, ac difficilis, attamen cum etiam proponatur vt medium aptum ad compensãdam iniuriam Deo per delictum illatam, & ad obtinendam diuinam amicitiam, necessariò existimari, & optari debet à vouẽte, vt res cara, & amabilis; non sic autem votum conditionatè pęnale, de quo loquimur, quod absolutè proponitur vt quid odibile, ac omninò fugiẽdum, vt sic veluti frenatus, ampliùs in vitium non reincidat; ratione cuius detestationis cùm longè deficiat à perfectione voti, nequit consequentèr sub reseruatione contineri, vt dictum est.

DIFFICVLTAS III.

An tria Vota in bulla excepta possint vi eiusdem bullæ similitèr commutari, si fuerint purè Conditionalia?

12 VOtum in pęnam emissum (de quo suprà dictum est) quamuis sit conditionale, attamen ad distinctionem Voti purè conditionalis (de quo in presénti acturi sumus) dicitur absolutè Pęnale: Votum igitùr purè Conditionale dicitur illud, quod emittitur non sub ratione pęnæ, sed solùm sub conditione suspendente executionem ipsius Voti in recompensationem alicuius gratiæ, quam vouens directè, ac per se à Deo enixè expetit; vt si quis v.g. constitutus in aliquo vitæ periculo promittat Deo, se v.g. religionem ingressurum, si à tali periculo incolumis euadat, quod solet per particulam: Si explicari.

13 Aduertendum tamen est, dictam particulam: Si, aliquando idem significare, ac *Quando*, vt si quis v.g. verè exoptet religionem ingredi, verùm quia ad hoc exequẽdum impeditur vel à parentibus, vel à morbo, vel à seruitute, &c. sic voueat, si parentes obierint, vel à morbo, seu à captiuitate euasero, &c., promitto Deo religionem ingredi; in tali casu particula Si determinat tempus, quo erit votum exequendum, ac si diceretur: Promitto Deo religionem ingredi post mortem meorum parentum, seu recuperatâ valetudine, &c.; ac proinde tale Votum quamuis videatur conditionale, est tamen simplicitèr absolutum, & consequentèr absquè dubio Summi Pontifici reseruatum, & sic nequit vi bullæ commutari.

14 Loquendo igitùr de Votis verè, ac propriè conditionalibus, Conueniunt Primò DD. huiusmodi vota conditionalia esse irrita, ac nulla, quotiès sub conditione futura impossibili emittuntur, vt si quis dicat: Voueo religionem ingredi, si manu cęlum tetigero, & meritò, nam tunc vouens non intendit se obligare, nisi positâ tali conditione, quæ cùm nunquam

quam apponi possit; consequẽtèr nulla erit obligatio, ac proinde nullà indiget commutatione. Adde, tale votum esse illicitum, & frustatorium.

15 Conueniunt secundò DD. huiusmodi vota conditionalia, si emittantur sub conditione futurà necessarià, tunc æquiualere etiam absolutis. & meritò, nam cum talis conditio sit certò futura; consequentèr habetur pro adimpleta, ac proinde statim obligabit vouentem. quarè siquis dicat: Promitto Deo religionem ingredi, si cras sol orietur, vtiquè tale votum erit reseruatum, nequè poterit consequentèr vi bullæ commutari.

16 Similitèr quotiès conditio expresè apposita vel præsens, vel futura, vel etiam præterita est talis, vt etiamsi expresè nõ apponeretur, adhuc tamen sub intelligeretur; vt siquis dicat: Promitto Deo religionem ingredi hinc ad annum si vixero, vel si Deo placet, vel quid simile, toties talis cõditio se habet, ac si apposita non fuisset, & cõsequentèr tale Votum non erit conditionatum, sed simplicitèr absolutum, vt constat ex *l. conditiones extrinsecus, ff. de Condit. in c. significasti, de elect.* ratio autèm est, quià huiusmodi conditiones subintelligũtur in omni contractu etiam absoluto, ac proinde si expresè apponantur eo modo, quo subintelligũtur; vtiq; non mutant actum, & cõsequentèr nequè suspendunt illum.

17 Conueniunt Tertiò DD. vota emissa sub cõditione de preterito, vel de præsenti, si talis conditio non fuerit sicuti exprimitur esse irrita, ac nulla; vt de Votis sub conditione futurà impossibili emissis dictum est suprà n. 14. *Si verò* dicta cõditio se habet, sicuti exprimitur (etiamsi illius purificatio à vouente ignoretur) tunc vota esse valida, sed simplicitèr absoluta, eò quia iam inueniatur purificata conditio, & consequentèr erunt Pontifici reseruata, iuxtà dicta nu. 15. circa vota emissa sub conditione futurà necessarià; vt siquis dicat: Voueo religionem ingredi, si mea nauis portum intrauit, si de facto verè eius nauis tunc temporis portum intrauerit.

18 Controuertitur ergò solùm, An Votum purè, ac propriè conditionatum, quotiès scilicet conditio erit futura, contingens, ac licita, possit vi bullæ commutari, nõ obstante quòd sit circa materiam in eàdem bullà reseruatam.

19 *Suarez l.6. de vot. C 22. n. 11. Lessius l.2. de iust. C. 40. d. 3. n. 106. Filluc. tom. 2. tr. 26. n. 269. Lud. à Cruc. D. 1. C. 6. d. 9. nu. 16. Pontius l.8. de mat. C. 7. n. 7.* & alij docẽt, huiusmodi Votum post adimpletam conditionem non posse ampliùs vi bullæ commutari, posse tamèn antequam adimpleatur conditio. Putant enim Votum conditionatum post adimpletam conditionem habere rationem perfecti voti, secùs autèm ante adimpletam conditionem. *Suar. Lessius. Filluc. Lud. à Cr. Pontius.*

20 Negãt autèm absolutè *Sotus l.7. de iust. q.2. ar.1. Cordub. q. 152. sum. Nauarr. C. 12. man. nu. 43. Rodriq. §.9. n. 159. Valent. in 2. 2. S.T. D.6. q.6. p.7. Azor. tom. 1. lib. 11. C. 19. q. 13. Guttier. lib. 2. C. 22. nu. vlt. Acosta q. 73.* & alij. primò quia in his votis merè conditionalibus non inuenitur omnimoda illa imperfectio, quæ in votis *Sotus. Cordub. Nauar. Rodriq. Valent. Azor. Guttier. Acosta.*

votis pœnalibus inuenitur, vt suprà n. 8. admisimus. Secundò quia nihil obstat, quòd hęc vota sint volita in ordine ad aliquid aliud, vt ad euitandum mortis periculum, &c., nam etiam siquis voueret religionẽ ingredi v.g. non absolutè ex effectu in Deum, sed vt commodiùs v.g. viueret, vtriquè tale votum per omnes DD. esset reseruatum, & tamen religio in casu posito erit similitèr volita in ordine ad aliud, nẽpè ad fruendam religionis commoditatẽ; ergò idem dicẽdum erit de voto conditionato, de quo loquimur.

21 Affirmant tamẽ absolutè *Sanch. l. 8. de mat. D. 10. n. 13. Tolet. l. 4. C. 18. n. 11. Palaus to. 3. D. 2. p. 12. n. 15. Trullen. l. 1. §. 7. C. 3. d. 7. n. 9. Palat. in 4. D. 39. Victor. in 2. 2. q. 88. ar. 3. Perez. l. 8. ord. tit. 19. C. 37. Medin. 1. sum. C. 14. §. 6. Pet. Ledesm. p. 2. sum. tr. 10. C. 8. Herriq. l. 7. C. 30. Gomez. claus. 10. n. 99. Diana 1. p. tr. 11. res. 54. Bardi p. 2. tr. 7. C. 2. n. 36.* alijque, & ritò, nam quamuis votum cõditionale non contineat omnimodam illam imperfectionem, quam diximus includi in voto pœnali, attamen non includit omnem perfectionem in genere voti. probatur, nam quod est conditionatè volitum, vtiquè non est absolutè, ac immobilitèr volitum, sed solùm ex positione rei primò, & per se intentę, & ex purificatione cõditionis appositę, ergò deficit à perfectione voti, quod est velle aliquid immobilitèr, & absolutè, ac proinde non debet subiacere reseruationi vtpote odiosissimę, & sic poterit vi bullę commutari, & ab Episcopo etiam dispensari tùm ante, tùm post adimpletam conditionem. Ex quibus patet ad rationem in contrarium, tàm pro prima, quàm pro secunda opinionem allatam n. 19. & 20. initiò.

Sanch. Tolet. Palaus Trullen. Palat. Victor. Perez. Medin. Pet. Led. Herriq. Gomez. Diana. Bardi. Auctor.

22 Ad secundam autèm pro secunda opinione, Nego paritatem, nam quamuis in casu posito religio ordinetur ad commodiùs viuendum attamèn idem status religiosus tunc absolutè, & immobilitèr est volitus, & absquè vllo addito: è contrà verò votum conditionatum non solùm ordinatur, ad aliud, hoc est ad euitandum periculum vitę &c., sed nequè est absolutè, & immobilitèr volitum, sed cum addito, nempè in casu, quo ipse vouens obtineat, quod primò, & per se exoptat.

23 Tota igitùr voti perfectio, seu imperfectio desumenda est ab ipso actu, & consensu volũtatis volentis, seu vouentis, nõ autèm à motiuo; quarè illud dicitur votum perfectum, quod absolutè, & immobilitèr Deo promittitur, etiamsi ex aliquo motiuo minùs bono, seu indifferenti moneatur vouens ad promittẽdum: minùs verò perfectum votũ dicitur, quod non absolutè, nequè immobilitèr, sed ab euẽtu alicuius rei promittitur, cuiusmodi est omne votum conditionale iuxtà suprà dicta.

DIFFICVLTAS IV.

An tria Vota in Bulla excepta possint vi eiusdem Bullæ similitèr commutari, si ex leui metu emittantur?

24 CONueniunt DD. quodcũque Votum emissum ob grauem metum cadentem in constantem virum, siue iustè, siue iniustè ab extrinseco incussum ad extorquendum ipsummet votum, non esse absolutè reseruatum. Et meritò, nam cum probabilius sit huiusmodi votũ esse irritum, ac nullum, vtiquè reseruatio, vt maximè odiosa, ad sola vota certa extendi debet, non autèm ad huiusmodi vota incerta.

25 Dixi, *Ob metum incussum ad extorquendum ipsummet votum*, vt siquis incutiat timorem alteri directè, v.g. religionem ingrediatur: nam si ad aliũ finẽ metus siue leuis, siue grauis incutiatur, vt solet fur v.g. ad despoliandum peregrinum, iste verò ad effugiendas manus furis, emittat aliquod votum, tũc certum est, tale votum validũ esse. Deueniendo igitùr ad propositam Difficultatem.

Suarez. 26 Negat *Suar. l. 6. de Vot. C. 26. n. 4.* cuius ratio est, quia metus leuis solùm caussat inuoluntarium *Secundùm quid*, & sic votum absolutè, ac simplicitèr remanebit voluntarium, & consequentèr validum, & firmum, ac proinde non videtur à reseruatione eximẽdum, alitèr multò magis esset à reseruatione eximendum votum emissum ob periculum mortis, quod votum, aut plurimùm, est magis inuoluntarium *Secundùm quid*. Quod autèm talis metus directè tendat ad extorquendum ipsum votum, nihil refert in ordine ad reseruationem eiusdẽ voti, esto inferatur aliqua iniuria vouenti.

27 Affirmant tamen *Nauar. C. 12. sum. n. 59. Sanch. l. 1. sum. C. 10. n. 30. Angel. V. votum 4. n. 9. Herriq. l. 11. C. 15. Reginal. l. 18. n. 388. Less. l. 2. C. 40. d. 16. n. 127. Lud. à Cruc. D. 1. C. 6. d. 13. nu. 7. Trullen. l. 1. §. 7. C. 3. d. 15. Palaus. to. 3. tr. 15. d. 2. Bardi p. 2. tr. 7. C. 2. n. 115.* alijque communitèr DD. Et meritò, nam reseruatio cum sit maximè odiosa, maximè etiam est restringenda, ac proinde ad sola vota omnimodam perfectionem continentia extendi debet. iam huiusmodi votum, de quo agimus, cum non eliciatur omninò spontè à vouente, & ex intimo animi affectu, sed extorqueatur ab extrinseco impulsu, vtiq; non continet in se perfectionem requisitam ad reseruationem, & consequentèr poterit vi bullæ cõmutari. & ab Episcopo etiã dispensari. — *Nauar. Sanch. Angel. Herriq. Reginal. Less. Lud. à Cr. Trullen. Palaus. Bardi. Auctor.*

28 Ad rationem verò in contrarium Dico, nostram opinionem non fundari in ratione solius Inuoluntarij secundùm quid, & vt sic, sed in eo, quod tale inuoluntarium ab extrinseco extorqueatur per iniuriam ratione vis illatæ, ratione cuius illatæ, iniuriæ nequit votum emitti ex toto animi affectu, vt patet; & consequentèr deficit à perfectione requisita ad reseruationẽ, vndè apparet disparitas inter hoc votũ metu extrinseco extortũ; ac votũ metu mortis in morbo, seu naufragio emissũ;

nam hoc secundum ab ipso vouente eligitur tanquam mediũ ad fugiendam mortem, quod nequè per nos est reseruatũ, vt suprà n. 21. probauimus: primũ verò votum non à vouente spõtè eligitur, sed ab alio per vim directè extorqueatur.

DIFFICVLTAS V.

An Votum circa materiam reseruatam, si solùm obliget vt præsũptum, possit vi bullæ commutari?

29 VOtum dicitur obligare vt solùm præsumptum, quotiès aliquis est certus, se vouisse v.g. religionem ingredi, sed solùm rationabilitèr dubitat, an habuerit animum, se omninò obligandi, in quo casu cum possessio ex vna parte stet pro Voto, & non pro libertate, hinc conueniunt DD. tunc teneri vouentem ad huiusmodi votũ adimplendum. Ex altera verò parte ex *L. Labeo, Ver. Id iubeo, ff. de supell. leg.* præsumitur quòd id, quod ore promittitur, etiã corde promittatur; hinc tale votum dicitur obligare solùm præsumptiuè, siue vt præsumptũm, de quo quærimus hic, An possit vi bullæ cõmutari.

30 Negant *Sanch. l. 2. sum. C. 10. n. 74. Bonac. l. 2. decal. D. 4. q. 7. p. 5.* §. 4. nonnulliq; alij. quorum ratio est, quia posita stricta obligatione adimplendi tale votum (vt dictũ est) nõ est, quanam ratione possit illud à reseruatione eximi, & sic nõ poterit vi bullæ commutari; non enim est maior ratio, cur supradicta præsumptio Iuris sufficiat ad subijciendum vouẽtem obligationi, ac si nullum prorsus dubiũ extaret, non autèm pro reseruatione. *Sanchez. Bonacin.*

31 Affirmant tamen *Suar. l. 6. de Vot. C. 26. n. 6. Lugo D. 20. de pœn. se. 2. nu. 18. Merolla tom. 1. D. 3. C. 3. d. 2. n. 101. Bardi p. 2. tr. 7. C. 2. num. 121.* alijque, & meritò, nam reseruatio cum sit odiosa, vtiquè estringenda est, atquè adeo votum ex sola Iuris præsumptione obligãs, cum careat totali certitudine, vt patet, carebit etiam totali perfectione in voto requisitã, & consequẽtèr meritò à reseruatione eximendum putamus, vnde poterit vi bullæ commutari, & ab Episcopo etiam dispensari. *Suar. Lugo. Merolla. Bardi. Auctor.*

32 Ad rationem autèm AA. in contrarium Dico, plùs requiri ad reseruationẽ, quàm ad obligationem; quælibet enim certitudo facti siuè boni, siuè mali sufficit ad obligandum, non autèm ad reseruandum. & ratio vlterior est, quia tota obligatio sequitur ex ipsa natura facti, reseruatio verò accidit facto ab extrinseco magis, & minùs prout superiori placuerit, qui factum sibi reseruat: vnde si Pontifex supradicta tria vota sibi reseruaret, etiamsi dubia illa essent, vtiquè tunc etiam vt sic, & solùm vt præsumpta essent reseruata; at cum dicta tria Vota ex vna parte absolutè, ac simplicitèr reseruentur, ex altera verò parte reseruatio sit maximè odiosa, solùm extẽdi debet ad ea vota, quæ totam perfectionem in suo genere voti includunt, quæ ratio satis optima videtur ad eximẽdũ à reseruatione votum obligans solùm ex præsũtione iuris.

DIFFICVLTAS VI.

An si quis emittat Votum circà materiam reseruatam cum intentione se obligandi tantùm sub peccato veniali, possit tale votum vi bullæ commutari?

33 PRæsens Difficultas nõ habet locum inter illos DD. qui putant, implicare contradictionem emittere votum in materia graui, & vouentem nõ obligari etiam sub graui ad illud exequendum, quarè Difficultas hæc procedit solùm in sententià illorum, qui affirmãt (& quidem probabiliùs) posse aliquem emittere votum etiam circà materiam reseruatam, cũ intentione se obligandi tãtùm sub peccato veniali ad illud exequendum. Secundùm hanc igitùr opinionem quærimus hic, An si quis voueat v.g. religionem ingredi cum dicta intentione se obligandi solùm sub veniali, possit tale votũ vi bullæ commutari.

34 Et quidem ratio dubitandi pro parte negatiua est, quia tale votum ex vna parte iam est circa materiam reseruatam, & etiam est absolutum, vt supponitur: ex alterà verò parte Quantitas, seu qualitas obligationis siuè sub mortali, siuè sub veniali, est quid omninò extrinsecum, & veluti accidens respectù essentiæ voti, atquè adeò nequit veluti imperficere ipsam essentiam voti, ac proinde benè stabit sub reseruatione, & consequentèr non poterit vi bullæ commutari.

Sanch. 35 Affirmant tamen *Sanch. l. 4. sum. C. 40. nu. 47. Bonac. D. 4. decal. q. 2. p. 17. §. 4. nu. 20. Trullen. l. 1. §. 7. C. 3. d. 5. n. 14. Palaus to. 3. tr. 15. D. 2. p. 12. n. 2. Diana p. 1. tr. 11. res. 72. Bardi p. 2. tr. 7. C. 2. nu. 111.* & communitèr DD. & meritò, nam votum in materia graui ex se, & ex natura sua vim habet obligandi vouentem sub peccato graui, ergò dum dictũ votum emittitur cum intentione solùm obligandi sub peccato veniali (vt dictum est) vtiquè euidens signum est, satis infirmum, & imperfectum emissum fuisse, & consequentèr non aptum vt reseruetur, & sic poterit vi bullæ commutari, & ab Episcopo etiam dispensari. Bonacin. Trullen. Palaus. Diana. Bardi. Auctor.

36 Ad rationem autèm in contrarium concedo, quantitatem, seu qualitatem obligationis esse quid extrinsecum, ac cõsequẽs respectù essentiæ voti, atq; adeò intactam semper remanere essentiam voti in ratione essentię; negari tamen non potest voti efficaciam deprimi, & imperfici ratione supradictæ intẽtionis obligandi ad solum veniale, vt dictum est, & ideo iure eximi à reseruatione: sicuti leue peccatum (secundũ probabiliorem sententiam) nequit reseruari.



DIF.

DIFFICVLTAS VII.

An Votum circà materiam reſeruatam emiſſum ab eo, qui eſt ſub alterius poteſtate, poſſit vi bullæ commutari?

Guttier. 37 AFfirmant *Guttier. lib. 2. q. q. can. C. 22. nu. 49.* nonnulliq; alij. quorum ratio eſt, quia ſi pater poteſt irritare vota ſui filij impuberis: maritus ſimilitèr vota vxoris: & dominus vota ſerui, multò magis poterit Epiſcopus commutare eorũdem vota vt ipſorum pater ſpiritualis, vt ſponſus ſuæ Eccleſiæ, ac dominus gregis ſibi commiſſi, & conſequentèr poterunt etiam vi bullæ commutari.

Suarez. Sanch. Boſſius. Palaus. Malder. Diana. Bardi. Auctor. 38 Negant tamen *Suar. l. 6. de Vot. C. 26. n. 3. Sanch. l. 8. de matr. D. 9. n. 4. Boſſius de trip. Iub. ſe. 2. caſ. 15. num. 2. Palaus to. 3. tr. 15. D. 2. p. 12. n. 11. Malder. in 2. 2. tr. 10. C. 5. d. 10. Diana p. 1. tr. 11. reſ. 84. Bardi p. 2. tr. 7. C. 2. num.* 131. alijq; communitèr DD. & meritò, non enim valet argumentari à poteſtate Dominatiua, ad poteſtatem ſpiritualem; nam poteſtas Dominatiua fundatur in dominio, quod habet Dominus in proprios ſeruos, Maritus in vxorem, & Pater in filios impuberes: quod quidem dominium vel eſt ſuprà voluntatem vouentis, vel ſuprà ipſam rem voto promiſſam; poteſtas verò ſpiritualis fundatur in iuriſdictione, quam habent Prælati in proprios ſubditos.

39 Iam Sum. Pontifex dum ſibi vota reſeruat, non tollit poteſtatem Dominatiuam, benè tamen aufert iuriſdictionẽ quoad hoc à quocunque alio inferiori Prælato, ne audeat diſpẽſare, neq; cõmutare talia vota. hinc, quamuis pater poſſit pro ſuo libito irritare vota filiorum impuberum, & maritus aliqua vota vxoris, ac ſimilitèr Dominus aliqua ſeruorum vota, ea ſcilicèt, quæ ipſi viro, ſeu domino ſunt præiudicialia, ac contraria iuri, quod habent; non rectè tamen ex hoc inferri poteſt, poſſe etiam talia vota ab Epiſcopo diſpenſari, & conſequẽtèr nequè vi bullę poterunt cõmutari.

DIFFICVLTAS VIII.

An Votum Reſeruatum quotiès eſt ab Epiſcopo commutabile, totiès etiam poſſit vi bullæ commutari?

40 COnueniunt DD. poſſe Epiſcopum aliquando diſpenſare etiam in aliquo ex votis in bulla reſeruatis: vt ſiquis v. g. voueat religionem ingredi, deinde verò defloret aliquã, quam niſi ſtatim in vxorem ducat, immineat grauia ſcandala, rixæ, homicidia, & ſimilia. Similiter ſiquis voueat caſtitatem perpetuam, poſteà verò immineat vehemens incontinentiæ periculum, abſq; eo, quod pateat aditus recurrendi ad Sum. Pontificem; ſanè in his, & ſimilibus caſibus, ad euitãdum maius malum, poterit Epiſcopus diſpenſare ad huiuſmodi vota, & ad matrimonium contrahẽdum.

41 Quærimus ergò in præſenti, An ſimilitèr etiam poſſit vi bullæ commutari aliquod votum ex reſeruatis in ipſamet bulla, in dictis, aut ſimilibus caſibus, in

in quibus (vt dictum est) potest Episcopus dispensare.

Crouser. *Bossius.* *Pasqual.*

42 Affirmant *Crousers. C.7. in reg.S.Franc.lec.29.Bossius se. 2. de trip.Iub.cas.20.n. 25. & Pasqual. de Iub.q.306.* quorum ratio est, quia vi bullæ possunt commutari omnia vota, ad quę se extendit Episcopi potestas; cùm ergò Episcopus possit in huiusmodi supradictis casibus dispensare in votis etiam reseruatis, consequentèr poterunt vi bullæ similitèr commutari.

Suar. *Rodriq.* *Sanchez.* *Pontius.* *Galleg.* *Mendus.* *Bardi.* *Auctor.*

43 Negant tamen *Suarez l.6.de Vot.C.26.n.18.Rodriq.tom.1.qq. reg q.63.ar.6.Sanch.l.8.de matr. D.15.n.10.Pontius l.8.de mat.C. 10.nu.11.Galleg.C.9.p.3. §.1. d. 159.Mendus D.26.C.4.num. 59. Bardi p.2.tr.7.C.2.n.136.Diana p.11.tr.8.res.6.* alijq; communitèr DD. & meritò, nam potestas delegata, cuiusmodi est hæc, quæ vi bullæ conceditur, nequit egredi vltrà fines concessionis, etiamsi maxima occurrat necessitas, vt de se patet; quarè etiamsi circa vota reseruata occurrat summa necessitas, nequit tamèn Confessarius solius vi bullę electus illa commutare. è contrà verò potestas Ordinaria, cuiusmodi est Episcopalis, ex natura sua se extēdit ad omnia prorsus vota, & solùm ab extrinseco impeditur quoad aliqua, nempè à suprema Sum. Pontificis voluntate, ad maiorem quidem fidelium spiritualem profectum: hinc in casu, quo imminet eisdem fidelibus ex dicta reseruatione detrimentum spirituale, prudentèr existimandum est, dictam Ordinariam Episcoporū potestatem relinqui in suo robore, ac vi naturali.

44 Ad rationem autèm AA. in contrarium concedo, posse vi bullæ commutari omnia prorsus vota, ad quæ se extendit Episcopi potestas Ordinaria, seu de iure ordinario, & de facto Episcopis concessa, non autē extraordinaria potestas, qualis in supradictis casibus extraordinarijs per epicheiā, & ex sola præsumpta Sum.Pōtificis voluntate conceditur Episcopis, ne scilicèt fideles omni remedio destituantur. quod quidèm non est absolutè aliquid de nouo ipsis Episcopis concedere, sed solùm eosdem non impedire in eo, quod ex vi sui officij ipsis competit, vt ex dictis patet; esset autèm si hoc ipsum vi bullæ posset.

45 Petes hic, An si supradicta necessitas occurrat, absquè eo, quod neque ad Episcopum pateat aditus recurrendi, an in tali casu possit Parochus dispēsare in aliquo voto ex reseruatis, sicuti de Episcopo diximus.

46 Negant *Sanch.ci.D. 9. num. 27.& Bardi ci.num. 143.* ex eo, quia Parochus non habet ordinariam potestatem ad dispensandum in votis, cum non habeat iurisdictionem in foro externo. *Sanch.* *Bardi.*

47 Affirmant tamèn *Rodriq. ci. ar.9.Gabriel.in 4.D.78.q.1.ar. 5.* alijq; & meritò, nam omnis reseruatio est ad ædificationem, nō ad destructionem animarū; ac proindè in casu, quo talis reseruatio euidentèr redundat in detrimentum spirituale, impiū videtur relinquere fideles omni auxilio destitutos, præsertim si absq; ipsorum culpa hoc eueniat. quarè in casu posito, cùm neque ad Episcopum recurri possit, vtiq; recurrendum erit ad proprium Parochum, *Rodriq.* *Gabriel.* *Auctor.*

qui

qui etiam est Pater spiritualis Ordinarius suorum Parochianorum.

48 Ad rationem verò AA. in cōtrarium Dico, eam habere locum in casibus per se, non in casibus omninò per accidens, & ex præsumpta Sum. Pontificis voluntate, nequè ex hoc sequitur, saltem in hoc vltimo casu idem similitèr posse Confessarium vi bullæ electum, nam is est Pater spiritualis priuilegiati delegatus, & per accidens, Parochus verò ordinarius, & per se, vt dictum est.

DIFFICVLTAS IX.

An Votum Disiunctiuum constās ex vtraquè parte reseruat. possit vi bulla commutari?

49 POrest quis sic vouere: Voueo vel religionem ingredi, vel perpetuam castitatem, vel peregrinationem Hierosolymitanam; quærimus ergò hic, An tale Votum dū stat sub dicta disiunctione, possit vi bullæ commutari, & idem dicendū virtute Iubilei.

Pasqual. 50 Affirmat *Pasqual. in prax. de Iub. q.* 501. *nu.* 2. cuius ratio est, quia tale votum antequam fiat electio vnius partis, inquit, non est perfectum, & completum, quia nondum est de materia determinata, sed determinanda, vnde non est sufficiens, vt inferre possit executionem, ergò nōdum est votum complete emissum, sed est adhuc veluti in fieri, quia debet determinari ad vnam partem, vt possit executioni mandari, ac proindè non venit nomine voti strictè saltē accepti, cum actus imperfectus & adhuc in fieri, non meretur nomen actus. & ideo non continebitur sub reseruatione, quæ cum sit strictè accipienda, ad sola vota strictè accepta extendi debet.

51 Confirmat etiam, quia, ait, votum alternatiuum habet tacitám conditionem respectū vtriusque partis, si vouens illam eligat, & proinde ante electionem nequè ad vnam, nequè ad aliam partem obligat, sed solū de præsenti obligat ad eligendā vnam, vel alteram partem, ergò non est votū reseruatum, quia neq; est determinatè votū obligandi se mediante electione, aut ad religione, aut ad castitatem; reseruatio autèm cadit solùm supra vota, quæ sunt determinatè de religione, aut de castitate.

52 Negant tamèn *Suar. l. 6. de vot. C. 24. n. 2. Sanch. in decal. l. 4. C. 40. n. 44. Lessius l. 2. C. 40. d. 13. nu. 106. Lud. à Cruc. D. 1. C. 6. d. 15. n. 9. Bardi p. 2. tr. 7. C. 2. n. 66. Diana p. 11. tr. 7. res. 17.* & alij. ac meritò, nam ex vna parte materia huius voti tota est reseruata, vt patet: ex altera verò parte Vouens absolutè, plenàq; voluntate, ac determinatè se obligat ad talem materiam reseruatam genericè sumptam, ergò non est, vnde possit à reseruatione eximi tale votum. quòd autèm sic vouens non se obliget statim determinatè ad materiam reseruatam in specie, nihil refert dum semel habetur eius obligatio absolutè, & determinatè in radice, nempè in eadem materia reseruata in genere. duo enim requiruntur, ad hoc vt Votum sit reseruatum, primum est, vt materia talis voti sit reseruata: iam materiam dicti

Suarez. Sanch. Lessius. Lud. à cr. Bardi. Diana.

Auctor.

dicti voti esse reseruatam etiam in genere, negari non potest. secundum est, vt vouens absolutè, & determinatè ad talem materiam reseruatam se obliget; id etiam hic habemus, vt dictum est, ergò:

53 Ad rationem verò in cõtrarium dico, illam in æquiuoco valde laborare; dico ergò, quod si per imperfectionem intelligatur indeterminatio quoad talẽ materiam particularem in specie, esto tale votum dici possit imperfectum; at si per imperfectionem intelligatur indeterminatio quoad materiam reseruatam vt sic, & in genere, nego. votum enim istud quoad materiam reseruatam est omninò perfectum, & determinatum, cùm procedat à voluntate omninò determinata, nam voluntas nullam habet indifferentiam in ordine ad materiam reseruatã; esto sit indeterminata quoad electionem potiùs huius, quàm alterius partis materiæ reseruatæ, sed hæc indeterminatio nõ tollit à tali voto perfectionem in genere voti reseruati; alitèr nequè esset reseruatum hoc aliud votum, nempè siquis diceret: Voueo religionem ingredi vel D. Dominici, vel D. Francisci; quod non est dicendum.

54 Ad Confirmationem, concedo in voto alternatiuo implicitè contineri conditionem respectù vtriusq; partis, eò quia vouens manet in sua libertate ad eligendam quam voluerit partem; sed hoc non tollit à voto reseruationem, cùm vouens eligendo necessitetur materiam reseruatam eligere; neq; ex tali libertate vouentis dici potest imperfectum votum, seu indeterminatum, vt patet ex dictis; sicuti etiam neq; potest dici imperfecta obligatio ad centũ, siquis promittat dare centum vel ex moneta aurea, vel argentea, &c.

DIFFICVLTAS X.

An Votum Disiunctiuum constãs ex vna parte reseruatà, aliâ verò non reseruatà, possit vi bullæ commutari?

55 Diximus votum Disiũctiuum constans ex vtraq; parte reseruatà esse absolutè reseruatum, & consequentèr neq; posse vi bullæ commutari, neq; ab Episcopis per se loquendo dispensari. videndùm igitùr nunc erit, An idem dicendum sit de voto disiunctiuo cõstante tamen ex vna parte reseruatà, alterà verò non reseruatà, vt siquis dicat: Voueo vel religionem ingredi v.g. vel bis in hebdomada ieiunare.

56 Affirmant tamen *Suar.l.6. de Vot.C.24.n.1. Sanch.to.3. de mat. l.8.D.15.n.4. Trullen.l.1.§.7.C.3 d.14. Lessius l.2 C.40.d.13.n.106.* & communitèr DD. & meritò, nã qui disiunctiuè aliquid promittit, æquè benè poterit tradere, quod sibi magis placuerit, ac proinde sic vouens poterit absolutè eligere partem non reseruatam, & consequentèr tale votum non erit reseruatum, & sic poterit vi bullæ commutari. An verò idem dicendum sit, si sic vouens semel eligat adimplere partem reseruatam, dicemus Diff. sequenti. *Suar. Sanchez. Trullen. Lessius. Auctor.*

DIF.

DIFFICVLTAS XI.

An Votum Disiunctiuum constās ex vna parte reseruata, alia verò nō reseruata, possit vi Bullæ commutari, si vouēs eligat partem reseruatam?

57 Conueniunt DD. quod si quis postquam emisit votum Disiunctiuum, modo dicto, ita eligat partem reseruatam, vt per nouam, & absolutam voluntatē se deindè obliget ad eam partem reseruatam, vtiquè in tali casu esse tale votum reseruatum, & consequētèr non posse vi bullæ commutari. Et meritò, nam per illam nouam voluntatem, qua vouēs se obligat ad partem reseruatam, ita ad illam se obligat, ac si antea nunquam indeterminatè ad eandem se obligasset, vnde verè quoad determinationem nouum votum emittit, ac proinde nequit ampliùs redire ad alteram partem non reseruatā, & consequentèr tale votū erit reseruatum, & vi bullæ non poterit commutari.

58 Difficultas ergò est, An si quis postquam disiunctiuè vouit, (modo dicto) eligat, hoc est simplicitèr proponat exequi votum quoad partem reseruatam, An in tali casu, stante tali electione partis reseruatæ, possit vi bullæ commutari.

59 Negant *Azor. to. 1. l. 11. C. 20. q. 10. Sanch. l. 8. de mat. D. 9. n. 14. Bonac. D. 14. in dec. q. 2. p. 7. §. 4. Fagund. ibi. l. 2. C. 43. n. 8. Trull. ibi. l. 2. C. 2. d. 39. n. 14.* primò quia in Disiunctiuis quamuis possit debito alterutram partē eligere, prout ipsi placuerit, attamen si semel eligat vnā partem determinatam, eamq; electionem manifestet creditori, nequit ampliùs alteram partem eligere, eò quia creditor statim acquirit ius in partem electam & determinatam. Secūdò quia ex reg. Iuris: *Quod semel placuit ampliùs displicere non potuit*; quarè vouens dum eligit exequi partem reseruatā voti, iam hæc electio innotescit Deo vt creditori, & consequentèr nequit ampliùs resilire, ac proinde cum materia sit reseruata, non poterit tale votum vi bullæ commutari.

Azor. Sanchez. Bonacini Fagund. Trullen.

60 Affirmant tamen *Suar. l. 6. de Vot. C. 24. n. 3. Malder. in 2. 2. tr. 10. C. 15. d. 10. n. 4. Filluc. to. 1. tr. 26. C. 10. n. 272. Palaus to. 3. D. 2. p. 11. n. 6. Layman. l. 4. tr. 4. C. 8. n. 12. Bardi p. 2. tr. 7. C. 2. n. 70.* aliiq; DD. & meritò, nam simplicitèr proponere præstare aliquid pro alio, etiam id sciente, absolutè nullam importat obligationem, ergò dum vouens simplicitèr proponit exequi in Dei honorem partem reseruatam sui voti, vtiquè non inducit sibi nouam obligationem ab illa, quā antea habebat, neq; Deus consequentèr acquirit nouum ius in vouentem, atq; adeo cū tale votum ante electionem nō fuerit reseruatum (vt supra dictum est n. 56.) neque erit reseruatum post factam electionem.

Sanch. Malder. Filluc. Palaus. Layman. Bardi. Auctor.

61 Ad primam autèm rationem AA. in cōtrariū similitèr Dico, debitorem ex eo præcisè, quod in Disiunctiuis manifestet creditori suū simplex, ac nudū propositū exequendi vnā partem determinatā, nō imponere sibi no-

nouam obligationem; neque creditorem ex hoc acquirere nouum ius in debitorem, nisi absolutè de nouo ipse debitor promittet creditori exequi vnā determinatam partem, quod non est contra nos, vt patet ex supradictis n. 57.

62 Ad secundam verò rationem Dico, illam regulam Iuris in multis casibus deficere, & præsertim in illis, in quibus ab eodem Iure permittitur pœnitere, seu variare, vt ibidem notat Glossa; in Iure autèm iam permittur recedere à puro, & simplici proposito, cum multa superuenire possint, ob quæ sapientis erit mutare cōsilium.

DIFFICVLTAS XII.

An si pars non reseruata Voti Disiunctiui euadat impossibilis, possit adhuc vi Bullæ commutari pars reseruata.

63 Emisit quis Votum Disiunctiuum, v. g. vel seruādi perpetuam castitatem, vel erogādi pauperibus centum aureos; at tali voto emisso, vouens redigatur in egestatem, & consequentèr impotens iam effectus est ad dandam dictam eleemosynam. Et quidem in tali casu conueniunt DD. teneri vouentem ad alteram partē Voti, nempè ad seruandam perpetuam castitatem, nam votum semper obligat, vt adimpleatur eo modo quo potest, cum ergò vna illius pars effecta sit impossibilis, necessariò adimpleri debet in altera parte. Solùm igitùr Difficultas est; An tunc tale votum possit vi bullę cōmutari, nō obstante quod sit circa materiā reseruatam.

64 Negat *Bonac. D. 4. dec. q. 2. p. 7. §. 4. n. 18.* primò quia materia, circa quam versatur dictū votum, verè est reseruata, ergò & ipsum votum erit reseruatum, & sic non poterit vi bullæ commutari. Secundò quia votum cōditionale circa materiam reseruatam, eo ipso quod adimpletur conditio, euadit reseruatum, ergò à pari, eò ipso quod altera pars voti disiunctiui effecta est impossibilis statim tale votum euadit absolutum, quod cum sit circa materiam reseruatam, erit etiam reseruatum. *Bonacin.*

65 Affirmant tamen *Suar. l. 6. de voti. C. 24. n. 4. Sanch. l. 4. sum. C. 40. n. 44. Palaus to. 3. D. 2. p. 11. n. 6. Lud. à Cruc. D. 7. C. 6. d. 15. n. 6. Trullen. l. 1. §. 7. C. 3. d. 14. n. 6. Diana res. 74. Bardi p. 2. tr. 7. C. 2. n. 73.* alijq; communitèr DD. & meritò, nam tale votum nūquam ratione sui obligauit vouentem ad partem reseruatam, cùm nunquam vouens se obligauerit determinatè ad eā partem reseruatam, ac proindè neque postquàm pars non reseruata effecta est impossibilis obligabit ad partem reseruatam, nisi merè per accidens, ex defectu alterius partis superuenientis, non autèm ex natura ipsius voti secundùm se spectati. *Suar. Sanch. Palaus Lud. à cr. Trullen. Diana. Bardi. Auctor.*

66 Ad primam autèm rationem in contrarium Dico, eam materiā in tali casu esse reseruatā solū materialiter, nō formaliter ad hoc. n. vt votum sit reseruatum, nō sufficit, vt sit circa materiā reseruatā, sed etiā requiritur, vt vouens se ad illā obliget

get absolutè, ac determinatè, vt patet ex dictis de Voto pœnali Diff. 2 de Voto cōditionali Diff. 3. de Voto per vim, & metum emisso Diff. 4. & similibus; hoc secundum autèm non habetur in præsenti voto, ergò &c.

67 Ad secundam verò Nego votum conditionale etiam circa materiam reseruatam esse reseruatum, nequè post adimpletam conditionem, prout supra dictū est n. 21. Sed adhuc hoc dato, nego paritatem, nam votum cōditionale primò, & per se emissum est circa materiam reseruatam, votum autèm hoc disiunctiuum ex natura sua non est primò, & per se circa materiam reseruatam, vt patet.

DIFFICVLTAS XIII.

An vi Bulla possit commutari id, in quod Sum. Pontifex commutauit Votum reseruatum?

68 QVidam e.g. emisit votum Sum. Pontifici reseruatum v.g. perpetuam castitatem absolutam, & absq; vlla conditione; quod quidem votum postea Sum. Pontifex ex plena sua potestate commutauit v.g. in annuale ieiunium. quærimus in præsenti, An hoc annuale ieiunium possit iterum vi bullæ in aliquid aliud commutari.

69 Negant nonnulli Canonistæ apud *Sanch. l. 8. de mat. D. 6.* quibus adhærere videtur *Azor. to. 1. l. 11. C. 18.* primò quia ex *L. 1. §. Hæc actio, ff. Si is, qui testam.* & ex *L. vnica, C. de rei vxor. §. fue- Carolus Latius in Bull. Cruc.* *rat*, & ex *c. Ecclesia 1. vt lite pendente*, colligitur, subrogatum sortiri naturam illius, cuius loco substituitur: cum igitur dictum ieiunium subrogetur loco perpetuæ castitatis iam reseruatæ, consequentèr & ipsum ieiunium eadem reseruatione affici, necesse est. Secundò quia inferior nequit commutare pœnam à superiore impositam, ergò à pari, nequè id in quod Sum. Pōtifex commutauit votum, poterit commutari ab inferiori.

Azor.

70 Affirmant tamen *Suar. l. 6. de Vot. C. 20. Lessius l. 2. C. 40. d. 13. Trullen. d. 14. n. 7. Lud. à Cruc. D. 1. C. 6. d. 12. Sancius in sel. D. 14. Bardi p. 2. tr. 7. C. 2. Sanch. ci.* & cōmunitèr reliqui DD. & meritò, nā per commutationē obligatio, quæ iam erat circa materiam reseruatam, translata fuit in aliam materiam non reseruatam, vt patet, ac proinde supradictum Ieiunium, loco Castitatis subrogatum, poterit vi bullæ commutari.

Suar. Lessius. Trullen. Lud. à cr. Sancius. Bardi. Sanchez. Auctor.

71 Ad primam autèm rationem AA. in contrarium Dico, subrogatum sortiri naturam illius, cuius loco substituitur, quoad essentialia, & intrinseca, hoc est, vt res subrogata quoad fieri potest, sit proportionata cum re, cuius loco substituitur, cedatq; similitèr in bonum illius, ad quem pertinebat res, pro qua substituitur subrogatum; non autèm necessè est, vt proportionentur etiam quoad accidētalia, & omninò extrinseca, cuiusmodi est reseruatio, nam sic non esset cōmutatio, sed potiùs idem in idē transmutatio. in nostro igitur casu sufficit vt subrogatum, nempè annuale ieiuniū cedat in Diuinum cultū, in

in quem finem fuerat emissum votum perpetuæ Castitatis.

72 Ad secundam verò rationem Nego, non posse inferiorem, commutare pœnam impositam à Superiore, ex licentia eiusdem Superioris, vt patet. iam dum dicimus, posse Confessarium vi bullæ commutare materiam, in quam Sum. Pontifex cōmutauit Votum reseruatum, vtiquè asserimus hoc fieri posse ex speciali licentia ab eodem Pontifice per eandem bullam concessa eidem Confessario, quatenùs in eadem bulla solùm reseruentur illa tria supradicta vota Religionis, Castitatis, & Vltramarinum. Ceterùm, An hoc etiam fieri possit absquè bulla, non est huius loci, sed pertinet ad materiam de Voto.

73 Obitèr tamen dico, materiam, in quam Sum. Pontifex commutat aliquod votum ex reseruatis, sequi naturam (irregularitèr loquēdo) aliorum votorum nō reseruatorum. nequè obstat, quod pœna à Superiore imposita non possit commutari ab inferiore; disparitas enim est, quia commutatio voti tota fit in gratiam vouentis, & sic largè sumenda, non sic autèm impositio pœnæ, vt patet. Adde, plures DD. non improbabilitèr cōcedere, posse aliquando etiam ab inferiori relaxari, seu cōmutari pęna imposita à Superiore.



DIFFICVLTAS XIV.

An reuiuiscat Votum reseruatum, si eius commutatio à Vouente negligatur?

74 Affirmant *Sotus l. 7. de iust. q. 2. ar. 2. Rodriq. in add. ad §. 9. n. 118. Vega to 2. sum. C. 129. cas. 19. Arago. 2. 2. q. 88. ar. 3. Corrad. 1. p. q. 285.* & alij, quorum ratio est, quia votū p cōmutationē nō remittitur totalitèr, & absolutè, sed solùm sub conditione adimplendæ rei subrogatæ; vndè si semel Vouens negligat (saltem culpabilitèr) adimplere commutationem, vtiquè tenetur exequi prius votū. Hinc dicti DD. docent, quod siquis voueat ingredi religionē, & de facto illam ingrediatur, si tamen sua culpa expellatur, nec correptus admittatur, tenebitur tunc aliam ingredi religionem. *Sotus. Rodriq. Vega. Aragon. Corral.*

75 Negant tamen *Graff. 1. p. dec. l. 2. C. 30. n. 3. Suar. to. 2. de rel. l. 6. C. 20. Sanch. l. 8. de mat. D. 9. n. 11. Azor. to. 1. l. 11. C. 19. q. 10. Fagūd. l. 2. in dec. C. 43. n. 20. Lessius l. 2. de iust. C. 40. D. 11. n. 97. Sayrus l. 6. claus. C. 12. n. 24. Viuald. p. 2. cand. C. 14. n. 27. Trullen. l. 1. §. 7. C. 3. d. 14. n. 9.* alijque, & meritò, nam commutatio voti, dum absolutè fit (prout fieri solet) priorem obligationem absolutè extinguit, quamuis in aliam materiam transferat; quarè si vouens rem subrogatam omittat, etiam culpabilitèr, licèt peccet contra talem materiam subrogatam, non tamen peccabit cōtra priorem materiam voti. Hinc si cōmutetur votum castitatis v. g. in ieiunium, si vouens negligat, *Graff. Suarez. Sanchez. Azor. Fagund. Lessius. Sayrus. Viuald. Trullen. Auctor.*

DIF- &

& omittat ieiunium, si interim fornicetur, quamuis peccet cótra temperantiam, non tamen etiam sacrilegè peccabit contra votum.

76 Quod autèm AA, asserunt, votum commutari conditionatè, vtiquè absquè vllo fundamēto asserunt. Similitèr falsum etiā est, quod è religione eiectus, adhuc sua culpa, teneatur ingredi aliam religionem, ad hoc vt omninò adimpleat votum religionis olim à se emissum.

77 Ceterùm conueniunt DD. quod si vouens verè interius nō acceptauerit commutationem sui voti, sed solùm exteriùs finxerit illam acceptasse, tunc non extingui, nec verè commutari pristinum votum, & per consequens adhuc obligabitur ad illud vouens quousquè verè velit acceptare commutationem. Si verò acceptauerit commutationem, sed nō intendit illam exequi, tunc valebit commutatio, & sic poterit vel commutationē exequi, vel ipsum pristinum votum.

DIFFICVLTAS XV.

An aliquod Votum ex Reseruatis possit vi Bullæ commutari in rem euidenter meliorem?

78 Certū est per omnes, vnū votum etiam reseruatū esse præstantius alio voto similitèr reseruato, sicuti vnum opus bonum est alio præstantius: sic votū professionis religiosæ existimatur præstantius aliorum votorum: votum Castitatis nobilius voto cuiuslibet peregrinationis, & sic de reliquis. ex hoc tamen non negatur, dari posse aliquod bonum opus præstantius aliquo voto etiam reseruato. his positis,

79 Quærimus in præsenti, An saltem vi bullæ possit votum aliquod ex tribus reseruatis commutari in aliud præstantius votum etiam reseruatum, vel in aliud opus, quod pensatis omnibus existimatur fore Deo gratius.

80 Affirmāt *Caiet. in sum V. vot. C. vlt. Valent. 2. 2. D. 6. q. 6. p. 7. Sayrus l. 6. Claus. C. 18. n. 14. Aragon. 2. 2. quæst. 88. ar. 12. d. 1.* nonnullique alij. quorum ratio est, quia de facto per votum solemne, quo quis constituitur formaliter religiosus, seu quo emittitur solemnis professio religiosa, vtiquè omnia reliqua vota præcedentia, etiam reseruata (generaliter loquendo) extinguntur, vt constat ex *C. Scripturæ de Voto*, & omnes concedunt; & hoc non ex speciali aliqua dispensatione, ergò ex sola præstantia, & nobilitate ipsius voti religiosæ professionis; ac proinde non est, cur similiter votum Vltramarinum non possit commutari in votum perpetuæ Castitatis, vel etiā in aliquid aliud quòd absolutè præstantius, & consequentèr Deo gratius euidenter existimatur. *Caietan. Valent. Sayrus. Aragon.*

81 Negant tamē *Sotus l 7. de iust. q. 4. ar. 3. Suar. l. 6. de vot. C. 21. n. 17. Azor. to. 1. l. 11. C. 18. q. 4. Tabien. q. 9. de dispen. n. 11. Lud. à Cr. D. 1. C. 8. d. 2. n. 21. Bardi p. 2. tr. 7. C. 2. n. 104.* alijque communiter DD. & meritò, nam quamuis ex natura rei, & simplicitèr loquēdo, hoc est præscindendo à reseruatione, possit quodlibet votum absolutè commutari in aliud opus etiam æquè præstantius (vt dictum est Q. 1. n 12.) attamen *Sotus. Suar. Azor. Tabien. Lud à cr. Bardi. Auctor.*

men dum Sum.Pontifex sibi reseruat dicta vota, vtiquè sic intendit auferre à quolibet alio hoc tale iudicium, An scilicèt expediat, necne aliquando cōmutare dicta vota reseruata:aliter Sum.Pontifex nihil prorsus ageret, dum sibi vota reseruat.

82 Quod autèm de facto per votum solemne constitutiuum religionis extinguātur omnia alia vota etiam reseruata,absquè alia speciali Sum. Pontificis facultate, nihil contra nos, cum hoc oriatur ex speciali dispositione Iuris in dicto *c.scriptura.*ex quo patet ad rationem AA. in contrarium.

DIFFICVLTAS XVI.

An Votum nunquam petendi commutationem, seu dispensationem in voto etiam reseruato,possit vi Bullæ commutari?

83 AN tale votum sit validū, necne, hinc inde DD. Media autèm via,prout spectat ad rem nostram, hic incendendum puto, videlicèt ex diuersis circumstantijs,ac sine posse esse huiusmodi votum aliquādo validum, aliquando verò inualidum,nam petere dispensationē, aut commutationem voti absq; vlla caussa, malum est; occurrēte verò iusta caussa non erit malum, licèt aliquando poterit esse minus bonum, aliquando verò maius bonum, & interdum necessarium; atquè adeo poterit tale votum obligare, & consequentèr non abs re quærimus hic, An huiusmodi Votum possit vi bullæ commutari.

84 Affirmant *Rodriq.§.9. n. 112. Sanch.to.1.sum.l.4.*C. 54. *nu.* 32. *Azor.to.1.l.*11.C. 19. *q.* 15.*Reginal.to.2.l.18.*C.22.*n.* 333. *Lud. à Cruc.D.1.*C.6.*d.13.n.3. Villalob. to.1.sum.tr.27.clau.9.§. 3. n. 35. Acosta q.73.* alijq; communitèr DD.& meritò, primò quia votū hoc nullibi reseruatur, ergò nō solùm vi bullæ commutari poterit, sed etiam independenter ab ipsa bulla. Probatur secundò à priori, nam reseruatio consistit in ablatione, seu non concessione iurisdictionis;subditus autèm quantumcumquè nitatur, nequit priuare superiorem suà auctoritate, & iurisdictione, alitèr posset facere suum votum etiam indispensabile per Papam. Confirmatur etiam à pari, nam nemo potest facere suum peccatum reseruatum,ergò nequè suum votum.

Rodriq. Sanch. Azor. Reginal. Lud.à cr. Villalob. Acosta. Auctor.

DIFFICVLTAS XVII.

An votum vouendi aliquod votū ex Reseruatis in Bulla, possit vi eiusdem Bullæ commutari?

85 AFfirmant *Suar.tom.2.de rel.l.6.*C.21.*nu.7.Sanch. to.1.sum.l.4.*C.40. *n.* 70. *Molses. tom.*1 *sum.tr.11.*C. 15. *nu.* 148. & communitèr DD. ac meritò, nam promittere aliquid facere, absolutè non est facere, quod promittitur, atq; adeo promittere,seu velle vouere Castitatē, seu Religionem, aut Peregrinationem, absolutè non est vouere Castitatem, neq; Religionē, nequè Peregrinationem, & cōsequentèr poterit tale votum vi bullæ commutari, & ab Episcopo etiam dispensari.

Suarez. Sanchez. Molses. Auctor.

86 Hinc si quis voueat, se velle vouere Castitatem,si antequam verè, ac de facto voueat Castitatem,

tem, fornicetur, vtiquè non peccabit sacrilegè contra votum, sed tantùm contra temperantiam, nisi alia circumstantia admisceatur.

DIFFICVLTAS XVIII.

An Iuramentum de materia reseruata, sit etiam reseruatum?

87 NEgant *Nauar l. 2. cons. 3. Tabien. q. 20. sum. nu. 21. Pet. Ledes. p. 2. sum. tract. 11. C. 4.* nonnullique alij; quorum ratio est, quia ex vna parte reseruatio est maximè odiosa: ex altera verò parte nullum Iuramentum in Iure inuenitur Pontifici reseruatum; & sic malè reseruatio voti extenditur etiã ad Iuramentum. quarè per ipsos DD. siquis etiam absolutè iuraret Peregrinationem Hierosolymitanam, aut perpetuam Castitatem, seu Religionis ingressum, posset tale iuramentum vi bullæ commutari. Dixi *etiam absolutè iuraret*, nam de Iuramento sub cõditione facto, eadem est ratio ac de Voto conditionato, quod posse vi bullæ absolutè commutari, suprà diximus n. 21.

88 Affirmant tamen *Caiet. 2. 2. q. 89. ar. 9. Valent. to. 3. D. 6. q. 7. Azor. to. 1. l. 11. C. 10. q. 3. Pontius l. 8. de mat. C. 11. Fagund. l. 2. dec. C. 42. nu. 4. Aragon. q. 88. ar. 12. Trullen. l. 1. S. 7. C. 3. d. 5.* alijq; communiter DD. & meritò, nã iuramentum Promissoriũ (de quo procedit Difficultas) essẽtialitèr est promissio de re aliqua cum attestatione Diuinæ auctoritatis, ac testimonij Dei in confirmationem rei, quam quis iurat, vt scilicèt iurans sic protestetur, se non solùm externè solis verbis, sed etiam internè, ac toto cordis affectu promittere, quod verbis promittit: siue vt sic magis intensè, maioriq; affectu videatur promittere, quod promittit (vt definitione iuramenti constat;) cum igitur Votum nihil aliud sit, nisi promissio facta Deo de meliori bono, consequentèr in iuramẽto, quo quis iurat, se seruatũ v. g. perpetuã castitatẽ, essẽtialitèr includitur ipsum votũ, atq; adeo Votum, ac iuramentum promissorium Deo factum, se habent tanquam inclusum, & includẽs, & consequentèr si inclusum, nempè Votum solitariè sumptum erit reseruatum; multò magis erit reseruatum iuramẽtum, quod includit ipsummet votum.

Caiet. Valent. Azor. Pontius. Fagund. Aragon. Trullen. Auctor.

89 Ad rationem verò AA. in contrarium, vltrò do reseruationem voti esse odiosam; non inde tamèn sequitur, non esse illam extendendam ad omne id, cui proprijssimè conuenit ratio, & essentia Voti; prout vidimus conuenire Iuramẽto, quo absolutè promittitur Deo aliquid ex materijs reseruatis.

90 Quòd autèm in Iure non inueniatur reseruatum Iuramentum, nihil refert, nam nos non dicimus esse reseruatum Iuramentum, vt Iuramentum, sed tunc solùm quando habet, ac continet rationem voti. Quarè quæ hactenùs dicta sunt, & in sequentibus dicentur de Voto, similitèr etiam huiusmodi Iuramento applicanda sunt; atquè adeo siquis absolutè iuraret Peregrinationem Hierosolymitanam, vel perpetuam Castitatem, vel Religionis ingressum, vtiquè non posset tale Iuramen-

ramentum vi bullæ commutari, secùs autèm si fuerit Conditionale, vel pœnale, vel ex metu emissum, &c. eo prorsus modo, ac de eisdem Votis Reseruatis supra diximus, & infra etiam dicemus.

Sanch.

91 Notandum tamèn est cum *Sanch. l. 8. de mat. D. 13. n. 4.* quod Iuramentum aliquando videtur promissorium Deo, sed reuera tale non est: vt siquis grauitèr excandescens erga Parentes, illis iuret e.g. se ad Sacrum Sepulcrum profecturum, vel Religionem ingressum, vtiquè is potest solùm hoc asserere Parentibus, à quibus vt firmiùs credatur, & sic fortassis maiorem illis timorem incutiat, addit & iuramentum, sed reuera contingere potest, vt nullam is intentionem habeat neq; peregrinandi, nequè *religionis*; atq; adeo cum omnis obligatio nō excedat limites intētionis obligantis, certum est in tali casu, istum non teneri ad illam peregrinationem, &c. (esto sit reus sacrilegij) & multò minus erit tale iuramentum reseruatum, & sic poterit vi bullæ commutari.

92 Sed adhuc dato, quod is verè habeat propositū eundi Hierosolymam, vel ingrediēdi religionem, &c. cum toto tamen hoc poterit tale Iuramentum dirigere ad solos parentes, vt ij sic firmiùs credant, filium verè esse in tali proposito peregrinandi &c., ceterùm iurans potest nullam habere intentionem se pro illo tunc obligandi Deo per tale iuramentum, & consequentèr nequè tale iuramentum erit reseruatum; propositum enim se in futurū obligandi non est vera, & actualis obligatio: esto is teneatur sub graui, virtute talis iuramenti, non mutare illud propositum. Verùm hæc speculatiuè dicta sint, nam practicè (saltem vt plurimùm) non videntur ita, atquè adeo prudentis Confessarij consilio omninò discutiēda relinquimus.

DIFFICVLTAS XIX.

An Votum, seu Iuramentum circa materiam reseruatam emissum in fauorem tertiæ personæ, possit vi bullæ commutari?

93 PRomittat Caio Titius se v.g. Religionē ingressurū, suamq; hanc promissionem cōfirmet Voto, seu Iuramento: quærimus in præsenti, An tale Votum, seu Iuramentum possit vi bullæ commutari. Et quidē conueniunt DD. huiusmodi Iuramentum, seu votum non esse reseruatum, si dicta promissio principaliter fiat in vtilitatem ipsius promissarij, quatenùs is per talem ingressum succedit v.g. in aliquam hæreditatem, ac proinde eo ipso quod ipse promissarius remittit dictam promissionem, statim absq; alia relaxatione cessabit & iuramētum, seu votum, & meritò, nam tunc iuramentum est accessorium promissioni, qua cessante, cessabit ac corruet & ipsum iuramentum, seu votum ex C. *Accessorium de reg. Iur. in 6.* & ex *L. Cum principalis ff. eod. tit.*

94 Quod si promissarius nolit remittere promissionem, sed ex parte ipsius est turpitudo ad recipiendam rem promissam, &

& contra iurantem est iniuria, tunc habebit locũ dispensatio, facienda tñ à Prælato ecclesiastico, nõ autẽ vi bullæ, nã bullę priuilegium extenditur solũ ad commutanda vota, seu iuramenta, & non dispensanda: vt supra dictum est, Q. 1. n. 103.

95 Dubitatur ergò solùm, An tale Iuramentum, seu Votum possit per Episcopum, seu per bullam commutari in casu, quo dicta promissio fiat principaliter in honorem Dei, quamuis res promissa redundet in vtilitatem promissarij. & quidem ratio dubitandi oritur ex eo, quia tale votum, seu iuramentum est circa materiam Sum. Pontifici reseruatam.

96 Affirmat probabiliter *Bardi p. 2. tr. 7. C. 2. n. 125.* & meritò, nam quamuis tale Iuramentũ, seu votum fuerit emissum principaliter in honorem Dei, attamen Deus recipit illud in ordine ad vtilitatem, & commodum alteriùs nempè promissarij, ac proinde dum hic cedit iuri suo, seu nullum commodum sperat sibi obuenturum de ingressu promittentis in religionem, tunc etiam Deus cõdonat sibi debitum ortum ex tali iuramento, seu voto. & idẽ dicendum si iuramentum, seu votum fuerit emissum in honorem principaliter alicuius Sãcti, vel circa alias materias adhuc reseruatas. Nota hic, aliquos DD. velle (nec improbabiliter) huiusmodi votum, seu iuramentum cessare absq; alia dispensatione, seu commutatione, dum tertia persona cedit iuri suo. *Bardi. Auctor.*

97 Ex dictis patet ad illam difficultatem, An votum, seu iuramentum factum in fauorẽ tertiæ personæ, aut alicuius loci pij, possit vi bullæ commutari absq; cõsensu partis; ad vberiorem tamen doctrinam sit.

DIFFICVLTAS XX.

An Votum, seu Iuramentum factũ in fauorem tertiæ personæ, aut alicuius loci pij, possit vi bullæ cõmutari absq; vllo consensu partis?

98 VOuit quis e. g. seu iurauit dare Titio pauperi certam eleemosynã; quæritur, An tale votum seu iuramentũ possit vi bullæ commutari absquè vllo consensu Titij. & quidem si Titius promissarius acceptauerit dictam promissionem, nolitque illam remittere, neq; cedere iuri suo, tunc in tali casu conueniunt DD. non posse tale votum, seu iuramẽtũ neq; vi bullæ cõmutari, neq; à Prę latis dispensari. & meritò, nam positâ acceptatione transit in contractum, & acquiritur illi tertio Ius, quod ipso inuito nequit remitti; nisi intercesserit iniuria, vel in pœnam iustam, vel bonũ commune aliud postulet, & tunc habebit locum dispensatio à Prælato ecclesiastico facienda, vt suprà dictum est n. 94. Quod si dictus tertius remittat promissionẽ, cedatq; iuri suo, tunc dictũ votum, seu iuramentũ statim cessabit absq; vlla commutatione, seu dispẽsatione, vt supra dictũ est num. 96. vel absolutè poterit vi bullæ commutari.

99 Cõtrouertitur ergò solũ, An dictũ votũ, seu iuramentũ possit vi bullæ cõmutari antequã talis promissio à tertio acceptetur, absq; ipsius tertij cõsẽsu.

Sarmien. Syluest. Rosell. Negant *Sarmien. de reddit. eccl. p.4.C.3.num.3. Syluest. vot.4.§.7. Rosell. vot.6.n.6.* nonnulliq; alij; quorũ ratio præcipua est, quia eo ipso quod est pia causa, ius acquiritur etiam absenti, *ex leg. illud, Cod. de sacrosanctis Ecclesijs*, ergò eo ipso, quòd quis vouit, seu iurat dare aliquid pauperi, vel Ecclesiæ, statim intelligitur acquisitum ius pauperi, seu Ecclesiæ, etiamsi neq; pauper, neque aliquis nomine Ecclesiæ dictam promissionem acceptauerit, & consequentèr numquam absq; consensu partis poterit remitti, aut cõmutari, seu dispensari tale votum, seu iuramentum.

Nauarr. Suar. Sanch. Sayrus. Azor. Graff. 100 Affirmant tamèn *Nauar. in sum. C.12.nu.78. Suar. tom.1. de rel. l.6.C.15.n.3. Sanch. sum. l.4. C.41.nu.7. Sayrus in clau. l.6.C. 11.nu.vlt. Azor. to.1.inst.lib.11. C.16.qu.12. Graff.1.p.dec.l.2.C. 30. n. 11*, alijque communitèr DD. & meritò; *Auctor.* negamus enim ante acceptationem simplicis promissionis acquiri alteri ius iustitiæ, nam votum siue simplex, siue solemne, solùm est religiosa promissio Deo facta, atq; adeò ex illa, vt sic, tantùm nasci potest ius Religionis in ordine ad Deum, non in ordine ad homines; ergò nisi intercedat acceptatio à tertio, vtiq; poterit dictum votum, seu iuramentum vi bullæ commutari, & ab Episcopo etiam dispẽsari absq; vllo partis consensu.

101 Ad rationem autèm AA. in contrarium Dico, dictam legẽ loqui de legatis, & huiusmodi, ex quibus nascitur ius iustitiæ, secùs verò de voto, ex quo solùm nascitur ius religionis respiciens solùm Deum, & non hominem. Ceterùm huiusmodi vota, & iuramẽta videntur posse absolutè commutari in melius, & etiam in rem euidenter æqualem, non solùm vi bullæ, verùm etiàm propriâ auctoritate iuxtà dicta Q.1.Diff.1.& 2.

102 Similitèr est dicendum de voto, & iuramento, quo promittitur aliquid alicui Sancto, seu Ecclesiæ eo Sancto dicatæ, etiamsi præcesserit acceptatio alicuius nomine ipsius Ecclesiæ, seu ipsius Sancti; nã huiusmodi Ius cum soli Sancto semper acquiratur, consequentèr qui potest commutare, seu dispensare in iure Deo, acquisito similiter poterit commutare, ac dispensare in dicto iure Sãctis acquisito, eò quia Deus, ac Sancti quoad hoc constituuntur quasi sub eodem foro; tum etiam quia sanctorum voluntas est Diuinæ omninò conformis, ac proinde eligit quod est Deo gratius, & sic libenter subdit proprium ius dispensationi, seu commutationi Prælatorum.

DIFFICVLTAS XXI.

An vi bullæ possit differri tempus exequendi votum etiam circa materiam reseruatam?

103 **VOuit quis Religionem ingredi, vel peregrinãdi in terram Sanctam v. g. intra annum: quærimus in præsenti, An possit vi bullæ differri executio talis voti etiam ad alium annum, vel ad duos annos, &c.**

104 **Negant *Suar. l.6. de vot. C. 26.n.11. Angles 2.p.flor. q. de vot. ar.8.diffi.4.* nõnulliq; alij de voto religionis precipuè loquentes. Primò quia, aiũt tẽporis circũstantia** *Suarez. Angles.*

ſtantia, multum attingit talis Voti ſubſtantiam, atquè adeò videtur etiam ſub reſeruatione contineri, ſicuti & ipſa voti ſubſtantia. Secundò, quia ſi vi bullæ poſſet differri executio talis Voti, poſſet etiam & ipſum votum totaliter annullari, probatur, nam ſi vi bullæ poſſet differri ingreſſus in religionem v.g. pro vno anno, poſſet etiam differri pro alio anno, & ſic de reliquis vſquè ad vitæ finem; nam non eſt maior ratio de vno anno, quàm de alio; præſertim quia nulla requiritur cauſa pro commutandis votis vi bullæ (vt ſupra dictum eſt Q. 1. n. 54.) atquè adeò poſſet tale votum vi bullæ totaliter annullari, quod eſt abſurdum. Tertiò demum quia praxis eſt, vt ad Papam recurratur pro huiuſmodi voti dilatione. Concedunt tamen, habere Epiſcopum poteſtatem declarandi, poſſe ob aliquam iuſtam cauſam differri talis voti executionem.

Sanchez. *Palaus.* *Lud. à Cr.* *Fagund.* *Trullen.* *Bardi.*

105 Affirmant tamen *Sanch. l. 4. ſum. C. 40. n. 76. Palaus to. 3. tr. 15. d. 3. p. 1. num. 4. Lud. à Cruce. D. 1. C. 6. d. 12. n. 6. Fagund. C. 43. n. 13. Trullen. l. 1. 5. 7. C. 3. d. 15. nu. 9. Bardi p. 2. tr. 7. Q. 3. n. 17.* & alij, que communitèr DD. & meritò; nam dilatio temporis eſt circumſtantia omninò extrinſeca in ordine ad ſubſtantiam voti; cum ergò reſeruatio ſit odioſa, & cōſequentèr reſtringenda, non debet niſi ad ſolam voti ſubſtantiam, quæ expreſsè reſeruatur, extendi, non autē ad eius circumſtantiam, quæ in reſeruatione nullo modo nominatur, quod autem temporis circumſtantia multum attingat aliquādo voti ſubſtantiam, nihil refert, dum ſemper remanet in ratione circumſtantiæ, ac proinde ſemper poterit vi bullæ commutari, & ab Epiſcopo etiam diſpenſari. ex quibus patet ad primam rationem AA. in contrarium.

Auctor.

106 Ad ſecundam autèm Nego aſſumptum, nam commutatio circumſtantiæ voti vt ſit licita, ac valida, debet eſſe prudens, & rationabilis, nempè talis, quâ vouens nequaquam exponatur probabili periculo non adimplendi ipſammet ſubſtantiā voti, quarè Confeſſarius, ſiue Epiſcopus cōceſſurus dilationem temporis in huiuſmodi votis; debet ſatisſuperquè perpendere, ætatem, & complexionem vouentis, diuturnitatem temporis, & ſimilia, ita vt nequè periculo impotentiæ exponatur vouens, nequè prudenter dici poſſit eximi ab obligatione exequendi ipſum votum; & ſic etiam ſi concedatur dilatio ingrediendi religionem, vel peregrinandi in terram Sanctam pro vno anno v.g., non inde ſequitur poſſe ſimiliter concedi pro annis ſequentibus.

107 Ad Tertiam demùm rationem nego praxim eſſe ita communem, vt AA. aſſerunt; quod ſi alicubi ita practicatur, erit potius ob maiorem conſcientiæ ſecuritatē, quàm ad omnimodā neceſſitatem.

DIFFICVLTAS XXII.

An vi Bullæ possit commutari pœna pecuniaria debita ex fractione Voti etiam circa materiam reseruatum?

108 Voueat quis Religionē, seu peregrinationem Vltramarinam sub onere erogandi quotidie v.g. pauperibus, seu alicui Ecclesiæ certam eleemosynam, vsque dum suo voto satisfaciat; & vitaui post aliquod tempus inueniatur debitor in magna pecuniarum sūma: quærimus in præsenti, An tale debitum ex violatione talis voti ortum, possit vi bullæ commutari?

Nauarr. Sayrus. Graff. Azor.

109 Negant *Nauar. l. 3. cons. de vot. in 1. edit. cons. 35. & in 2. cōs. 52. Sayrus in clau. l. 6. C. 12. n. 20. Graff. 1. p. dec. l. 2. C. 28. n. 5. Azor. to. 1. l. 11. C. 1 p. 1. 231* alijq; quorum ratio est, quia ex parte aliud est commutare votum, & aliud commutare, seu relaxare pœnam incursam ex fractione voti; ex altera verò parte per bullam solùm datur potestas commutandi vota, ergò &c.

Suar. Sanch. Trullen. Filluc. Torres. Diana. Bardi. Auctor.

110 Affirmant tamen *Suar to. 2. de rel. l. 6. C. 20. n. 19 Sanch. l. 4. sum C. 50. n. 12. Trullen. l. 1. §. 7. C. 3 d. 8. n. 1 Filluc. to. 2. tr. 26. C. 10. n. 299. Torres. in 2. 2. to. 2. q. 88. ar. 12. D. ult. n. 4. Diana res. 46. Bardi p. 2. t. 7. C. 2. n. 13.* alijq; communiter DD. & meritò, (regulariter loquendo) nam tota illa obligatio soluendi dictā pœnam, habet vim ex voto emisso, neque est obligatio distincta ab illa, quæ obligauit statim ac fuit emissum votum, sed est prorsus eadem, quæ semper magis, ac magis viget; ergò sicuti vi bullæ poterat antea talis obligatio cōmutari, vt patet, ita similiter poterit post ipsius voti violationē commutari. Ex quibus satis patet ad rationem AA. in contrarium; nego enim aliud esse commutare votum, in materia præsenti de qua agimus, & aliud commutare pœnam &c. sed dico esse idem.

111 Dixi tamen, Regulariter, seu per se loquendo, eo quia si pauper, cui facta est dicta promissio, semel illam acceptauerit, tunc cum transierit in contractum, consequenter purificata conditione, ac dicta pœna incursa, statim intelligitur esse acquisitum ius ad illam in ipso paupere, ac proinde illo inuito nequit commutari (iuxtà dicta in Diff. 19. & 20.) quamuis absolutè commutari possit eadem obligatio ante ipsius voti violationem, ac incursionē pœnæ. & idem dicendum in casu, quo quis vouit, se non lusurum sub pœna soluendi aliquam certam eleemosynā alicui pauperi, seu certæ Ecclesiæ pro qualibet vice, & huiusmodi tàm ante, quàm post dictam pœnam incursam.

112 Petes hic, An si Sum. Pontifex commutet dictam pecuniarum summam ex fractione voti, seu iuramenti debitam, vel eius partē remittit, ac partem soluēdam relinquit, possit vi bullæ vlterius pars illa pecuniæ debita commutari in aliud opus pium? Respondeo affirmatiuè, nam per commutationem Pontificiam pars pœnæ, quam vouens tenetur soluere, non est effecta reseruata, ac proinde sicuti poterat vi bullæ com-

commutari ante talem commutationem Pontificiam (vt dictũ est) ita similitèr commutari poterit post ipsam Pontificiam commutationem. Ceterùm quælibet pœna pecuniaria incursa ex violatione Voti, seu iuramenti, poterit vi bullæ cõmutari partim in eleemosynã, & partim in alia opera pia.

113 Atquè hæc satis sint de Votis circa materiam reseruatam in communi; nam quæ sunt his communia cum Votis non reseruatis, petenda erunt ex supradictis in Q. 1. de commutatione Votorum in Genere. discutienda igitùr solùm remanent aliqua, quæ sunt propria vniuscuiusq; Voti reseruati.

QVÆSTIO III.

De Commutatione Voti Vltramarini.

EX tribus Votis in bulla exceptis, primum sese offert Vltramarinum, de quo solùm aliqua in præsenti discutienda erunt, quæ illius propria erũt, nam reliqua, quę Votum hoc communia habet cum alijs Votis, petenda erunt ex hactenùs dictis in Q. 1. & 2.

DIFFICVLTAS I.

Quid sit Votum Vltramarinum, quod in Bulla excipitur?

1 PEr Votum Vltramarinum intelligunt communitèr DD. Peregrinationem in Terram Sanctam, seu Hierosolymam; eo quia dicta Vrbs Hierosolyma, quæ est ciuitas Iudeę in Asia, est vltrà totum nostrũ mare Mediterraneum, quod totum consequentèr percurri in tali peregrinatione, necesse est; tum etiam quia inter vltramarinas Peregrinationes hæc est potissima; nam quamuis peregrinatio ad Diuum Iacobum Compostellę sit vltrà nostrum mare Mediterraneũ, non tamen fit maritima peregrinatione, sed terrestri; alia autem celebris Peregrinatio, & de Iure communi Sum. Pontifici reseruata, nempè ad limina Apostolorum, nõ est vltrà mare; atquè adeo conueniunt similitèr DD. sub nomine Voti Vltramarini excipi hic in bulla dictam Hierosolymitanam Peregrinationem; quę quidẽ Peregrinatio, cum sub varijs modis, ac fine possit promitti Deo, ideo per sequentes Difficultates videndum erit, An ita Sum. Pontifici reseruetur, vt nunquam neq; vi bullæ possit commutari?

DIFFICVLTAS II.

An Votum applicandi aliquid in temporale subsidium terræ Sanctæ, absq; animo illùc peregrinandi possit vi Bulla commutari?

2 COnueniunt DD. Votum peregrinandi in terram Sanctam animo subueniendi dictæ terræ Sanctæ locis, esse absolutè reseruatum, & sic nõ posse neque vi bullæ commutari; dummodo sit absolutum, determinatum &c. iuxtà supradicta in super. Quæst.

3 Controuertitur ergò, An vi bullæ possit cõmutari votũ peregrinan-

grinandi in dictam terrā Sanctam, absquè animo tamen subueniendi illis sanctis locis; vel Votum subueniendi quidem dictis locis, absque animo tamē illùc peregrinandi, de quo in præsenti dicemus: de primo autèm in sequenti Difficultate agemus.

4 Affirmant *Syluest. V. votum 4. q. 3. Angel. V. votum n. 12. Rosella V. votum n. 10.* & alij; quorum ratio est, quia in *C. magnæ deuotionis*, reseruatur absolutè, & absquè vlla limitatione, Votum emissum in subsidiū Terræ Sanctæ, ac proinde quodlibet votum subueniendi dictæ terræ sanctæ, etiamsi emittatur absq; animo illùc peregrinandi, erit reseruatum: quarè secundùm hanc opinionem debet esse reseruatum votum applicādi aliqua debita siue certa, siue incerta, seu aliquam eleemosynam in subsidium dictę terrę sanctę: similitèr votum se adscribendi, seu asumēdi crucem in quacūque expeditione facienda pro dicta terra sancta, vel etiam sumendi Filiationem eiusdē Terræ sanctæ, quam distribuere solent PP. Zocculātes sub onere alicuius eleemosynæ in idem subsidium, & huiusmodi.

Syluest. Angel. Rosella.

5 Negant tamen *Suar. l. 6. de vot. C. 21. n. 13. Sanch. l. 4. decal. C. 40. n. 8. Trullen. l. 2. decal. C. 1. d. 49. n. 2. Bardi p. 2. tr. 8. C. 2. nu. 149.* aliique communitèr DD. & meritò; nam reseruatio cum sit odiosa, non debet extendi nisi ad illa vota, quæ expressè in Iure reseruantur; iam votum subueniendi terræ sanctæ absq; animo illùc peregrinādi, à nullo iure reseruatur. in c. autèm *magnæ deuotionis* ci. sermo est de Voto Peregrinationis in subsidium terræ sanctæ, vt legenti patebit; atquè adeo nisi habeatur expressè animus illùc peregrinandi, nunquam huiusmodi vota erunt reseruata, & consequentèr poterunt vi bullæ commutari.

Suarez. Sanch. Trullen. Bardi. Auctor.

DIFFICVLTAS III.

An Votum Vltramarinum emissum absq; animo subueniendi terræ sanctæ, sed ex sola deuotionis caussa, possit vi bullæ commutari?

6 Diximus suprà Q. 2. n. 2. huiusmodi Votum, etiā ex sola deuotionis caussa emissum, esse de Iure cōmuni Sum. Pontifici reseruatum; videndum nunc ergò est, an saltem vi bullæ possit illud commutari. Ex quidem Affirmant *Abbas C. ex multa, de vot. n. 4. Graff. p. 1. dec. l. 2. C. 31. n. 21. Vivald. p. 3. cand. C. 14. n. 63. Sà V. votum, n. 11.* aliique; quorum ratio est, quia in *C. Quod super his*, & in *C. ex multa, de vot.* vbi dicta Peregrinatio Hierosolymitana reseruatur, agitur de illa, quæ promittitur in subsidium, seu redemptionem illorum locorum; ac proinde dum fit non in subsidium, sed tantùm caussa inuisendi ea loca sancta, non erit reseruatum, & sic poterit saltèm vi bullę commutari.

Abbas. Graff. Viuald. Sà.

7 Negant tamen absolutè *Suarez l. 6. de vot. C. 21. n. 45. Nauar. in sum. C. 12. n. 79. Syluest. V. votum, 4. q. 3. Sanch. l. 4. decal. C. 40. n. 6. Azor. l. 1. C. 20. q. 3. n. 4. Sayrus in clau. l. 6. C. 11. nu. 35. Lessius l. 2. C. 40. d. 13. n. 104. Trull. l. 1.*

Suarez. Nauarr. Syluest. Sanch. Azor. Sayrus. Lessius. Trullen.

l. 1. §. 7. C. 3. d. 49. n. 27. Lud. à Cr. D. 1. C. 6. d. 15. n. 4. Lopez. l. 1. tit. 8. p. 1. V. Roma Rodriq. sum. to. 2. C. 99. Bardi p. 2. tr. 7. C. 2. n. 147. alijque cōmunitèr DD. & meritò; nam ex vna parte bulla non eximit peregrinationem hanc Vltramarinam à reseruatione, quam de Iure communi habet (vt patet;) ex altera verò parte dicta Peregrinatio est de Iure communi Sum. Pontifici reseruata (vt supra lo. ci. dictum est) etiamsi quis illam voueat sola deuotionis causa, saltem post constitutionem Sixti IV. in sua *extrau. Etsi Dominici 2. de pœnit. & remis.* vbi absolutè, & absq; vlla exceptione excommunicantur commutantes hoc Votum absq; Sum. Pontificis facultate, ergò dictus Pontifex vel supponit illud iam esse absolutè reseruatum ex vniuersali consuetudine Ecclesiæ, vel saltem consequentèr, seu implicitè illud reseruauit Apostolicę Sedi ex vi dictę suę constitutionis, ac proinde nequit absolutè commutari, neque vi bullę.

8 Confirmatur, nam vniuersalis consuetudo Ecclesię est reseruare tale votum, etiamsi deuotionis caussa emittatur; quarè c. ci. ab AA. nihil nobis obstat. An verò idem dicendum sit, si tale votum emittatur, non ob finem visendi loca illa Sancta, sed solùm visitandi aliquā ibi Ecclesiā, seu Imaginem, dicetur Diff. sequenti.

DIFFICVLTAS IV.

An si quis voueat peregrinationem hanc Hierosolymitanam, nō ob finem visendi loca illa sacra sed solùm visitandi aliquam ibi Ecclesiam, seu Imaginem, possit vi Bullæ commutari?

9 Ratio dubitandi pro parte negatiua potest esse, quia Peregrinatio hęc Hierosolymitana videtur absolutè Sum. Pōtifici reseruari, ac proindè quocunque fine promittatur Deo, non poterit neque vi bullę commutari.

10 Affirmant tamèn *Sanch. l. 4. dec. C. 40. n. 77. Fagund. ibi. l. 2. D. 43. n. 14. Palaus to. 3. tr. 15. D. 2. p. 11. n. 3. Bartol. à S. Fausto l. 3. absq. 101. Bardi p. 2. tr. 7. C. 2. n. 153.* & communiter DD. & meritò; nam Votum hoc reseruatur propter summam dignitatē ac venerationem dictis sacris locis debitam, eò quia in illis fuerit consummata humana redemptio; atque adeo quęcūque alia Imago ibi, seu Ecclesia per accidens se habebit quoad hoc; ac proindè reseruatio, cum sit odiosa, non debet extendi nisi ad Votum, quod determinatè emittitur ob finem visendi, ac venerandi dicta sacra loca; & idem erit dicendum circa votum peregrinandi tàm ad limina Apostolorum, quàm ad D. Iacobum in Compostella in ordine ad potestatem Episcoporum.

11 Ad rationem autem dubitādi in contrarium Concedo, Peregrinationem hāc Hierosolymitanam absolutè reseruari, atta-

attamen reseruatio cũ sit odiosa,& consequentèr restringenda, non debet extendi vltrà finem à Sum. Pontificibus intentum in dicta reseruatione.

DIFFICVLTAS V.

An Circumstantiæ Voto Vltramarino annexa, possit vi Bullæ commutari?

12 POtest quis vouere Peregrinationem hanc, nõ solùm vt sic,& nudè sumptã,sed etiam cum aliqua alia circumstantia aggrauanti, vt si voueat pedestri itinere peregrinandi, vel in ipso itinere eleemosynam petendi &c.; querimus ergò hic, An huiusmodi circumstantię possint vi bullę in aliquod aliud pium opus commutari. Et quidem ratio dubitandi pro parte negatiua potest esse, quia huiusmodi circumstãtię se habent vt quid accessorium ad votum, accessorium autem sequitur naturam principalis, vt supra dictum est; cum igitur principale, nempè votum ipsum Vltramarinum, nequeat vi bullę commutari, consequenter neque ipsius circumstantię poterunt vi eiusdem bullę cõmutari.

13 Affirmant tamen *D. Anton. p.2.tit.11.C.2.§.9.mod.4.Palud.in 4.D.38.q.4.ar.4.n.43.Lopez.C.19. instr.in fine.Lud.à Crus.D.1.C. 6.d.15.n.1.Trullend.1.§.7.C.3. d.17.n.1.Diana ref.83.Bardi p.2. tr.7.C.2.q.15.* & communitèr DD. ac meritò: nam reseruatio cum sit odiosa, & consequentèr restringenda, non debet extendi nisi ad voti substantiam, quę expressè reseruatur, non autèm ad eius qualitates, seu

D. Anton. Palud. Lopez. Lud.à cr. Trullen. Diana Bardi. Auctor.

circumstantias, quę merè per accidens se habẽt ad ipsum votum, & sine quibus benè consistere potest ipsa substantia voti.

14 Ad rationem autèm dubitãdi in contrarium Dico, Accessorium sequi naturam sui principalis quoad intrinseca, nẽpè quoad obligationem in pręsenti materia, non autèm quoad omninò extrinseca, cuiusmodi est reseruatio. Quarè si quis voueat peregrinare in terram Sãctam mẽdicando, seu pedester, vel nudis pedibus, seu cum cilicio, &c., vtiquè omnes huiusmodi circumstantię poterunt vi bullę commutari *in aliud* pium opus,& ab *Episcopo* etiã dispensari.

DIFFICVLTAS VI.

Quomodo commutandum sit Votum Peregrinationis Vltramarinæ?

15 QVãuis aliquid suprà diximus ex communi DD. consensu circa commutationem votorum in genere, attamen quia commutare vota non est adeò facilis negotij, vt aliqui ad pauca respicientes existimant, sed magnę prudentię opus est, nec minoris scientię, ideò aliquid aliud hic adnotabimus in particulari circa commutationem pręsentis vltramarinę peregrinationis, quod & ad alia Peregrinationum vota similiter poterit aptari.

16 Consideradę igitùr sunt primò Expensę peregrinationis, quæ quidem applicandæ erunt eidem loco pio, ad quem dirigebatur Peregrinatio, si commodè fieri poterit, secùs alteri loco

loco pio, vel indigenti, vel æquè benè pauperibus; semper tamen deductis expensis, quas vouens facturus fuisset domi.

17 Secundò considerandus erit labor, & molestia itineris, & hæc commutentur in ieiunia, & orationes; & quidem si fuerit pedestri itinere, tunc commutabitur in tot ieiunia, in quot dies talis peregrinatio pficienda fuisset, itaut Peregrinatio v.g. quindecim dierũ, in quindecim itidem ieiunia cõmutetur; si verò equestri itinere, tũc in vnicum ieiuniũ commutari poterit labor etiam quatuor, aut quinque dierum. iniungi etiam poterit recitatio officij B. Virginis, seu integri Rosarij saltem qualibet hebdomada pro toto eo tẽpore, quo duratura erat Peregrinatio; ac demùm iniungenda est sacramentalis Confessio; ac SS. Eucharistiæ sumptio bis, vel saltem semel in mense eiusdem temporis, vt videre est in *c. vouentis*, & *c. Magnæ deuotionis, de Voto, & voti redempt.* & communiter apud DD.

18 Quod si vouens post emissũ votum, redigatur in maximam paupertatem, adeò vt absolutè nequeat eleemosynam erogare pro commutatione dictarum expensarum, tunc loco eleemosynæ iniungi poterunt aliæ preces, aliaquè ieiunia, ac frequentior Sacramentorum vsus arbitrio prudentis Confessarij. Atq; hæc de commutatione Voti Vltramarini in particulari satis sint.

QVÆSTIO IV.

De Commutatione Voti Castitatis.

Alterum Votum in bulla exceptũ, vt diximus, est Votum Castitatis; quia obseruantiam multimodè potest quis se obligare, ideò in præsenti Quęstione dicendum est, quænam Castitatis Vota possint, quæ verò non vi bullæ commutari.

DIFFICVLTAS I.

An Votum Castitatis sit absolutè commutabile?

1 *Sotus l. 7. de iust. q. 5. art. 3. Sanch. l. 4. in dec. C. vlt. nu.* 41. alijq; docent, Votum Castitatis non esse absolutè ad æqualitatem commutabile, sed semper, ac necessariò commutari in quid minus. putãt enim nullum opus, quantumuis optimum, comparari posse cum Castitate; quod confirmant ex c. 26. Ecclesiastici dicentis: *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ*, hoc est, nullum opus bonum est condignũ Castitati, secundùm istorum DD. explicationem. *Sotus. Sanch.*

2 Affirmant tamen *Lud. à Cr. D. 1. C. 7. d. 5.* & communitèr *DD.* ac meritò, nam quamuis Virtus Castitatis sit inter virtutes sicuti inter metalla aurum, vndè absolutè dicitur donum Dei speciale; non videtur tamen negandum, posse aliquando ad illius prætium per- *Lud. à cr. Auctor.*

8 Ad rationem verò dubitandi in contrarium Dico, huiusmodi Votum dici posse omnimodæ, ac perfectæ Castitatis solùm obiectiuè, non autèm formaliter, quatenùs vouens nolit se absolutè ad eius obseruantiam obligare, sed tantùm pro aliquo tempore determinato; ac proinde non est perfecta obligatio, nequè votum absolutè perfectum, & consequenter nequè reseruatum: ad perfectionem enim voti non solùm requiritur vt materia circa quā sit vndequaque perfecta, sed etiam vt vouens perfectè, & absolutè ad illam sese obliget, vt patet ex supradictis de Cōmutatione votorū reseruatorū in cōmuni; quarè nego, limitationem temporis in hoc se habere merè per accidens.

DIFFICVLTAS III.

An Votum nunquam contrahendi matrimonium, possit vi bullæ commutari?

9 RAtio dubitandi pro parte negatiua est, quia votum non contrahendi matrimonium æquiualet voto Castitatis, prout asserunt aliqui DD. cum *Caiet. to. 2. opusc. tr. 11. q. 1.* Caiet. primò quia, qui vouit matrimonium non contrahere, vtiq; videtur intendere omnimodā, ac perfectam seruare Castitatē. Secundò quia Sum. Pontifex dum dispensat in voto Castitatis, nihil aliud facit, nisi vt vouens possit matrimonium contrahere, ergò idem importat votum non contrahendi matrimonium, ac votum perfectæ castitatis, & sic sicuti hoc secundum nequit vi bullæ commutari, ita neq; poterit cōmutari primum.

10 Affirmant tamen *Sanch. to. 3. de mat. l. 8. D. 15. n. 10. Herriq. l. 7. C. 30. n. 6. Nuñus in 3. p. to. 2. §. 11. Acosta q. 73. Fernād. p. 3. exam C. 9. se. 2. §. 17. n. 8. Trullen. l. 1. §. 7. C. 3. d. 15. n. 23. Diana res. 59. Bardi p. 2. tr. 7. C. 2. n. 5.* aliiq; communiter DD. & meritò, nam qui vouit non contrahere matrimoniū, solùm intendit (per se loquendo, hoc est, ex natura ipsius matrimonij) non ponere obstaculum ad suscipiendum statum Religionis, quod quidē inter reseruata nunquam enumeratur; & præsertim cum reseruatio sit odiosa, non debet extendi nisi ad id, quod expressè reseruatur. poterit ergò tale Votum vi bullæ commutari, & ab Episcopo etiam dispensari. Sanch. Herriq. Nuñus. Fernand. Trullen. Diana. Bardi. Auctor.

11 Ad rationem autèm dubitandi in contrarium nego absumptum; nam votum Castitatis præter obligationem non ponendi obstaculum ad suscipiendum statum Religionis, (vt diximus) includit etiam abstinentiam ab omni actu venereo, non solùm ratione præcepti, sed etiam ratione ipsius voti Castitatis; atq; adeo votum non contrahendi matrimonium non æquiualet voto Castitatis; & sic patet ad primam rationem in contrariū. hinc qui post tale votum non cōtrahendi matrimonium fornicatur, non sacrilegè peccabit contrà votum, sicuti peccaret qui post votum Castitatis fornicaretur. Dixi *per se loquendo*, eò quia vouens dum sic vouit, potest etiam intendere omnimodam Castitatē, verùm hoc erit per accidens, non præcisè ratione dicti voti non contrahendi matrimonium.

12 Ad secundam verò rationẽ in contrarium dico, quod dum dispensat Pontifex in voto Castitatis, non solùm tollit impedimentum ad contrahendum matrimonium, verùm etiam relaxat obligationem non fornicandi ratione religionis ex vi talis voti; vouens enim castitatem duplici titulo tenetur ad non fornicandum, nempè & præcepto, & religione ratione voti; per dispensationem autẽ Pontificis, remanente prima, tollitur secunda.

13 Limitant tamèn communiter DD. dictam nostrã opinionem in casu, quo votum istud non contrahendi matrimoniũ, fuit emissum in fauorem tertij, cuius interest fuisse emissum,& ab eodem acceptatum; vt si vir v.g. petat à sua coniuge, quod si fortè ipse decedat ex hac vita relictis filijs,& superfit ipsa cõiux, votum emittat nõ ampliùs nubẽdi in vtilitatem filiorum, vel vt eius nomen, amor, & amicitia cum eius consanguineis meliùs conseruetur; tunc si mulier tale votum emittat sciente, & illud acceptante viro, non poterit vi bullæ in tali casu commutari;& meritò, nam vi bullæ nequeunt commutari vota, quorum commutatio resultat in damnum tertij (prout diximus Q. 2. Diff. 19. & 20.) nisi tertius remittat ius acquisitum.



DIFFICVLTAS IV.

An Votum Castitatis Coniugalis possit vi bullæ commutari?

14 Ratio dubitandi pro parte negatiua esse potest, quia Castitas coniugalis accidentaliter solùm differt à castitate absoluta; probatur, nam Castitas absoluta excludit omnem actum venereum, tùm extrà, tùm intrà matrimoniũ: Castitas autèm coniugalis excludit solùm actum venereum extrà matrimonium; iam hæc differentia est merè accidentalis, eo modo quo abstinentia ab omni carne accidentaliter solùm differt ab abstinentia à sola carne porcina v.g. ac proinde sola differentia accidentalis non videtur sufficiens ad eximendum istud votum à reseruatione, & sic nequit vi bullæ commutari.

15 Affirmant tamen *Lessius l. 2. de iust. C. 40. n. 105. Herriq. lib. 7. sum. C. 30. num. 7. Lud. à Cruc. D. 1. C. 6. d. 10. n. 5. Trullen. l. 1. §. 7. C. 3. d. 15. n. 10. Diana resol. 12. Bardi p. 2. tr. 7. C. 2. n. 6.* & communitèr DD. & meritò, nam in bulla, sicuti & in iure communi, reseruatur votum castitatis: nomine autem castitatis absolutè prolati, nequit venire castitas secũdũ quid, cuiusmodi est castitas coniugalis,& præsertim in odiosis, qualis est omnis reseruatio, atquè adeò votum castitatis coniugalis non erit reseruatum, & cõsequẽtèr poterit vi bullæ cõmutari, & ab Episcopo etiam dispensari. *Lessius. Herriq. Lud. à cr. Trullen. Diana. Bardi. Auctor.*

16 Ad rationem autèm dubitãdi in contrarium Dico, solam illam

illã differentiã accidentalẽ sufficere ad eximendum votum à reseruatione. Adde, dictam differentiam accidentaliter se habere quoad actualem obseruantiã Castitatis, nō autem quoad vouentis obligationem, in qua fundatur essentia voti; quæ quidem obligatio in hoc casu sit limitata, & imperfecta, consequenter & ipsum votum erit limitatum, & imperfectum.

17 Limitant tamen communiter DD. dictam nostram opinionem, quando huiusmodi votum est annexum statui Regioso auctoritate Sedis Apostolicæ, vt de facto est annexum Equitibus S. Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ & similibus. Et meritò, nam tunc habet rationem Voti solemnis.

DIFFICVLTAS V.

An Votum non petendi debitum Coniugale, possit vi Bullæ commutari?

Rodriq. Sanch. Azor. Io. à Cru. Diana.

18 AFfirmãt *Rodriq. to. 2. sum. C. 90. n. 3. Sanch. to. 3. de mat. l. 8. D. 15. n. 4. Azor p. 1. l. 11. C. 19. q. 6. Io. à Cruc. p. 1. direc. prac. 2. ar. 2. d. 10. concl. 3. Diana res. 58.* & communiter DD. ac

Auctor.

meritò, nam tale Votum longè deficit à perfectione in genere voti Castitatis, primò quia sic non excluditur omnis actus venereus extrà matrimonium ex vi voti (per se loquendo,) secundò quia adhuc tenetur reddere alteri coniugi id petenti, etiamsi cum istius cōsensu fuerit emissum tale votũ; imò etiamsi vterque coniux ex mutuo consensu voueret neq; petere neque reddere, cùm nunquã sit votum omnimodæ, ac perfectæ Castitatis, tum quia non aufertur libertas transeundi ad sequentes nuptias, tum etiam quia non excluditur omnis actus venereus etiam extrà matrimonium ex vi talis voti, ac proinde non erit reseruatũ, & sic poterit vi bullæ commutari, & ab Episcopo etiam dispensari.

DIFFICVLTAS VI.

An Votum seruandæ Virginitatis, possit vi Bullæ commutari?

19 COnueniunt DD. Votum Virginitatis non esse reseruatum, & sic posse vi bullæ commutari, & ab Episcopo etiã dispensari, quotiès vouens seruare virginitatem, expressè intendit se tantùm obligare ad solam corporis integritatẽ seruandam, quæ consistit in absentia à primò tantùm luxuriæ actu, quo inæstimabilis Virginitatis flos deperditur. & meritò nam huiusmodi votum nō est perfectæ, & omnimodæ castitatis, vt patet; vnde sic vouens, semel lapsus in primum actum fornicationis, & amissa Virginitate, poterit absolutè matrimonium contrahere; similiter si vlteriùs fornicetur, quamuis peccet contrà præceptum, ac virtutem continẽtiæ, non peccaret tamen sacrilegè contra votum: imò sic impotens factus adimplendi vlteriùs tale votũ, ac nihil ampliùs tenetur.

20 E contrà, conueniunt similiter DD. Votum Virginitatis esse absolutè reseruatum, & sic non posse vi bullæ commutari, neque ab Episcopo dispensari, quotiès

quotiès vouens Virginitatem, expressè intendit non solum abstinentiam à primo luxuriæ actu (vt dictum est) verùm etiã ab omni alio actu contra continentiam. Et meritò, nam huiusmodi Votum est absolutæ, ac omnimodæ Castitatis, vt patet, & per accidens se habet non amisso Virginitatis.

21 Dubitatur ergò solùm, An possit vi bullæ commutari votum Virginitatis casu, quo vouens dubitat, an habuerit animum se obligandi ad solam abstinentiam à primo actu venereo, an verò ad omnimodam.

Sanch. Lessius. Lud. à cr.

22 Negant Sanch. l.4. sum. C. 21. n.22. Lessius l.2. C.40. d.18. n.124. Lud. à Cruc. D.1. d.10. n.11. aliiq; ex eo quia, aiunt, huiusmodi votum in tali casu præsumendum esse, fuisse emissum cum obligatione ad perfectam, ac omnimodam Castitatem.

23 Affirmandum tamen puto, nam ex vna parte Virginitas vt sic, & absolutè loquendo non importat nisi abstinentiam à primò actu venereo, vnde fœmina, quæ seruat illæsum virginitatis claustrum, absolutè virgo existimatur, etiamsi alijs actibus contra castitatem peccauerit; ex alia verò parte reseruatio est odiosa, & consequentèr restringenda, ergò dum de opposito non constat, sed dubitatur, an vouens habuerit animum se obligandi ad solam abstinentiam à primo actu venereo, an verò ad omnimodam, absolutè præsumendum est, ad solam abstinentiam à primo actu venereo vouētem se obligasse; atquè adeo huiusmodi votũ non erit reseruatum, & sic poterit vi bullæ commutari, & ab Episcopo similiter dispensari.

DIFFICULTAS VII.

An Votum se abstinendi à quocunq; peccato venereo, possit vi Bullæ commutari?

24 Ratio dubitandi pro parte negatiua est, quia huiusmodi votum se abstinendi à quocunque peccato venereo, etiam mollitiei, videtur esse eiusdē rationis ac votum omnimodæ Castitatis, & consequenter non poterit vi bullæ commutari.

25 Affirmant tamen *Reginal. to.2. l.18. C.22. n.331. Lessius l.2. C.40. n.127. Graff. p.1. dec. l.2. C.31. n.30. Fernand. p.3. exam. C.9. se. 2. §.7. n.8. Portell. in add. V. vot. n.78.* & cõmuniter DD. & meritò, nam sic vouens potest absolutè matrimonium adhuc cõtrahere, atquè adeo non erit omnimodæ, ac perfectæ Castitatis, sed imperfectæ ac secundùm quid; omnimoda enim, ac perfecta Castitas excludit etiã actum licitũ matrimonij, præsens autèm votum excludit solos actus illicitos; ac proinde erit imperfectum, & consequēter poterit vi bullæ cõmutari, & ab Episcopo etiam dispensari. Ad rationē verò dubitandi in contrariũ, patet ex dictis.

Reginal. Lessius. Graff. Fernand. Portel. Auctor.



DIF-

DIFFICVLTAS VIII.

An Votum perfectæ, & omnimodæ Castitatis, si per partes emittatur, possit vi Bullæ commutari?

26 Contingere potest, vt quis voueat nunc, se nunquã peccaturum peccato externo contra Castitatem; deinde verò promittat Deo, se nequè interiùs contra Castitatem peccaturum; ac demùm voueat etiam castitatem coniugalem; jam hæc tria vota obligant vouentem ad omnimodã, ac perfectam Castitatem. quærimus ergò in præsenti, An possint vi bullæ commutari.

27 Et quidem si dictus Vouens emittit vltimum votum cõsultò, vt se perfectà castitate liget, tunc priora vota connectũtur cum vltimo voto, & sic formãt vnum adæquatum, ac perfectũ Votum castitatis, & consequẽter Pontifici reseruatũ, ac proinde non poterit nequè vi bullæ commutari, nequè ab Episcopo dispensari; secùs autèm si vouens vltimum votum emittat vt sic, & absolutè, hoc est; ac si nullum aliud votum circa castitatem emiserit, nam tunc dicta tria vota ex vna parte nõ habent vndè inter sese vniantur, & sic per accidens posteriora vota se habebũt ad prius: ex altera verò parte nullum ex ijs votis singillatim sũptis obligat ad perfectam Castitatem (vt ex supradictis patet) ac proinde adhuc remanẽt tũ vi bullæ, tùm ab Episcopo commutabilia.

28 Difficultas ergò solùm est, An in casu posito, dum is emittit vltimum votum, quamuis illud non emittat, vt se perfecta castitate liget, attamen memor præcedentium votorum, benè cognoscat, se per hoc vltimum votum omnimoda, ac perfecta castitate ligari, possit adhuc huiusmodi votum similiter vi bullæ commutari.

29 Ratio autèm dubitandi pro parte negatiua est, quia is sic vouens, dum cognoscit, se per illud vltimum votum perfecta castitate ligari, & hoc non obstante adhuc ipsum votũ emittit, vtiq; præsumendum est, se velle perfecta castitate ligari.

30 Affirmat tamen probabilitèr *Bardi p.2.tr.7.C.2.n.157.* & meritò, nam in tali casu, ista tria vota partialia habẽt solùm vnionem obiectiuam, quatenus scilicèt vni cognitioni simul obijciuntur, vnde dici possunt facere vnum per accidens, seu materialiter, non autem formaliter; ac proinde quamuis sic vouens, quoad effectum verè ligetur castitate perfecta non minùs, ac si simul vno actu perfectam vouisset castitatem, attamen quoad reseruationem nõ ita se habet, nam cùm ista vota non habeant inter se connexionem formalem, consequentèr nõ poterit assignari subiectum, suprà quod cadat reseruatio, diuisim autem nullo pacto subiacent reseruationi, vt ex supradictis patet. *Bardi. Author.*

31 Ad rationem autèm dubitãdi in contrarium Dico, solam præsumptionem non sufficere ad reseruandum votum (prout suprà diximus Q.2.n.31.) nam reseruatio cũ sit maximè odiosa, consequentèr omninò restrin-

stringenda est ad ea sola vota, de quibus certissimè constat.

DIFFICVLTAS IX.

An Votum perfectæ Castitatis factum ante initum matrimoniū, possit post initum matrimonium commutari vi Bullæ saltem ad petēdum debitum?

32 Conueniunt DD. votum perfectæ castitatis factū ante initum matrimonium, nō posse vi bullæ absolutè, & in totum commutari, neque post initum matrimonium. Dubitatur ergò solùm, An tale votum possit vi bullæ commutari saltèm in partim, nempè ad petendum debitum post initum matrimonium.

33 Affirmat *Viuald.p.3.cand.* C. 14.*n.*41. cuius ratio est, quia confessarius vi bullæ electus, quoad commutationem Votorum, potest votum id, quod Episcopus potest: iam (vt communiter DD. concedunt) Episcopus potest sic commutare dictum votum castitatis post initum matrimonium, nempè ad petendum debitum; ergò idem similiter poterit confessarius vi bullæ electus. *Viuald.*

34 Negant tamen *Sanch. to.* 1. *sum.l.4.C.54 n.20.Diana res.66. Leander to.1.de sacr.tr.5.D.14.q.117.Galleg.C.9.claus.9.p.3.§.1.d.169.* alijque cōmuniter DD. & meritò; nam Votum hoc perfectæ castitatis absolutè excipitur in bulla (vt supra dictū est) ergò absolutè nequit vi bullæ commutari, atquè adeò neque in totum, neque in partim: neq; ante, neque post initum matrimonium poterit vi bullę commutari. & idem dico vi Iubilei. *Sanch. Diana. Leander. Galleg. Auctor.*

35 Petes hic obiter, An idem dicendum sit vi priuilegiorum Regularium? Affirmat *Leander ci.* cuius ratio est, quia cum castitatis votum sit Pōtifici reseruatum, eidem ipsius obligatio, quæ est, ne coniugis debitum petatur, reseruata est. *Leander.*

36 Negant tamen *Mendus D.26 C.11.n.120.Martin.de S. Ioseph in reg.S.Fran.p.2.§ dispen.n.* 12. *Diana p.11.tr.8.res.16.* alijque, & meritò, expresse enim Pius V. die 26. Octob. 1569. concessit Franciscanis priuilegium dispēsandi cum ijs, qui post emissum votum simplex Castitatis, matrimoniū contraxerunt, ad hoc vt debitum petere valeāt, admonito eo, cum quo dispēsatur, vt votum seruet, si coniugi fuerit superstes; quo quidem priuilegio fruūtur reliqui Regulares cum illis communicantes; ac proinde multò magis poterunt similiter Regulares, vi dicti priuilegij, commutare idem votū Castitatis post initum matrimonium, quoad petendum debitum. *Mendus. Martin. de S. Ios. Diana Auctor.*

37 Ad rationem autèm *Viuald.* in contrarium Dico, vi bullæ posse commutari omnia Vota, quæ cōmutare potest Episcopus iure ordinario, & ex natura reseruationis; non autèm ea, quæ potest Episcopus commutare iure solo speciali, aut consuetudine, vt est in præsenti casu, neque quoad totam voti obligationem, sed quoad partem tantùm, prout dictum est. *Viuald.*

DIF-

DIFFICVLTAS X.

An Votum assumendi Ordines Sacros, possit vi bullæ commutari?

38 RAtio dubitandi pro parte negatiua est, quia Ordo sacer includit necessariò obligationem seruandi perfectam, & omnimodam castitatem, ac proinde qui vouit assumere Ordinem sacrum, videtur consequenter vouere etiam dictam obligationẽ seruandi perfectam, & omnimodam castitatem; qui enim vult antecedens, velle etiam consequens censetur. quarè cùm votum seruandi perfectam castitatem nequeat vi bullę commutari (vt dictum est) multò minùs videtur posse commutari votum sumendi ordinem sacrum includens obligationem seruandi perfectam castitatem.

39 Affirmant tamen *Herriq. l. 7. C. 30. num. 6. Sà V. vot. nu. 30. Viuald p. 3. cand. C. 14. num. 43. Azor. lib. 11. C. 19. q. 9. Sanchez l. 8. de mat. D. 9. num. 13. Rodriq. § 9. num. 22. Lud. à Cruc. D. 1. C. 6. d. 10. num. 6. Fernand. par. 3. exam. C. 9. § 17. num. 8. Acosta q. 73.* & communitèr DD. ac meritò, nam reseruatio cum sit odiosa, & consequenter restringenda, nequit extendi, nisi ad ea tantùm Vota, quę expressè reseruata inueniuntur; huiusmodi autèm votum assumendi ordinem sacrum, nullibi reseruatur, ergò &c.

Herriq. Sà Viuald. Azor. Sanch. Rodriq. Lud. à cr. Fernand. Acosta. Auctor.

40 Quod autèm Ordini sacro sit annexa perfecta Castitas, est omninò per accidens, & consequentèr vouens Ordinem sacrum nullo modo necessitatur, per se loquendo, intendere etiam ipsam castitatem, etiamsi dum vouit ordinem sacrum, cognoscat obligationem seruandę castitatis tali Ordini annexam. Dixi, *per se loquendo*, nam tunc vouens potest etiam (sed per accidens) vouere & ipsam castitatem eo voto annexam, & in tali casu tále votum prout respicit castitatem erit reseruatum, secùs autem prout respicit dictam sumptionem Ordinis sacri. ex quibus patet ad rationem dubitandi in contrarium.

41 Ad id, quod additur, Qui vult antecedens, velle etiam consequens censetur: Dico, non esse necessariũ, vt qui vult antecedens, velit eodem modo consequens, alioqui qui ex voto Ordinem sacrum sumit, teneretur etiam vi eiusdem voti recitare Horas Canonicas (non minus enim Ordo sacer trahit post se obligationem recitandi dictas Horas, quàm seruandi castitatem) quod est apertè falsum; similiter neque qui vouit Religionem, censetur vouere castitatem, & obediẽtiam, quamuis promittatur status, in quo suo tempore erit votum castitatis, &c. Poterit ergo dictum votum assumendi Ordinẽ sacrum, seu Sacerdotium absolutè vi bullę commutari, & ab Episcopo etiam dispensari.



DIFFICVLTAS XI.

An Votum Castitatis vtriusq; Coniugis de cōmuni consensu emissum per modum contractus, ac reciprocæ conuentionis, possit vi bullæ commutari?

Maior. 42 AFfirmant *Maior. in 4. D. 32. q. 2.* cuius ratio est, quia absolutè putant, inter coniuges non posse dari Votum perfectæ castitatis; nam non obstante, ait, quocunque voto Castitatis, sēper tenetur vterque coniux reddere debitum; ac proinde poterit vi bullæ cōmutari, & ab Episcopo etiam dispensari.

Sanchez. Trullen. Diana Bardi. 43 Negant tamē *Sanch. l. 4. sum. C. 40. n. 57. Trullen. l. 1. §. 7. C. 3. d. 15. n. 25. Diana res. 70. Bardi p. 2. tr. 7. C. 2. n. 161.* alijq; communiter DD. & meritò; falsum enim est, teneri tunc in tali casu vtrumq; coniugem ad reddendum debitum, nam positā reciprocā conuentione, & cōmuni consensu per modum contractus, nempè *Facio, vt facias*, vtiquè vterque coniux cedit iuri, quod in alterius corpus ad hoc habet, ac proinde neuter tenetur nequè petere, nequè reddere, & consequenter erit votum omnimodæ ac perfectæ castitatis, (nisi ex alio capite claudicet) & sic non poterit vi bullæ commutari, neq; ab Episcopo dispensari. Auctor.

44 Non videtur tamen negandum, posse Episcopum tunc cū dictis coniugibus dispēsare ad petendū, & reddendū in casu, quo instaret probabile periculum incontinentiæ, & facilis nō pateat aditus ad Sū. Pōtificem. An verò idem dicendum sit, si tale Votum emittatur ab vno tantùm coniuge, siue ab vtroq; coniuge, siue absq; licentia, siue cum licentia, absq; tamen pacto, & reciprocā conuentione, dicetur infrà.

DIFFICVLTAS XII.

An votum Castitatis, emissum ab vtroq; coniuge, sed non per modū contractus, & cōuentionis, possit vi Bullæ commutari?

45 AFfirmant absolutè *Sanch. l. 8. de mat. D. 11. n. 4. Aragon. in 2. 2. q. 88. art. 8. Bardi p. 2. tr. 7. C. 2. num. 161.* & alij, ex eo quia putant, adhuc cū tali voto durare in vtroque coniuge obligationē reddendi sibi mutuo debitum, & sic nō esse votū integræ, ac perfectæ castitatis. Sanchez. Aragon. Bardi.

46 Negāt verò absolutè *Lessius l. 2. de ius. C. 40. d. 18. n. 125. Sayr. l. 6. clau. C. 11. n. 52.* & alij, ex eo quia putant, ex vi talis voti nō ampliùs teneri coniuges ad reddēdū debitū, ac proinde esse votū perfectæ, & omnimodæ castitatis, & consequenter non posse vi bullæ commutari, neq; ab Episcopo dispensari, nisi tātùm ad petendum debitum, iuxtà dicta n. 44. Lessius. Sayrus.

47 Medià autem vià hic incedēdum puto. emittat ergò e. g. vir priùs suum votū castitatis, siue cum licentia, siue absq; licentia propriæ vxoris, quæ deinde similiter emittat suum castitatis votum. Dico in tali casu, posse vi bullæ commutari absolutè prius votū, secùs autē posterius votū, per se loquēdo probatur quoad primā partē, nā votū castitatis priùs à Viro emis-

emissũ stat cũ obligatione reddendi debitum Vxori petenti, ergò nequit esse votũ perfectæ Castitatis, & consequentèr nõ erit reseruatum, & sic poterit vi bullæ commutari, & ab Episcopo etiam dispensari.

48 Probatur etiam quoad secundam partem, nam votum castitatis posterioris ab Vxore emissum excludit omnem actum venereum, ergò est votum perfectæ castitatis. patet consequentia; antecedens probatur, nam tale votum excludit omnem actum venereum extrà matrimonium, & ius ad petendum debitũ, vt patet; quod autèm ex vi talis voti nequeat reddi debitum, probatur; nam Vxor sciens virum emisisse Votum absolutæ castitatis, vtiquè cooperaretur peccato Viri petentis si illi illicitè petenti debitum redderet; ergò &c.

49 Dixi tamen, *per se loquendo*, quia si Vxor dum vouit castitatem, ignoret se iam esse liberam ad reddendum; vel quia absolutè ignoret votum Viri, vel quia nesciat ex Viri voto id oriri, tunc præsumendum est, eam ad non petendum solùm se obligasse, non autem ad non reddendum, & sic tale votum non erit perfectæ castitatis, nisi tunc intendat, se obligare expresè quantum potest.

50 Similiter si Vir, dùm priùs vouit castitatem, cognoscat se esse liberum ad reddendum ratione v.g. adulterij vxoris, tunc sanè si se obliget ad seruandam castitatem quãtùm potest, erit etiam votum perfectæ castitatis, secùs autem si fuerit solùm ad tempus liber ad reddẽdum ratione v.g. alicuius contagiosi morbi, seu periculi aborsus, &

Carolus Latius in Bull. Cruc.

huiusmodi. An verò idem sit dicendum, si coniuges mutuò sibi remittant cessionem illam iuris petendi, ac reddendi debitum, dicetur Diff. sequenti.

DIFFICVLTAS XIII.

An Votum perfectæ Castitatis coniugatorum possit vi bullæ cõmutari, si Coniuges sibi mutuò remittãt cessionem iuris petendi, ac reddendi debitum?

51 Ratio dubitandi pro parte negatiua esse potest, quia dicta mutua remissio est sacrilega, quatenus cedit contra votum ab eisdem coniungibus emissum, ergò nequit tollere reseruationem; absurdum enim videtur dicere, quod per actum peccaminosum tollatur reseruatio.

52 Affirmant tamen *Sanch. l. 9. de mat. D. 37. n. 16. Palaus to. 3. tr. 15. D. 2. p. 12. n. 10. Lud. à* Cru. *D. 1. C. 6. d. 14. n. 9. Trullen. l. 1. §. 7. C. 3. d. 15. n. 25. Bardi p. 2. tr. 7. C. 2. n. 163.* & communiter DD. & meritò, nam quamuis talis remissio sit sacrilega, valet tamen, & tenebitur vterquè coniux reddere debitum, ac proinde incipit tale votum non esse perfectæ castitatis, & consequenter poterit vi bullæ cõmutari, & ab Episcopo etiam dispensari. & ratio est, quia positã eà remissione, statim reuiuiscit ius illud, quod alter coniux habebat ratione matrimonij ad petendum debitum, & alter ad reddendum, & è cõtrà, itaut quasi de nouo contrahitur matrimonium quoad facultatem eò licitè vtendi. *Sanchez. Palaus. Lud. à Cr. Trullen. Bardi. Auctor*

53 Ad rationem autèm dubitãdi in contrarium nego, esse absurdum, tolli reseruationem per actum peccaminosum, tanquam per causam remotam. patet, nam reseruet Ordinarius v.g. aliquem casum vsquè ad ipsius beneplacitum, sanè talis casus, mortuo eo Ordinario, non erit ampliùs reseruatum. interficiat quis istum Ordinarium, quæso, nonnè verum erit dicere, per hoc homicidium, tanquam per caussam remotam, fuisse ablatam ab illo casu reseruationem?

54 Similiter voueat quis ieiunium, seu religionem, deindè verò per actum etiam peccaminosum reddat se impotentem ad ieiunium, seu religionem; nonnè tunc per actum peccaminosum tollitur ipsa substantia voti? multò ergò magis poterit tolli reseruatio, quæ merè per accidens se habet ad votum. Verum tamen est, quod actus peccaminosus tunc se habet tantùm vt causa remota (vt dictum) vel quia remouet prohibens, vt in primò casu posito; vel quia mutat vnam substantiã in aliam, vt in secundò casu posito, &c.

DIFFICVLTAS XIV.

An Votum Castitatis emissum à Coniuge cum animo ingrediendi religionẽ, possit vi Bullæ commutari?

55 PRæsens Difficultas procedit de Voto Castitatis emisso à coniuge, siue à coniugibus, antequam matrimoniũ ab ipsis consummetur. quod quidem Votum si ab ijs emittatur absque vllo animo ingrediendi religionem, tunc eodem modo se habebit, ac votum Castitatis post consummationem matrimonij emissum, de quo hactenus dictum est; quamuis enim coniuges per bimestre nõ teneantur nequè reddere debitum, attamen quia post bimestre tenentur reddere, consequenter nequeunt dici absolutè liberi ad reddendum.

56 Si verò tale Votum fuerit emissum simul cum voto expressè religionis, tunc conueniunt DD. tale votum esse perfectæ castitatis, & consequenter esse reseruatũ, atq; adeo nõ posse neq; vi bullę commutari, neque ab Episcopo dispensari. & meritò, nam per votum Religionis redditur coniux sic vouens absolutè, ac omninò liber etiam ad reddendum, & sic cũ obligatione ad perfectam, & omnimodam Castitatem.

57 Dubitatur ergò solùm, An possit vi bullæ commutari Votũ omnimodæ Castitatis emissum à coniuge (siue ab vtrisque) cum animo ingrediendi religionem adhoc vt suum seruet votum, etiamsi expressè votum religionis tunc simul non emittat.

58 Negant *Sanch. l. 9. de mat. D. 36. n. 5. Lud. à Cruc. D. 1. C. 6. d. 14. n. 4.* alijq; eò quia putant, tunc coniugem sic vouentem, se tacitè obligare ad religionẽ, ac proinde esse votum perfectæ Castitatis. *Sanch. Bardi.*

59 Affirmant tamen *Pontius l. 8. de mat.* C. 9. *n.* 3. *Bardi p. 2. tr. 7.* C. 2. *n.* 161. alijq; & meritò, quia non obstante tali animo ingrediendi Religionem, si verè non fuerit simul votum ingrediendi, poterit adhuc vouens iure suo *Pontius. Bardi. Auctor.*

suo vti, & sic talem mutare animum, atq; adeo huiusmodi votum non tollit obligationem reddendi debitum suo tempore, & consequenter non erit votum omnimodæ, ac perfectæ Castitatis, & sic poterit vi bullæ commutari, & ab Episcopo etiam dispensari.

60 Ad rationem verò in contrarium Nego assumptũ, nam simplex animus, seu propositũ faciẽdi aliquid, ad nihil obligat, vnde si iste sic vouens petat à Sum. Pontifice, dispẽsationem in voto castitatis, nullo pacto tenebitur petere dispensationẽ circa ingressum Religionis, vt benè notat *Pontius ci.* quamuis tempore emissi voti habuerit animum ingrediendi Religionem. Restat ergò solùm aliqua hic adnotare circa modum cõmutandi Vota Castitatis.

DIFFICVLTAS XV.

Quomodo commutandum sit Votum Castitatis?

61 CONfessarius commutaturus Votum perfectæ castitatis, iniungere poterit vouenti Confessionem sacramentalem, ac SS. Eucharistiæ sumptionem saltem singulis mensibus: recitationem quotidie tertiæ partis Rosarij, aut Septem Psalmorum Pœnitentialium, vnà cum sequentibus Litanijs, ac præcibus: ieiunium singulis sextis ferijs; & demum obligationem seruandi castitatem coniugalem sub voto; quod si vouens hoc vltimum noluerit, velitque commutationem dicti voti absolutè, tunc Confessarius poterit duplicare tum frequentiam Sacramẽtorum, tum ieiunia, & orationes, spectatis semper ipsius vouentis conditionibus, &c. modo suprà dicto.

62 Pro cõmutatione verò eiusdem voti, sed ad tempus tantũ determinatũ emissi, poterunt eadem iniungi, pro illo tamen solo determinato tempore, pro quo fuerat votum emissum. Pro commutatione autem voti nõ contrahẽdi matrimonium, imponatur Confessio, ac SS. Eucharistiæ sumptio singulis mensibus pro triẽnio, vel quinquẽnio; similiter pro voto Castitatis coniugalis, & huiusmodi votis imperfectæ castitatis imponatur confessio, & Eucharistiæ sumptio modo dicto, ac secundùm eorum maior, aut minor perfectio, poterit vlteriùs iniungi aliquod aliud maius, aut minus opus pium, vt ieiunium, oratio, & huiusmodi.

63 Quia verò consuetum est in Pœnitentiaria pro commutatione Voti Castitatis imponi aliquod opus perpetuum, ideo Confessarius poterit suo arbitrio imponere vouenti aliquid etiam in perpetuum, vt recitationem Rosarij singulis hebdomadis, vel quid simile. Atquæ hæc circa commutationem voti Castitatis in particulari satis sint; ceterùm quæ Votum hoc communia habet cum alijs votis, vt si fuerit pœnale, conditionale, & huiusmodi, petenda erunt ex supradictis de votis in cõmuni.



DIF-

QVÆSTIO V.

De Commutatione Voti Religionis.

TErtium, & vltimum Votum, quod in bulla excipitur, est votum Religionis, hoc est ingrediendi aliquam Religionem à Summis Pontificibus approbatum; circa quod religionis votum, cùm satis variæ occurrant Difficultates, tàm circa obiectum voti, nempè ipsam religionem, quæ voto promittitur, quàm circa modum, quo potest vouens se obligare, ideo specialem similiter hic quæstionem de illo instituere, visum est.

DIFFICVLTAS I.

An Votum Religionis sit cōmutabile?

Sanch. Trullen. 1 NEgant *Sanch. l.4. in dec. C. vlt. n.41. Trullen. l.1. §.7. C.3. d.18.* alijque. quorum ratio est, quia quæcunque pia opera imponantur vouenti in commutatione talis voti, vt Sacramentorum frequentatio, Ieiunia, carnis afflictationes, Orationes, & similia, vtiquè semper plura, & excellentiora in ipsa Religione inueniuntur, ac proinde in commutatione voti religionis, necessariò admiscenda est in partim dispensatio, & consequenter non erit tale votum absolutè commutabile.

Suarez. Lud. à cr. 2 Affirmant tamen *Suar. to. 3. de rel. l.4. C.9. Lud. à Cruc. D. 1. C.7. d.14. n.3. Bardi p.2. tr. 7. C. 3. n.34.* alijq; cōmuniter DD. & meritò, nam qui vouit ingredi religionem, directè, & per se non vouit ieiunia, carnis afflictationes, orationes, ac cetera huiusmodi, ad quæ professi eiusdem Religionis, ex vi professionis tenentur, sed absolutè directè, ac per se vouit solùm merum, ac nudum ingressum religionis, animo scilicet vt ipsum regularem statum experiatur, an sibi conducat, necne; vnde si post religionis ingressū agnoscat vouēs, nō esse suæ cōplessioni proportionatum Religionis viuendi modum, vtiquè tunc tuta conscientia poterit egredi, & sic sufficientissimè suo voto satisfecisse censebitur. Bardi. Auctor.

3 Hinc in commutatione dicti voti Religionis, quamuis cōsideranda sint omnia eiusdem Religionis onera, vt ieiunia, carnis macerationes, perpetua obedientia, paupertas, orationes, vigiliæ, aliaq; huiusmodi, vt inde prudenter ad proportionatam deueniatur commutationem, non sunt tamen omnia dicta onera veluti in vna lance ponēda, vt sic ad aliquid aliud omninò æquiualens obligetur vouens; nam ex vna parte incertum omninò est, an vouens sit in religione perseueraturus, si illam ingrediatur (vt dictum est) & cōsequenter incertum similiter est, an vouens sit dicta religionis onera subiturus: ex altera verò parte certissimè, & omninò tenetur vouēs exequi opus loco voti substitutum, (posito quod nolit ingredi religionem) quæ quidem certitudo cùm sit prætio æstimabilis (vt patet) connumeranda

meranda etiam erit cum opere substituto loco voti; atq; adeo tale opus substitutum, poterit ratione dictæ certitudinis longè excedere onera religionis, quamuis hæc, materialiter spectata, videantur illo maiora. Ex quibus patet ad rationem AA. in contrarium.

4 Stet igitur, votum hoc ingrediendi Religionem posse absolutè, & ad æqualitatem commutari, imò aliquando etiam in maius, eò quia multa Religionum onera sub nullo peccato obligant; è contrà materia loco talis voti subrogata, sub graui omninò adimplenda est.

DIFFICVLTAS II.

An Votum assumendi aliquem Ordinem ex Militaribus (excepto Ordine Melitensium) possit vi Bullæ commutari?

5 AN votum assumendi Ordinem Melitensium, seu Diui Ioannis Hierosolymitani possit vi bullæ commutari, dicemus infra. solùm ergò hic quærimus, An votum assumendi reliquos Ordines militares, vt D. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, & huiusmodi, possit vi bullæ commutari.

6 Negant *Lopez p. 2. instr.* C. 9. nonnullique alij, eò quia putant, omnes supradictos Ordines esse verè, ac propriè Religiones, prout docent communiter Iurisperiti, & nonnulli ex Theologis.

7 Affirmant tamen *Sotus l. 7. q. 5. ar. 3. Valent. to. 3. D. 10. q. 4. p. 2. Azor. to. 1. l. 13. C. 3. q. 2. Arag. in 2. 2. q. 88. ar. 11. Diana res. 78.* alijq; communiter DD, & meritò, primò quia reuera huiusmodi Ordines non sunt veræ Religiones, sed ad summùm semireligiones, cùm aliquid habeāt de vero statu religioso, multum autem de sæculari; vnde inter vtrumq; statum positæ, vouent quidem Castitatem, non tamen omnimodam, & perfectam, sed tantùm coniugalē. Secūdò quia reseruatio cū sit odiosa, nequit extendi nisi ad ea vota, quæ sunt absq; vllo dubio veræ, ac propriæ religionis vota; cum ergò satis controuersū sit, an huiusmodi Ordines sint veræ, ac propriæ religiones, consequenter votum assumendi supradictos Ordines nequit esse reseruatum, & sic poterit vi bullæ commutari, & ab Episcopo etiam dispensari.

8 Hinc conueniunt DD. votū ingrediendi aliquam Religionē non adhuc à Sum. Pontifice approbatam, non esse reseruatum, & sic posse vi bullæ similiter commutari, & ab Episcopo etiam dispēsari. Et meritò, nam nulla religio potest dici religio absolutè, nisi à Sū. Pontifice approbetur; & licèt aliquādo talis religio, nō adhuc approbata, veniat in fauorabilibus sub nomine Religionis, nunquam tamen in odiosis, prout est reseruatio.

9 Conueniunt similiter DD. votum assumendi habitum Mātellatorum, seu Mantellatarum D. Dominici, seu D. Francisci, & huiusmodi, quos Beatos, seu Tertiarios vocant, siue in proprijs domibus, siue collegialiter viuant, non esse votum reseruatum, & sic posse similiter vi bullæ commutari, & ab Episcopo etiam dispensari. Et meritò, nam hæ communitates, siquæ sunt, meræ congregationes

nes sunt, non autem veræ, ac propriæ religiones. Maior autem difficultas est circa votum assumendi Ordinem Melitensium.

DIFFICVLTAS III.

An Votum assumendi Ordinem Melitensium possit vi Bullæ commutari?

Fernan. Acosta. Cordub. Lud. à cr. Bardi.

10 NEgant *Fernād p. 3. exam. C.9. se.11. §.17. n.10. Acosta q. 73. Cordub. in sum. q.178. Rodriq. §.9. n.123. Lud. à Cruc. D. 1. C.6. d.11. n.8. Bardi p.2. tr.7. C. 2. n.182.* alijq; cōmuniter DD. eò quia talis Ordo est vera religio, emittit enim tria Vota essentialiter constitutiua Religionis, nempe Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ: gaudetque priuilegio Canonis, & fori: estque à tot Sum. Pontificibus approbatus, vnde per illius professionem dirimitur matrimonium ratum, non adhuc consummatum, ergò non est, cur votum assumendi Ordinem Melitensem non sit reseruatū æquè ac votum ingrediendi reliquas Religiones D. Dominici, D. Francisci, & huiusmodi.

11 Posset nihilominus quis affirmare, posse vi bullę commutari votum hoc assumendi dictum Ordinem Equitum Melitensium. probari autem poterit ex eo, quia adhuc dato, quod talis ordo sit verè, ac propriè religio, attamen quia multi, ac grauissimi DD. vt *Graff. tom.2. l.3. cons.11. nu.14. Sotus l.7. de ius. q.5. ar.3. Syluest. V. relig. 1. q.1. Panormit. in rub. de regul. nu.4. Gonzal. in reg.8. cancel. glos.8. n.57. Sarmien. de red. eccl. l.4. q.1. nu.13. Tallada de vis. car. C.11. §.4. num.13.* & alij docent, Ordinem istum Equitum Melitensium non esse verè, ac propriè Religionem, itaut reuocetur in dubium, An Ordo Melitensis sit vera religio, consequenter votum assumendi huiusmodi Ordinem nequit esse reseruatum; nam reseruatio vt odiosa, consequēter restringenda erit ad ea tātùm vota religionis, de qua nullum est dubium, an sit vera, ac propriè religio, vt supra dictum est, & omnes concedunt. atq; adeo tale votum assumēdi hunc Melitensium Ordinem, videtur posse etiam vi bullę commutari, & ab Episcopo dispensari.

Graff. Sotus. Syluest. Panorm. Gonzal. Sarmien. Tallada.

12 Existimo tamen non esse discedendum à priori sententia, cum propriè Ordo Melitensium sit vera religio, & vt talis à Summis Pōtificibus approbata.

DIFFICVLTAS IV.

An Votum ingrediendi aliquam Religionem obseruantem, possit vi Bullæ cōmutari in aliam religionē minùs obseruantem?

13 POsse vouentem, etiā propriâ virtute commutare suum votum ingrediendi aliquam religionem non obseruantem, in aliam religionem obseruantem, nulla est difficultas, vt etiam patet ex supradictis Q.1. Diff.1. Imò si votum fuerit ingrediendi aliquam religionem quoad essētialia collapsam, tunc ipso facto erit irritum, ac nullum, & hoc etiāsi lateat vouentē collapsus status illius

illius religionis; nam dùm determinatè, ac signanter quis vouit talem statũ, posito quod ad hunc ipsum statum non tenetur, ad nullum alium tenebitur.

14 Controuertitur ergò solùm, An Votum ingrediendi religionem aliquam strictiorem, commutari possit, saltem vi bullæ, in aliam religionem laxiorem, dummodo tamen hęc quoad essentialia non sit collapsa.

Nauarr. Lopez.

15 Negant *Nauar.com.4.de rel. nu.10.& Lopez p.2.inst. C.9. de clau.* primò quia Voti commutatio vi bullę, fieri debet in aliquod temporale subsidium sacrę expeditionis, ergò votum strictioris religionis nequit sufficienter vi bullę commutari in religionem laxiorem. Secundò quia hoc non esset pura commutatio, sed admistam haberet etiam dispensationem, quę vi bullę fieri nequit.

D. Anto. Sotus. Sanchez. Palud. Azor. Lud. à cru. Trullen. Diana Bardi. Auctor.

16 Affirmant tamen *D. Anton. 2.p.tit.11.C.12.§.9. Sotus l.7.ius. q.4.ar.3. Sanch.l.8.de mat.D.15. num.5. Palud in 4.q.4.D. 38. ar. 4. Azor.l.11.C.18.q.8. Lud. à Cr. D.1.C.6.d.11.n.9. Trullen. l.1.§. 7.C.3.d.16.nu.7. Diana ref. 55. Bardi p.2.tract.7.C.2.num.172.* alijq; communiter DD. & meritò, nam reseruatio cùm sit odiosa, cadit solùm supra substantiam voti, nō autem supra circumstantiam, seu qualitatẽ, quę omninò per accidens se habet ad votum (vt supra etiam dictum est;) iam hæcceitas, seu indiuiduatio religionis (dummodo status religiosus quoad essentialia integer perseueret) per accidens se habet ad votũ religionis; ac proinde non erit reseruata, & consequenter poterit vi bullę commutari, & ab Episcopo etiam dispensari.

17 Ad primam verò rationem AA. in contrarium Dico, non necesse esse, vt voti commutatio vi bullę tota fiat in aliquod subsidium sacrę expeditionis totaliter temporale (vt supra Q.1.n.66. dictum est) sed satis benè fieri poterit partim spirituale, vt de facto est quilibet status religiosus, & partim tẽporale; vnde excessus ille strictioris religionis poterit ad summum aliquà eleemosynà in subsidium dictæ expeditionis suppleri, & sic haberetur etiam omnimoda ęqualitas in materià pro voto subrogatà, & consequenter nulla admisceretur dispensatio, & sic patet etiam ad secundam rationẽ AA. Adde per nos posse votũ vi bullę cōmutari etiam in minus, iuxtà supradicta Q.1. à n.19.

DIFFICVLTAS V.

An Votum Religionis vt sic, possit vi bullæ commutari in Religionem Equitum Melitensium?

18 CONueniunt DD. Votum ingrediendi religionẽ, posse cōmutari in religionem aliquam ex militaribus, quoties illius professores in communitate viuunt. Difficultas ergò solùm est, quandò professores huiusmodi Religionum militarium, neque claustratè, neque in communitate viuunt. & quidem primò dicemus de Religione Melitensi, an scilicet possit in illam commutari votum religionis vt sic: de reliquis verò in sequenti Difficul. dicemus.

Cordub. Sanch. Portel. Ba.à S.F. Bardi.

19 Negant *Cordub sum. q. 148. Sanch. to. 2. sum. l. 4. C. 16. n. 12. Portell. in add. V. relig. n. 4. Bartol. à S. Faust. l. 1. thes. q. 187. Bardi p. 2. tr. 8. C. 3. nu. 45.* alijque, quorum ratio est, quia qui religionem vouit, vtique statum humilem, & à sæculi pompis, ac curis semotum intendere videtur, atque adeo religionē claustralem, cuiusmodi non est Religio Melitensis, & consequenter votum ingrediendi religionem, nequit vi bullæ commutari in religionem Melitensem. Confirmari etiam poterit ex eo, quia votum ingrediendi hanc Religionem Melitensem (iuxtà supradicta n. 11.) potest probabiliter vi bullæ cōmutari, ergò perfectio istius Religionis non est absolutè comparabilis cum perfectione aliarum religionū ex claustratis, atque adeo non videtur absolutè commutabilis status religiosus vt sic, in religionem militarem non claustratè viuētem.

Azor. Aragon. Auctor.

20 Affirmant tamen *Azor. tom. 1. l. 13. C. 4. q. 4. Aragon. in 2. 2. q. 88. ar. 11.* alijque, & meritò, nā Illustrissimus hic Ordo Melitensium est vera religio; quod licèt in dubium reuocetur ab aliquibus DD. (vt suprà diximus n. 11.) omninò tamen certum est, in fauorabilibus sub nomine Religionis, absolutè venire etiam Ordinem Melitensem; iam potestas hæc bullæ commutandi vota, est priuilegium omninò fauorabile, & consequenter largè sumēdum, atq; adeo votum religionis vt sic, benè commutari poterit in Religionem etiam Melitēsem. è contrà reseruatio est odiosa, & consequentèr restringenda, atque adeò ad ea sola Religionis Vota tantùm extendenda, quæ absque vllo dubio verè, ac propriè religio est.

21 Quòd autem Ordo Melitensis non sit longè à sæculi pompis, est omninò per accidens. quòd vouens in religionē præsumatur intēdere statum claustralem (nisi hoc expresè intendat) non præsumi debet, sed probari. Ex quibus patet tàm ad rationem AA. in contrariū, quàm ad illius confirmationem ad hominem contrà nos; aliud enim est loqui in odiosis, aliud verò in fauorabilibus.

DIFFICVLTAS VI.

An Votum Religionis vt sic, possit vi Bullæ commutari in Religionem Equitum D. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ?

22 NEgant *Molina tom. 1. de iust. D. 141. Azor. to. 1. l. 13. C. 3. q. 2. Aragon. in 2. 2. q. 88. ar. 11.* omnesq; illi, qui hoc ipsum negant de religione Melitensi, & ferè cōmuniter DD. quorum ratio est, quia huiusmodi Ordines non sunt absolutè, ac simplicitèr religiones, cùm de facto neque tria Vota essentialia religionis emittant, vt constat, neque claustratè, neque in communi viuant. Confirmant etiam ex eo, quia profiteri in huiusmodi Ordinibus, est potiùs honos, quàm onus: qui autem religionem vouit, secundùm prudentum existimationem, onus absolutè subire intendit, non honorem. *Molina. Azor. Aragon.*

As-

23 Affirmant tamen *Nauarr. l. 1. consi. de rel. consi. 10. Medina de contin. C. 39. Pontius de matri. caus. 27. q. 2. §. 4.* omnesquè illi, qui absolutè putant, huiusmodi Ordines esse verè, ac propriè religiones. & meritò, nam adhùc dato, huiusmodi Ordines non esse veras religiones, negari tamen non potest, omnes supradictos Ordines absolutè venire sub nomine Religionis saltem in fauorabilibus: iam potestas hæc bullæ commutandi Vota est priuilegium omninò fauorabile, & consequenter largè sumendum (vt sępe dictum est) atq; adeo, quoad fieri potest, in fauorem vouentis interprætandum; & sic votum ingrediendi religionem aliquam in communi, benè cõmutari poterit (saltem vi bullæ) etiam in aliquẽ ex supradictis Ordinibus Militaribus Diui Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, dummodò vota emittantur iuxta præscriptum Alexandri III. & huiusmodi, vt de Ordine Melitensi suprà dictum est. ex quibus patet ad rationem AA. in contrarium.

24 Quòd autem profiteri in huiusmodi Equitum Ordinibus, sit magis honos, quàm onus, parum refert, nam non pauci profitendo etiam in religionibus claustratis, multum honoris similiter, imò maximum aliquando recipiunt.

ex quibus patet ad confirmationem; substantia enim hîc status religiosi attendendus est, non circumstantiæ.

DIFFICVLTAS VII.

An Votum perseuerandi in Religione possit vi Bulla commutari?

25 NEgat *Galleg. C. 9. claus. 9. p. 3. §. 2. d. 123.* cuius ratio est, quia votũ hoc perseuerãdi in religione, ait, non est minus religionis votum, quàm votum ingrediendi religionem, cùm vna, & eadẽ Religio sit vtriusq; voti obiectum: quarè si votum ingrediendi religionem est reseruatum, erit similiter reseruatum, & votum perseuerandi in religione. Confirmat, seu deducere hoc intendit ex S. T. 2. 2. q. 88. ar. 4. vbi S. Doctor docet, quod vouens solum Religionis ingressum, nõ tenetur nisi religionem ingredi; vouens verò in religione perseuerare, tenetur non solùm religionem ingredi, sed etiam in eàdem perseuerare, ac perpetuò remanere. *Gallegus.*

26 Affirmant tamen *Sanch. l. 8. de matr. D. 15. num. 4. Fagund. in decal. l. 2. C. 43. n. 9. Trullen. l. 1. §. 7. C. 3. d. 15. nu. 7. Palaus tom. 3. tr. 15. p. 5. nu. 10. Malder. in 2. 2. tr. 10. C. 5. Diana ref. 79. Mendus D. 26. C. 12. nu. 135. Bardi p. 2. tr. 7. C. 2. nu. 169.* aliiq; communiter DD. & meritò, nam Votũ religionis de suo primo conceptu nihil aliud dicit, nisi assumptionem status religiosi: assumptio autẽ status religiosi sufficienter habetur per merũ, ac nudum ingressum ipsius religionis, atq; adeo duratio, seu perseuerantia in tali statu erit quid consequens, seu additũ ad votũ religionis; eo modo, quo positio rei extrà causas est de *Sanchez. Fagund. Trullen. Palaus. Malder. Mendus. Diana Bardi. Auctor.*

primo cōceptu creationis, duratio autē, seu cōseruatio eiusdē rei est quid consequens, seu additum ad ipsam creationem; quarè reseruatio, vt odiosa, restringi debet ad id solum, quod est de primo conceptu voti religionis, & sic non extendenda est ad ea, quæ consequenter se habent ad tale religionis, cuiusmodi est perseueratio in religione, vt dictum est. Votum ergò perseuerandi in religione poterit vi bullæ commutari, & ab Episcopo etiam dispensari.

27 Adde, aliquos DD. (nec tàm improbabiliter) docere, nullam esse necessitatem commutationis, seu dispensationis in huiusmodi voto, sed posita rationabili caussa, posse vouentem, absque vlla voti fractione, egredi è religione, tempore Nouitiatus, saltem si bona fide fuerit illam ingressus.

28 Ex quibus satis patet ad rationem *Galleg.* in contrarium, eiusq; probationem; nam Votum perseuerandi in religione cùm supponat ingressum religionis, atquè adeo non habeat pro obiecto nisi quid consequens, seu quid additum ad ipsum ingressum religionis, hoc est ipsam continuationem in statu religioso, nequit absolutè dici votum religionis, nisi secundùm quid, & consequenter nequit esse reseruatum; & hoc non solùm si fiat per modum plurium, ac separatim, hoc est quando priùs emittitur votum ingrediendi religionem, ac deinde votum hoc perseuerandi: sed etiam quando fit per modum vnius cum ipso voto ingrediendi, hoc est quando quis vouit, se in religione perseueraturum, tunc .n. votum istud æquiualet duobus, nempè & voto ingressus & voto perseuerandi, & in hoc secundo includitur virtualiter primum; quarè vi bullæ commutari poterit prout importat solam perseuerantiam, non autem prout importat ingressum. Et idem dico de dispensatione in ordine ad Episcopalem potestatem.

29 Doctrina verò D. Thomæ, in qua *Gallegus* suam fundat opinionem, quamuis verissima sit, nihil tamen facit ad rem; aliud enim est loqui de obligatione, aliud de reseruatione, nam longè plus requiritur ad reseruationem, quàm ad obligationem (vt fusè suprà diximus Q. 2. n. 32.) vnde omnia vota per se obligant, non autem omnia subiacent reseruationi, etiamsi sint circa materiam reseruatam; quarè concedo, vouentem perseuerantiam teneri ex vi voti ad perseuerandum, non inde tamen sequitur huiusmodi votum esse reseruatum.

DIFFICVLTAS VIII.

An Votum ingrediendi Religionem cum animo expresso nō perseuerandi, possit vi Bullæ commutari?

30 SI quis emisit votum ingrediēdi Religionē, & simul, ac p modū vnius voluit egressū, itaut ingressus nō fuerit quo modocūq; promissus, sed vt cōuestitus, seu associatus cum intentione egrediēdi, & sic egressus fuerit compars materiæ rei promissæ; tunc conueniunt DD. tale votum esse irritum, ac nullum vtpote de re mala, & illici-

illicita. Et meritò; nam malus, ac illicitus est egressus à Religione absq; causa iusta & consequenter nulla indigebit commutatione.

31 Controuertitur ergò solùm, an tale votum sit validum, & consequenter reseruatum, cùm fuerit circa materiam reseruatam, si egressus non fuerit pars materiæ promissæ, sed tota materia fuit solus ingressus, egressus verò concomitãter dumtaxat fuerit volitus.

Sanch. *Bardi.*

32 Et quidem affirmant *Sanch. sum.l.4.C.7.n.78. Bardi de consc. dub.disc.6.C.2.§.21.n.2.* alijque quorum ratio est, quia voluntas illa ingrediendi cùm solùm concomitanter se habeat, nequit tollere onestitatem, quæ reperitur in ipsa materia promissa, nempe in ingressu, & solùm per accidẽs se habebit mala illa circũstantia. sicuti siquis, aiunt, voueret audire Sacrum, habens tamen prauam voluntatem inuisendæ mulieris in Ecclesia, teneret votum, dummodo praua illa voluntas non fuerit pars materiæ, circa quam versabatur votum.

Caramu. *Tambur.* *Auctor.*

33 Negant tamen *Caramuel.l.3. Theol.mor.n.1465. Tambur. in dec.l.1.C.3.§.7.n.16.* alijque, & meritò, nam quamuis ingressus secundùm se sit bonus, & honestus, attamen ex concomitãtia egressus, ipse ingressus non solùm redditur malus, sed quod plus est, à toto suo esse corruit, & consequenter erit nulla, ac irrita talis promissio, & æquè ac si nihil promitteret; vt siquis Deo promitteret dare eleemosynam pauperi, & simul intenderet illam à tali paupere surripere, vtique talis promissio nulla esset, ac frustatoria; ita & in casu nostro; atq; adeo supradictum Religionis votum non solùm poterit vi bullæ commutari, verum etiam nulla absolutè indigebit commutatione.

34 Ad rationem autem AA. in contrarium patet ex dictis; nego enim voluntatem egrediendi in casu nostro, quamuis concomitanter se habeat, se habere per accidens, dum ex ea totum esse rei promissæ corruit, & deperditur.

35 Ad Confirmationem verò à pari, nego paritatem; & disparitas est, quia in casu posito benè stat simul, & in sensu composito videre sacrum cum visione mulieris, secus autem stare simul possunt & in sensu composito ingressus, & egressus, vt patet, ac se habent vt esse, ac non esse eiusdem rei quæ sicuti nequeunt simul, & in sensu cõposito à parte rei subsistere, ita neque poterunt simul, & in sensu composito subsistere in promissione; esset enim idem simul promittere, & non promittere, vt ex exemplo allato de eleemosyna etiam patet.

36 Si verò priùs promittatur ingressus, & deinde habeatur intentio egrediendi è Religione, tunc cùm in illo priori habeantur omnia requisita ad substantiam talis voti, vtiquè absolutè tale votum erit validum, & reseruatum. quod si dubitetur, an intentio egrediendi fuerit simul volita cum ingressu, necne tunc, cùm possessio stet pro vouente, sanè tale votum neque erit reseruatum, quia dubium tollit reseruationem, vt alibi etiam dictum est; imò ad nihil videtur obligandus in tali casu vouens.

DIF-

DIFFICVLTAS IX.

An per assumptionem ad Episcopatum remaneat commutatum Votum Religionis?

Rodriq. Herriq. Viuald. Sà,

37 AFfirmāt *Rodriq.to.2.sum.C.6.n.6 Herriq.l.10.de Ord.C.32.n.5. Viuald.p.1. Cand. Sà V. Episc.n.2.* nonnulliq; alij. quorum ratio est, quia status Episcopalis *ex c.licèt, de reg. & c.veniens, de iure iur.* est perfectior statu religioso, ergò Votum religionis per assumptionem ad Episcopatum sufficienter remanet commutatum, imò per excessum.

S.Thom. Caiet. Suarez. Sanch. Layman. Azor. Palaus. Fagund. Less. Bardi. Auctor.

38 Negant tamen S. *Tho. 2.2.q.189.ar.3.Caiet. ibi. Suar. to.3.de rel.l.1.C 19.n.3.Sanch. l.4. decal. C.17.n 5.Laym.l.4.sum.tr.5.C.6.q.vlt. Azor.to.1.l.11.C.16.q.2.Palaus to.3.tr.16.D.1.p.6.n.2.Fag. l.2. decal. C. 49. n.21.Less.l.2.C.4.d.10.n.103.Bardi p.2.tr.7.C.3.n.52.* alijq; communiter DD. & meritò, primò quia in *c.Perpetuas, de Voto,* Innocentius III. consultus ab Episcopo Gratianopolitano, qui antequam ad Episcopatum assumeretur, vouerat se ingressurũ Religionem; respondet ei: *Si tuam desideras sanare conscientiam, regimen resignes Ecclesiæ, & sic reddes Altissimo vota tua.*

39 Iam verò si votũ istius Episcopi ingrediendi religionem commutatum remanisset per assumptionem ad Episcopatum, satis quidem ineptè Pontifex illi dixisset, vt Episcopatum relinquat, & religionem ingrediatur, vt sic suam conscientiã sanet; de quonam quæso vlcere curandus erat, si absque voti fractione Episcopatum acceptauit?

40 Ad hunc textum, qui euidentissimè nostram probat sententiam, varias AA. ac multas, vt ab illius molestia sese extricarent, excogitarunt responsiones, sed nullius sanè momenti, vt videre est apud Bardi ci. à n. 54. ad quem, breuitati consulens, me remitto.

41 Probatur secundò ratione, eò quia status religionis, est status mortificationis, paupertatis, cōtēptus mundi, humilitatis, &c.; è contra status Episcopalis est supremę dignitatis, diuitiarum, honorum, &c. (ac præsertim hoc temporis) ergò status religiosus nullam habet comparabilitatem; & consequenter nullam habebit commutabilitatem cum statu Episcopali, & sic non poterit votum Religionis cum statu Episcopali absolutè commutari.

42 Probatur Tertiò, quia status Episcopalis nullo modo venit sub nomine Religionis, neque è contrà, adhuc largissime loquendo, ergò &c.

43 Ad rationem verò in contrarium desumptam ex *c.Licet, ci.* Dico, statum Episcopalem dici perfectiorē statu religioso, perfectionis tamen acquisitæ, seu exercendæ, non autem acquirendæ; quatenùs scilicet Religio, cùm sit status per se, & ex natura sua semotus ab occasione peccandi, & vt sic intendat dare perfectionem, consequenter non requirit per se hominē iam perfectum; sed ad summũ tendentem ad perfectionem; è contrà verò status Episcopalis, cùm multa inuoluat peccandi pericula, & ad malum excitamenta, consequenter necessa-

riò

riò requirit hominem iam perfectum, aliter facillimè commissas sibi à Deo oues, ante Ambitionis, ac Auaritiæ arã turpissimè mactabit, ac perdet, tantùm aberit vt pro illis suam animam ponet.

44 Hinc status Episcopalis rectè dicitur status exercẽdæ perfectionis iam acquisitæ, non autem absolutè status acquirẽdæ perfectionis, vt de statu religioso absolutè dicitur, ac proinde quoad securitatẽ propriæ salutis, longè tutior est Religio, quàm Episcopatus, vt patet.

45 Quare qui Votum ingrediẽdi religionem habet, antequam Episcopatum assumat, & sic reddatur impotens ad exequẽdum tale votum, tenetur priùs obtinere dispensationẽ à Sum. Pontifice, aliter grauissimè, ac sacrilegè peccabit.

DIFFICVLTAS X.

Quomodo commutandum sit Votum Religionis?

46 POsitis ijs, quæ hactenùs dicta sunt tàm de commutatione votorum in genere, quàm in specie, solùm superest adnotare aliqua hic, quæ specialiter, ac propriè pertinent ad commutationem præsentis Voti Religionis, prout communiter DD. docent in hac materia maximæ considerationis, ac prudentiæ.

47 Confessarius igitur commutaturus votum Religionis, spectare primò debet essentiam ipsius religiosæ professionis consistentem in tribus substantialibus votis Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ. Secundò onera per se annexa tali statui distincta à dictis votis, vt est obligatio recitãdi quotidiè Horas Canonicas. ac Tertiò ieiunia, ac reliquas asperitates talis Religionis; pro quibus omnibus, ac singulis imponi debet aliud pium opus, quoad fieri poterit, æquiualens.

48 Et quidẽ primò iniungi poterit aliqua eleemosyna tum loco Voti religiosæ Paupertatis, tum in honorem, ac cultum Institutoris, seu Fundatoris illius Religionis, si fuerit Sanctus seu Beatus; iuxta mensuram facultatum vouentis, singulis annis arbitrio prudentis Confessarij.

49 Similiter iniungi poterunt aliqua ieiunia, præsertim singulis sextis ferijs, aliæque asperitates, & mortificationes, vt est gestare cilicium, saltem singulis mensibus, se cedere flagellis, & huiusmodi, tã loco Voti religiosæ Obedientiæ, quàm pro illis ieiunijs, & asperitatibus, quas in religione esset subiturus, plùs, minùsue prout confessario videbitur iuxtà qualitatem illius Religionis quam esset vouens ingressurus.

50 Loco Voti Castitatis religiosæ exigi poterit à vouente status Sacerdotalis, vel perpetua Castitas, vel saltem Votum castitatis coniugalis.

51 Insuper onus recitandi quotidie Horas Canonicas, si statum clericalem fuisset vouens in religione suscepturus, vel saltem Officium Beatæ Virginis vel integrum illius Rosarium.

52 Demùm obligabitur ipse vouens ad frequentem confessionem, & communionem ad minùs decimoquinto quoque die quæ quidem omnia, quamuis

uis non videantur attingere omnimodam æqualitatem religiosæ professionis, attamen ratione certitudinis (vt suprà Dis.1. præsertim n.3. ad quæ me remito, dictum est) non omninò id negandum videtur.

53 Atque hæc satis dicta sint circa commutationem Votorum tàm non reseruatorum, quàm reseruatorum, pro breuitate, quam profiteri conamur.



DISPV-

DISPVTATIO NONA

DE POTESTATE, AC IVRISDICTIONE COMMISSARII GENERALIS BVLLÆ CRVCIATÆ.

A §.XX. vsquè ad finem huius Bullæ Sum. Pontifex sermonē dirigit ad Commissarium Generalem eiusdem Bullæ, illi amplam circa multa delegando Iurisdictionem, ac potestatem, de qua in præsenti, ac sequenti Disputatione dicemus.

QVÆSTIO I.

De Potestate Commissarij Generalis suprà Indulgentias,& gratias extra Bullā concessas.

SVm.Pontifex quinque præcipuas potestates concedit Cōmissario Generali Cruciatæ. prima est supra Indulgentias, facultates, & gratias extra bullam Cruciatæ concessas. Secūda est circa aliquas irregularitates. Tertia ad validandum matrimonium, prolemq; legitimandam. Quarta circa horam celebrandi; de quibus in præsēti Disputatione agemus. Quinta demum potestas dicti Commissarij est, posse componere super bona incerta. quæ quidem potestas cùm plures, ac varias includat difficultates, ideo de illa specialem, ac propriā infra instituemus Disputationem.

Carolus Latius in Bull. Cruc.

DIFFICVLTAS I.

Quænam gratiæ in communi suspendantur?

1 COnueniunt DD. suspendi à Commissario Generali Cruciatæ omnes, & singulas gratias, quæ impediunt vsum intentum per concessionem ipsius Cruciatæ; sic enim expressè habetur in litteris suspensionis, quæ sunt in fine bullæ, in quibus dictus Commissarius Generalis declarans motiuum talis suspensionis, sic ait: *Eadem auctoritate Apostolica nobis per præfatas litteras cōcessa, ne adeo pium, & sanctum opus disturbetur, & impediatur per alias indulgentias, gratias, facultates, & concessiones, suspendimus durante anno prædicationis, & publicationis huius Cruciatæ omnes similes & dissimiles gratias,&c.* ex quibus satis patet, solas illas gratias suspendi, quæ tam pium Cruciatæ opus impediūt, secus autē quæ illud nullo modo impediunt.

2 Conueniunt similiter DD. non suspendi hic Priuilegia, & gratiæ, quæ sũt per modum contractus. & meritò, nã clausulę generales etiam expresę, nisi dicant reuocari ipsa priuilegia, etiam per modum contractus, vtiq; non erunt sufficientes ad reuocandum huiusmodi priuilegia. iam per bullã Cruciatę nullum priuilegium concessum per modum contractus reuocatur, ergò neque suspenditur; eo quia Princeps adstrigitur ad pacta seruanda, nisi in casu, quo talis adesset caussa, vt non obstante pacto debeat omninò reuocare, vel ad tempus suspendere priuilegium. Et idem videtur dicendum de priuilegio concesso intuitu meritorum, & per modum remunerationis; nam hoc reducitur ad priuilegium per modum contractus.

3 Similiter neque suspenduntur priuilegia, quę continent clausulam, *Vt nequeant reuocari, nisi de illis fiat specialis mẽtio*, vnde dicuntur priuilegia qualificata. & meritò, quia in hac bulla dum conceditur potestas suspendendi omnia indulta cõtraria, nõ habetur alia clausula resistens illi clausulę speciali, modo infrà dicendo.

4 Neque similiter suspenduntur priuilegia circa materias diuersas ab illis, quę in ipsa Cruciata continentur. patet, quia dum talia priuilegia diuersam claudunt materiam, nequeũt vsum Cruciatę impedire; & sic non suspẽditur priuilegium alienandi bona ecclesiastica, seu testandi: neq; priuilegium retinendi plura Beneficia ecclesiastica: neque priuilegia circa recitationem horarum canonicarum: neque priuilegiũ dispẽsandi in irregularitatibus, seu cõmutãdi vota reseruata, & huiusmodi, ad quę nõ se extendit bulla Cruciatę.

5 Et quamuis in hac suspensione dicantur suspendi omnes gratię similes, & dissimiles &c. vt dictum est; Ly tamen *Dissimiles* non importat gratias dissimiles, seu diuersas quoad substantiam, sed solùm quoad modum illas exequendi; e.g. vi bullę conceditur facultas sepeliendi in loco sacro, tempore interdicti, cum moderata pompa: iam si Sum. Pontifex concederet alicui, extra bullam, priuilegium eadem gratia fruendi, absque vlla tamen pompa, tunc tale priuilegiũ diceretur dissimile in pręsenti materia; diceretur autẽ absolutè simile priuilegio dicto bullę, si etiã cũ ea dẽ põpa sepeliri cõcederetur.

6 Demùm non solùm vi pręsentis suspensionis suspendũtur omnes gratię, priuilegia, & huiusmodi concessiones similes, vel dissimiles, si nullam contineant clausulam, modo dicto; sed etiam consuetudines dictũ Cruciatę vsum impedientes, vel retardantes; nam consuetudo cùm se habeat tanquam communis lex, quę per posteriorem legem contrariam abrogatur, sic & consuetudo, quę se habebit vt lex, per Cruciatã suspendetur, sicuti & reliqua indulta à Pontifice obtenta, si impediant, seu retardent Cruciatę vsum, vt dictum est.

7 Atq; hęc satis sint ad dignoscẽdũ, quęnã priuilegia, seu gratię per hanc Cõmissarij Generalis suspẽsionem veluti in cõmuni suspẽdãtur. restat nũc videre, quęnã priuilegia, seu gratię

tiæ in particulari per eadem similiter suspensionem suspendatur, quæ verò minimè; quarè sit.

DIFFICVLTAS II.

Quanam gratia in particulari suspendantur?

8 CONueniunt DD. per hanc Commissarij Generalis Cruciatæ suspensionem suspendi facultatem assistendi Diuinis, seu celebrandi tempore interdicti, nisi in casibus de Iure cõmuni permissis. Secundò priuilegium sepeliendi defunctos in loco sacro, dicto interdicto durante. Tertiò facultatem comedendi carnes, & lacticinia diebus prohibitis. Quartò Indulgentias concessas locis sacris, & pijs, ac personis particularibus. Quintò priuilegium ad absoluendum à reseruatis. ac Sextò potestatem se componendi pro incertis, & turpiter acquisitis.

9 Controuertitur autem, An Indulgentiæ concessæ granis benedictis, imaginibus, coronis, & huiusmodi, suspendantur ex vi præsentis bullæ suspensionis.

10 Negant *Lud. à Cruc. D. 1. C. 9. d. 1. n. 13. Riccius in add. ad §. 12. n. 2.* nonnulliq; alij; quorum ratio est, quia huiusmodi Indulgentiæ non conceduntur singularibus personis, neque Monasterijs, seu Ecclesijs, Hospitalibus, aut alijs pijs locis, sed toti populo Christiano, seu cunctis fidelibus, atq; adeo non videntur comprehendi sub illis, quæ per bullam suspenduntur. *Lud. à cr. Riccius.*

11 Affirmant tamen *Rodriq. §. 12. n. 11. Vega sum. to. 1. V. grani bened. cas. 1. Trullen. l. 1. §. 9. d. 1. n. 2. Bardi p. 3. tr. 1. C. 2. n. 9.* alijque & *Carolus Latius in Bull. Cruc* meritò; primò quia hæ Indulgentiæ impediunt aliquo modo vsum Cruciatæ, vt patet. secundò quia continentur sub indulgentijs, quæ personis singularibus conceduntur, ac proinde per præsentem suspensionem suspenduntur. *Rodriq. Vega. Trullen. Bardi. Auctor.*

12 Ad rationem verò in contrarium AA. cõcedo, dictas Indulgentias concessas esse populo christiano; attamen quia populus christianus ex personis singularibus constat, proinde idẽ est esse concessas populo Christiano, ac personis. Adde etiam huiusmodi Indulgentias multotiès concedi personis singularibus signanter. An verò similiter suspendantur indulgentiæ, quæ ab Episcopis, vel Archiepiscopis concedi solent, dicemus Difficultate sequenti, n. 14.

DIFFICVLTAS III.

Quanam sit potestas Commissarij Generalis Cruciatæ in Ordinarios locorum?

13 SVm. Pontifex concedit similiter dicto Commissario Generali plenam potestatẽ inquirendi, an Ordinarij locorum omittant applicare huic sacræ expeditioni pecunias ex pœnis perceptas, & reperiens Prælatos esse in hoc negligẽtes, possit illos compellere ad exequutionem etiam per monitoria, & censuras. Similiter imponitur eidem Cõmissario vt procedat contra patrantes aliquid in præiudicium huius Cruciatæ.

14 Ceterùm conueniunt DD. non posse dictum Commissariũ ex vi prædictæ suæ potestatis suspendere Indulgentias, quæ ab

Epiſcopis, vel Archiepiſcopis concedi ſolent. & meritò nã ex vi Cruciatæ ſolùm conceditur Cõmiſſario facultas ſuſpendẽdi indulgentias,& gratias conceſſas, à Sum.Pontificibus, ſeu ab alijs ex delegata Sedis Apoſtolicæ facultate; Epiſcopi autem non ex delegatione,ſed auctoritate ordinaria, & iure Diuino poſſunt indulgentias concedere, dependenter tamen à Sum.Pontificis voluntate, iuxta ſupradicta D.4.Q.1.n.10.An verò idem dicendum ſit de Indulgentijs, quæ vi priuilegiorũ Ordinum Mendicantium conceduntur,dicetur infrà, tàm in ordine ad proprios regulares, quàm in ordine ad ſæculares.

DIFFICVLTAS IV.

An Indulgentiæ, & aliæ facultates à Sede Apoſtolica Mendicantibus conceſſæ, per præſentem Cruciatæ ſuſpenſionem ſuſpendantur?

Acoſta. 15 A*Coſta q.105. &* 108. docet, ſuſpẽdi quidem indulgentias Superioribus Mendicantium conceſſas in ordine ad Fratres, non autem ſuſpendi facultates,vt eſt v.g.illa,quæ eſt ad diſpenſandum in votis, vel ea commutanda,vel ad comedendas carnes, ſeu lacticinia diebus vetitis, & huiuſmodi. cuius ratio eſt, quia dùm Sum. Põtifex in clauſula reuocatoria excipit à præſenti ſuſpenſiones facultates Mendicantium, nullam mentionem facit de eorum Indulgẽtijs; ſub nomine autem facultatum, ait, non veniunt Indulgentiæ; hoc verò probat ex eo, quia aliquãdo Indulgentiæ conceduntur ſeparatim à facultatibus. quarè ſecundùm hanc opinionem, nequeunt Mendicantes frui Indulgentijs etiam propriæ religioni conceſſis, niſi hanc bullam ſumant.

16 At *Lud.à Cruc.D.1.C.9.d.1.num.6.Rodriq.§.12.n.4.Villalob.ſum.to.1.tr.27.clauſ.12.num.10.Trullen.l.1.§.9.d.3.n.2.Io.à Cru.epit.l.2.C.7.d.3.concl.2.Nuñus in 3.p.tom.2.hìc §.4.Bardi p.3.tr.1.C.3.n.3.* alijq; communiter DD. abſolutè aſſerunt neq; Indulgentias,neq; facultates,neq; alia quęcunq;priuilegia conceſſa Superioribus Mendicantium per bullam hìc ſuſpendi in ordine ad proprios Fratres.& meritò, nam dùm in hac bulla dicitur: *exceptis tamen conceſſis Ordinum Mendicantium ſuperioribus, quoad eorum fratres tantùm,* vtique talis exceptio ſe extendit ad omnia pręcedẽtia, ſupra quę cadit ſuſpenſio, inter quę ſunt Indulgentię (vt ſupra dictum eſt)ergò etiam Indulgẽtię Mendicantium Superioribus conceſſę à tali ſuſpenſione excipiuntur, & inſuſpenſę,ac illibatę remanent; quoad eorum tamen fratres, vt etiam dictum eſt; & hoc etiamſi concederem *Acoſta,* ſub nomine facultatum non venire Indulgentias. *Lud.à cr. Rodriq. Villalob. Trullen. Io.à cr. Nuñus. Bardi. Auctor.*

17 Ad maiorem tamen noſtrę opinionis confirmationem addo, omninò falſum eſſe, indulgentias non comprehendi ſub nomine facultatum; idem enim eſt concedi indulgentiam aliquam, ac concedi facultatem lucrandi aliquam Indulgentiam & conſequenter Indulgentia eſt

ſpe-

ſpecies facultatis. Quod ſi aliquando in conceſſionibus Pontificijs ſeparatim agitur de indulgentijs, ac reliquis facultatibus, id fit maioris claritatis gratia.

18 Religioſi igitur mendicantes non indigent bulla Cruciatæ ad hoc vt fruantur indulgẽtijs conceſſis eorumdem ordinibus, ſeu eorumdem Eccleſijs. an verò idem dicendum ſit de indulgentijs conceſſis Ordinibus non Mendicantibus, dicetur Difficultate ſequenti.

DIFFICVLTAS V.

An Indulgentiæ & aliæ facultates conceſſæ Ordinibus non Mendicantibus, per ſuſpenſionẽ Cruciatæ ſuſpẽdantur?

19 QVatuor in iure Canonico enumerantur Ordines Mendicantes, nempè D. Dominici, D. Franciſci, Carmelitarũ, & D. Auguſtini, quibus deinceps addita eſt Societas Ieſu, cum alijs. quærimus ergò in præſenti, An indulgentiæ, gratiæ, aliæq; facultates conceſſæ à Sede Apoſtolica Ordinibus Mendicantibus, per Cruciatam ſuſpendantur, necne, ſicuti de indulgentijs; alijſq; facultatibus conceſsis Ordinibus mendicantibus dictum eſt.

20 *Herriq. l. 7. C. 22. n. 4. Valer. in diff. vtriuſq; fori V. abſolut. nu.* 45. nonnulliq; alij ſuſpendi affirmant; quorum ratio eſt, quia bulla in ſupradicta exceptione de ſolis Ordinibus Mendicantibus loquitur; ac proinde non mendicantes nequeunt tali exceptione gaudere; exceptio enim firmat regulam in oppoſitum. *Herriq. Valer.*

21 At *Villalob. ſum. to. 1. tr. 27. clauſ. 12. n. 11. Acoſta q. 105. Bardi p. 3. tr. 1. C. 3. n.* 10 alijque ſimiliter ſuſpendi negant, æquè ac ſuprà diximus de indulgentijs, ac facultatibus conceſsit Ordinibus mendicantibus. & meritò, nam Religioſi non mendicantes communicant cum priuilegijs mendicantium, inter quorum priuilegia eſt præſens exceptio, ergò etiam communicant in hac exceptione; non enim eſt maior ratio, quarè poſsint participare in alijs priuilegijs, non autem in iſto. ceterùm ſi aliquis Ordo non mẽdicantium nullo modo communicabit cum priuilegijs mẽdicantium, vtiq; non gaudebit tali exceptione, & conſequenter eius indulgentiæ, aliæq; facultates ſuſpendentur vi præſẽtis ſuſpenſionis Cruciatæ. *Villalob. Acoſta. Bardi. Auctor.*

22 Ad rationem verò AA. in contrarium patet ex dictis; cõcedo enim ex vi Cruciatæ Ordines non mendicantes nõ excludi à præſenti ſuſpenſione; hoc autem non tollit, quin ex alio titulo poſsint excludi, ac gaudere eadẽ exceptione, qua mendicantes gaudent; hic autẽ titulus eſt communicatio cum mendicãtibus in omnibus gratijs, & priuilegijs, vt dictum eſt.

23 Atque hæc circa Religioſos profeſſos, qui verè, ac propriè veniunt ſub nomine Fratrum; ceterum an idem dicendum ſit de Monialibus, Nouitijs Tertiarijs, ſeu ablatis vtriuſq; ſexus dicemus in ſequentibus Difficultatibus.

DIF-

DIFFICVLTAS VI.

An Moniales, saltem Mendicantes, gaudeant supradictâ exceptione Fratrum Mendicantium?

24 NEgant aliqui ex eo, quia in bulla apertè dicitur: *exceptis tamen concessis Ordinibus Mendicantium, quoad eorũ Fratres tantùm*; iam per ly *Tãtùm*, cùm sit particula exclusiua, videntur excludi omnes, qui Fratres non sunt. Moniales ergo neq; Fratres sunt, neq; veniunt sub nomine Fratrũ, sicuti sub nomine Abbatis nõ venit Abbatissa, vt patet *ex clem. attendentes, de stat. Monach.*

Lud.à cr. Rodriq. Acosta. Villalob. Bardi. Auctor.

25 Affirmant tamen *Lud.à Cru. D.1.C.9.d.4.n.3 Rodriq.§.12. n. 3. Acosta q. 105. Villalob.sum. to.1.tr.27.claus.12.n.13.Bardi p. 3.tr.1.C.3.n.14.* alijq; communiter DD. & meritò, nam priuilegia, quæ Monachis conceduntur, intelliguntur etiam concedi, & Monialibus eiusdẽ Ordinis, prout docent cõmuniter DD. Confirmatur primò, quia hæres, quem testator obligat ad restituendũ aliquid suis fratribus, manet etiam obligatus an faciendam dictam restitutionem sororibus, *ex c. Raynutius, ver. Declaratio, de testam. & ex l.Lucius, §. quæsitũ, ff.de legatis.*

26 Secundò quia Sum. Põtifex concedit dictum priuilegium in gratiam Mendicantium, quia Mendicantes sunt, ergò Moniales saltem Mendicantes, (quæ scilicet ex vi instituti nequeunt possidere immobilia in communi, quamuis ex dispensatione possideant) gaudebunt prædicta exceptione Fratribus concessà; reliquę verò Moniales non mendicãtes ex communicatione, æquè ac dictum est de Ordinibus nõ Mendicantium n. 21.

27 Ad rationem verò AA. in contrarium Dico, ly *Tantum* excludere omnes illos, qui nullo modo sub nomine Fratrũm includuntur; Moniales autem sub nomine Fratrum satis includuntur, vt probatum est. Quarè Moniales prædictæ poterunt frui omnibus Indulgentijs, ac gratijs, quæ ipsis Ordinibus Mendicantibus cõceduntur, absq; bulla. An verò idem dicẽdum sit de *Nouitijs*, dicetur Diff. sequenti.

DIFFICVLTAS VII.

An Nouitij saltem Mendicantium, gaudeant supradicta exceptione Fratruum Mendicantium?

28 NEgant aliqui; quorum ratio est, quia Nouitij non sunt verè religiosi, sed solùm in via, quatenus tendunt ad religionis statum, vt habetur *c.2.de Regularibus*, docẽtq; communiter DD.

29 Affirmant tamen *Rodriq. §. 12.d.2.Villalob.sum.to.1. tr.27. claus.12.num.12. Acosta q.105.* alijq; cum sequenti tamen limitatione, nempè si dicti Nouitij voluntatem habeant perseuerandi in statu religioso.

30 Absolutè autem Affirmant *Lud.à Cruc.D.1.C.9.d.5.nu.2. Nuñus in 3.p.to.2.hic §.14.Diana p.1.tr.11.res.88.Bardi p.3.tr. 1.C.3.nu.17.* & alij; ac meritò, nam Nouitius quamuis rigorosè loquendo non sit Religio-

Lud.à cr. Nuñus. Diana. Bardi. Auctor.

sus

ſus, & conſequenter nequeat ſic appellari Frater, vnde in odioſis non venit ſub appellatione Fratris; attamen in fauorabilibus verè nuncupatur Frater, ſeu Monachus, vt notant communiter DD. atque adeo Nouitius gaudere poterit omnibus priuilegijs, quæ Religioſis conceduntur, niſi aliquod eorum ſtatui repugnet, vel ſit conceſſum limitatè, nempè Religioſis profeſſis.

31 Et ratio veluti à priori eſt, quia Decreta, & Bullæ non debent explicari in toto rigore verborum, ſed ſecundùm communem loquendi modũ, vt conſtat *ex c. ex litteris, de ſponſalibus, & l. liberorum, §. quod autem caſu, ff. de legatis 3.* & confirmat vſus Curiæ Romanæ, cuius ſtylus eſt non curare de ſtricto rigore verborũ. Quarè Nouitij Ordinum Mendicantium poterunt abſq; bulla frui Indulgentijs, alijſq; facultatibus conceſſis ipſis Mendicantibus; Nouitij verò non Mendicantium per communicationem, æquè ac ſuprà diximus de ipſis profeſſis; & hoc tũ in ordine ad nouitios virorũ, tum fœminarum.

32 Ad rationem autem AA. in contrarium ſatis patet ex dictis. An verò idem dicendum ſit de Tertiarijs, Oblatis & huiuſmodi, dicetur Difficultate ſequenti.



DIFFICVLTAS VIII.

An Tertiarij, ſeu Oblati, & huiuſmodi, ſaltem Ordinum Mendicantium, gaudeant ſupradicta exceptione?

33 Rodriquez *§. 12. d. 2. Lud. à Cru. D. 1. C. 9. d. 4. nu. 9. & d. 5. n. 5. Villalob. ſum. tom. 1. tr. 27. clauſ. 12. nu. 13. Bardi p. 3. tr. 1. C. 3. n. 18.* alijq; affirmant, quoties dicti Tertiarij, ſeu Oblati, vel Donati, & huiuſmodi vel tria Religionis Vota emiſerunt, vel ſaltem in Nouitiatum legitimè admittuntur, etiamſi in proprijs domibus, vel propinquorum viuant; ſecus autẽ ſi neque dicta tria vota emiſerint, neq; in nouitiatum adhuc admiſſi ſunt, etiamſi in domibus ipſis religioſorum viuant. *Lud. à cr. Villalob. Bardi.*

34 Et meritò, nã eo ipſo, quod vota Religionis emittunt, vel ſaltem in Nouitiatum admittuntur, verè ſub nomine Fratrum continentur, prout ex ſupradictis patet; ſecus autem ſi neque in nouitiatum admiſſi ſunt. Idipſum dicendum de Tertiarijs, Oblatis, ſeu Donatis fœminis, quæ cõmuniter Beatæ nuncupantur; atq; adeo omnes hæ perſonæ ſecundi generis indigent bulla Cruciatæ ad hoc, vt Indulgentijs quibuſcunque fruantur; ſecùs autem aliæ primi generis initiò poſitæ. *Auctor.*

35 Atquè hæc ſatis ſint circa gratias, ſeu facultates conceſſas Ordinibus Mendicantium, in ordine, & per reſpectum ad ipſoſmet Regulares; reſtat nunc videre, an idem dicendũ ſit de ijs gratijs, ſeu facultatibus

bus

bus in ordine, & per respectũ ad sæculares.

DIFFICVLTAS IX.

An sæcularis carens Bulla possit lucrari, saltem pro Defunctis, Indulgentias concessas Ecclesijs, vel Altaribus Mendicantium?

36 COnueniunt DD. nõ posse sæcularem carentem Bullà lucrari pro se Indulgentias cõcessas Ecclesijs, seu Monasterijs, vel Altaribus Ordinũ Mendicantium. & meritò, nam per concessionem bullæ Cruciatæ suspenduntur omnia, & singula priuilegia concessa quibusuis Monasterijs, Ecclesijs, Hospitalibus, Confraternitatibus, Vniuersitatibus, pijs locis, & singularibus personis, quoad sæculares; atq; adeo sæculares nullam prorsus Indulgentiam lucrari poterunt in Regnis, ac locis, in quibus bulla Cruciatæ promulgatur, nisi priùs de facto ipsam bullam sumant.

Trullen. 37 Dixi, *pro se*, nam *Trullen.l.1.§.9.d.4.n.3.* putant, huiusmodi Indulgentias posse pro animabus Purgatorij lucrifieri; primò quia, ait, Sum. Pontifex solùm censetur suspendere Indulgẽtias pro viuis, non pro Defunctis; solùm enim respectu eorũ suspenduntur, respectu quorũ, suscepta bulla reualidantur; reualidatio autem respicit viuos non Defunctos. Secundò quia Indulgentiæ pro Defunctis nõ suspenduntur, inquit, per generales suspensiones, nisi de illis fiat expressa mentio. Tertiò quia bulla suspẽdit ea, per quæ eius vsus impediri potest, sed nihil, vel parùm eius vsus impeditur per talem Defunctorũ Indulgentiam.

38 Absolutè tamen negant *Rodriq.§.12.nu.4.Fernand. in examin.p.3.C.9.se.11.§.19.n.2.Villalob.sum.to.1.tr.27.claus.12.n.3.Diana 1.p.tr.11.res.86.Bardi p.3.tr.1.C.4.nu.14.* alijq; communiter DD. & meritò, quia, vt dictum est, omnes generaliter Indulgentię pro sęcularibus suspenduntur, quarè sacerdos sęcularis celebrans in altari priuilegiato, adhùc in Ecclesijs Mendicantium, non liberabit animam Purgatorij, etiãsi celebret pro anima alicuius Fratris eiusdem Conuentus, nisi habeat bullam Cruciatę, vel ipse celebrans, vel ille, qui missam celebrare facit; poterit tamen religiosus eiusdem Conuentus, iuxtà supradicta. Rodriq. Fernan. Villalob. Diana Bardi. Auctor.

39 Ad primam autem rationẽ Trullen. in contrarium Dico, reualidari Indulgentias etiam pro Defunctis, non quidẽ per opera exhibenda ab ipsismet Defunctis, sed à viuis in ipsorum Defunctorum vtilitatem.

40 Ad secundam dico, satis gratis affirmari, indulgentias pro Defunctis nõ suspendi per generales suspensiones.

41 Ad tertiam dico, per talem Indulgentiam impediri vsum Cruciatę tàm pro viuis, quàm pro Defunctis; nam si fideles viuentes possent aliundè ęquè benè liberare à pœnis Purgatorij animas Defunctorum, vtiq; bullas pro defunctis non sumerent.

42 Hinc similiter sęculares, qui chorda D.Francisci, vel corrigia Diui Augustini cincti, seu habitu cuiuscumq; religionis induti pro sua deuotione incedunt,

incedunt, neq; poterunt lucrari abſq; bulla indulgentias ſub huiuſmodi intuitu, vel alio quocunq; titulo conceſſas.

43 Ceterùm poterunt fideles ſeculares, etiam abſque bulla, eſſe participes omnium bonorum operum Religioſorũ, virtute litterarum Fraternitatis, quas ipſimet Fratres, ex licentia Sum. Pontificis, diſtribuere ſolent, iuxtà ſupradicta D. 4. q. 3. à n. 12. Ratio autem eſt, quia dicta participatio, non eſt indulgentiæ acquiſitio, vt ibidem etiam diximus.

DIFFICVLTAS X.

An priuilegia Regularium pro tempore Interdicti ſuſpendantur?

44 ALiqui Regulares, ex ſpeciali Sedis Apoſtolicę priuilegio, poſſunt in aliqua ſolemnitate, non obſtante interdicto ſeu generali, ſeu ſpeciali, pulſare campanas ad congregandos fideles in ipſorum Eccleſijs pro Diuinis Officijs, miniſtrare Sacramẽta, ac mortuos ſepelire. quęrimus in pręſenti, An huiuſmodi priuilegia per publicationem Cruciatę ſuſpendantur quoad ſeculares carentes dicta bulla Cruciatę.

45 Negant *Rodriq. in add. ad §. 12. n. 5. Villal. ſu. t. 1. tr. 27. clauſ. 12. n. 8.* quorum ratio eſt, quia putant, per bullam Cruciatæ ſuſpendi tantùm priuilegia perſonalia: dicta autem priuilegia pro tẽpore interdicti cùm ſint conceſſa toti Ordini, erunt realia, & non perſonalia, atque adeo non ſuſpenduntur. *Rodriq. Villalob.*

Carolus Latius in Bull. Cruc.

46 Affirmant tamen *Lud. à Cru. D. 1. C. 9. d. 2. n. 14. Io. à Cruc. de ſtat. rel. l. 2. C. 3. d. 7. concl. 3. Bardi p. 3. tr. 1. C. 4. n. 21. Rodriq. in qq. reg. to. 1. q. 61.* alijq; communiter DD. & meritò, nam per Cruciatam non ſolùm perſonalia, verum etiam realia priuilegia ſuſpenduntur quoad ſæculares; patet, quia per Cruciatam ſuſpenduntur priuilegia conceſſa Monaſterijs, Vniuerſitatibus, &c., quæ vtiq; priuilegia realia ſunt. *Lud. à cr. Io. à cr. Bardi. Rodriq. Auctor.*

47 Ad rationem autem AA. in cõtrarium ſatis patet ex dictis, ac meliùs patebit ex infrà dicẽdis. Supereſt ergò ſolùm videre, An ſæcularis carẽs bulla poſſit à Regularibus virtute priuilegiorum Religionis abſolui à reſeruatis, & obtinere diſpenſationem, ſeu commutationem in votis. ſit igitur.

DIFFICVLTAS XI.

An Sæcularis abſquè Bulla poſſit à Regularibus vi ſuorum Priuilegiorum abſolui à reſeruatis, & obtinere diſpenſationem ſeu commutationem in votis?

48 AFfirmant *Herriq. l. 6. de pœn. C. 16. n. 7. Sanch. ſum. to. 1 l. 4. C. 54. n. 62. Io. à Cruc. de ſtat. relig. l. 2. C. 3. d. 7. cõcl. 3. Lud. à Cruc. D. 1. C. 9. d. 2. n. 6. Ledeſm. ſum. to. 1. tr. de pœn. C. 15. Leſſius. l. 2. de iuſt. C. 41. d. 12. n. 60. Graff. in append. ad dec. l. 1. C. 7. §. 9. nu. 65. Riccius in add. ad §. 12. n. 1.* & alij, quorum aliqui ſic illam co- *Herriq. Sanch. Io. à cr. Lud. à cr. Ledeſm. Leſſius. Graff. Riccius.*

Vu nan-

nantur probare: priuilegia ista Regularium remuneratiua, & inserta in corpore Iuris cõmunis, & quod magis est, non vni, aut alteri monasterio concessa, sed toti Religioni, ceduntq; in bonũ cõmune omnium fideliũ, vtiquè nequeunt suspendi per verba generalia, sed opus erit specifica illorum mentione.

49 Verùm ratio ista nihil concludere videtur, quia in dicta suspensione iam de facto fit expressa mẽtio de priuilegijs, seu facultatibus dictorum Regularium, dum dicuntur illa remanere illæsa quoad Fratres tantùm, vt suprà dictum est. Adde dicta priuilegia non inueniri inserta in corpore Iuris cõmunis. Hinc.

50 Alij dictam opinionem probant ex eo, quia, aiunt, priuilegia bullæ Cruciatæ omnia sunt personalia, ac proinde facultates quæ per illam suspenduntur, erunt similiter personales. iam priuilegia Ordinibus Regularium concessa, sunt realia, ergò per Cruciatam nõ suspenduntur.

51 Sed neq; discursus iste conuincit; primò quia licèt priuilegia bullæ sint personalia, & priuilegia Ordinibus concessa sint realia, attamen per eandem bullam apertè suspenduntur etiam facultates reales, cuiusmodi sunt, quæ conceduntur Monasterijs, Ecclesijs, Vniuersitatibus, locis pijs, &c. Secũdò quia priuilegia ista Ordinibus Mendicantium concessa quæcunq; illa sint, dùm dicũtur excipi, & non suspendi *quoad eorum Fratres tantùm*, vtiq; quoad eos, qui sub nomine Fratrũ non includuntur, vt sunt sæculares, apertè suspenduntur, atq; adeo nequeunt sæculares bulla carentes absolui à reseruatis, vel obtinere dispensationem, seu commutationem in votis à Regularibus, vi tãtũ dictorum suorum priuilegiorum.

52 Quod si dicas suspendi quoad Indulgentias, & non quoad facultatem absoluendi à reseruatis, vel dispensandi, seu commutandi vota, vtiq; omninò gratis asseritur, cùm in Decreto suspensionis eodem prorsus modo loquatur bulla de indulgentijs, gratijs, facultatibus, & huiusmodi; præsertim quia motiuum suspẽsionis æquè militat in Indulgentijs, ac in alijs gratijs, seu facultatibus, vt patet.

53 Demùm aliqui ex recentioribus ad firmandam supradictã opinionem supponunt, aliqua priuilegia concedi à Sum. Pontificibus sub clausulis ordinarijs, nempe non obstantibus quibuscunq; contrarijs, & similibus, vel aliquantulùm efficacioribus; aliqua verò concedi sub clausulis specialibus, qualis est clausula v.g. vt de priuilegio cõcesso fieri debeat expressa, ac specialis mentio de verbo, ad verbũ, &c. imò aliquando (quod plus est) sub clausula habente reuiuiscẽtiam, hoc est, si Pontifex dicat, quòd statim post reuocationem intelligatur priuilegium iterum innouatum, cõfirmatum, & approbatum, tũc tale priuilegium non solùm nõ extinguitur per clausulas ordinarias contrarias, sed neq; per quascunq; extraordinarias, nisi Pontifex irritet, & annullet ipsã concessionẽ talis priuilegij. His positis, dicũt hi, per Cruciatã suspendi priuilegia primi generis, nõ aũt priuilegia secũdi generis (qualia esse supponũt dicta

Regu-

Regularium priuilegia) præsertim si contineāt clausulam reuiuiscentiæ, modo dicto.

54 Sed neq; hic discursus probat intentum; primò quia non procedit vniuersaliter quoad omnia Regularium priuilegia, vt patet. Secundò quia nō assignat, cur dicta priuilegia Regularium, non obstantibus dictis clausulis specialibus etiam reuiuiscentiæ, &c. suspendantur quoad sæculares in ordine ad lucrandas eorum Indulgentias, non autem in ordine ad absoluendum à reseruatis &c.; atq; adeò, secundùm hunc discursū, possent sæculares absq; bulla Cruciatæ lucrari Indulgentias Ordinibus concessas; quod nemo admittit. Tertiò quia in præsenti suspensione non solùm priuilegia similia, seu dissimilia, sed etiam eorum concessiones suspendūtur, imò & per clausulas etiam extraordinarias, vt videre est in fine bullæ originalis.

Nauarr. Lopez. Trullen. Acosta.

55 Quarè *Nauar. l. 5. cons. tit. de priu. cons. 16. nu. 1. Lopez p. 2. instr. de clau. C. 2. Trullen. l. 1. §. 9. C. 3. d. 1. n. 8. Acosta q. 105.* alijq, absolutè negant, posse sæculares absq; bulla absolui à reseruatis, vel obtinere dispensationem, seu commutationem in votis, virtute tantùm priuilegiorum Regularium; & meritò, prout patet ex dictis; in ijs tamen regnis, ac locis vbi bulla promulgatur, nam per promulgationem Cruciatæ suspenduntur omnia, & singula priuilegia, modo dicto, exceptis ijs, quæ Ordinibus Mendicantium concessa sunt, quoad eorum Fratres tantùm, ergò eadem Mendicantiū priuilegia quoad non Fratres, seu sæculares absolutè suspenduntur; atq; adeò quoad eosdem non habentes bullam, nullius erunt valoris; reualidantur tamē quoad omnes eandem bullam sumentes, vt infrà dicetur.

56 Nequè consuetudo (ad quā aliqui ex AA. recurrunt) videtur posse præscribere contra nouam, ac annuam Cruciatæ suspensionem. Ceterùm si plures pro opposita, quàm pro nostra opinione inueniēs DD. ne mireris, cùm longè plures ex Regularibus, quàm ex sæcularibus enumerentur Auctores. Sed videamus, quandonam intelligantur suspendi supradicta priuilegia, facultates, &c.

DIFFICVLTAS XII.

Quodnam intelligantur suspendi supradicta priuilegia, gratiæ, & facultates per potestatem Commissarij Cruciatæ?

57 QVamuis Sum. Pontifex satis amplam concedat Commissario Generali Cruciatæ potestatem suspendēdi omnes Indulgētias, gratias, facultates, & concessiones factas quibusuis Ecclesijs, Monasterijs, Vniuersitatibus, Hospitalibus, pijs locis, Confraternitatibus, & singularibus personis, modo dicto; necnon in omnibus Regnis, Dominijs, Oppidis, ac ceteris locis, in quibus Cruciatæ promulgatur, nihilominus ex vi talis cōcessionis nō statim intelligūtur suspensæ dictę gratię suspendēdæ, &c. quia Sum. Pontifex nullum verbum hic habet, per quod ipsas gratias suspendat, sed solum confert Commissario potestatem suspendendi; atque adeo nisi de

de facto Commissarius procedat in actum secundum, vtique gratiæ dictæ, &c. in suo robore, & efficacia remanebunt.

58 Quarè dictus Commissarius in fine bullæ plūbeæ latinæ expressè declarat, se vi potestatis habitæ à Sum. Pontifice suspendere durante anno prædicationis, & publicationis Cruciatæ omnes similes, & dissimiles gratias, indulta, & facultates, quæ à Sum. Pontificibus concessæ sunt in prædictis locis. Dicta igitur suspensio incipit ab illis verbis: *proinde Nos præfatus D. D. Petrus Paceco &c. eadem auctoritate Apostolica nobis per præfatas litteras concessa &c.*; ac suum sortitur effectum à die, qua dicta Cruciata promulgatur, iuxtà supradicta D.1.Q.3.à n.1.

59 Quod vt melius contingat, potest idem Commissarius Generalis Cruciatæ subdelegare alios Commissarios in illis regnis, aut prouincijs, in quibus ita expedire ipse iudicabit; similiter poterit instituere alios ministros sibi subordinatos, videlicet Assessores, Secretarios, Fiscalem, Notarium, Executores, Perceptores pecuniarum, quæ applicandæ sunt in fauorē præsētis Cruciatæ; insuper Porterios, Sollicitatores, aliosque Officiales ad dictum effectum necessarios, ex quibus omnibus integratur totum Cruciatæ cōcilium, seu Tribunal.

60 Solùm ergò nunc restat videre, quænam sit potestas eiusdem Commissarij Generalis Cruciatæ ad reualidandas gratias suspensas ab ipsomet Commissario, in ordine ad illos, qui ipsam bullā Cruciatę sument.

DIFFICVLTAS XIII.

Quænam sit potestas Commissarij Generalis Cruciatæ reualidandi gratias suspensas?

61 IN §. XXII. Sum. Pontifex concedit dicto Commissario Cruciatę potestatem reualidandi gratias suspensas ab eodem Cōmissario his verbis: *Item dicto Commissario etiam conceditur facultas, vt ipse per se, vel per alium, seu alios, quando, & quoties sibi videbitur, indulgentias, & alias gratias per eum suspensas, in fauorem illorum, qui præsentium gratiarum in hanc caussam pro Religionis defensione concessarum, participes effecti fuerint reualidare absq; alio præmio possit.*


62 Concedit ergò Sum. Pontifex hic Commissario Generali Cruciatę facultatem; vt possit ipse Commissarius siue per se, siue per alios, pristinum valorem conferre indulgentijs, & gratijs iam concessis; & sic dictus Commissarius ad hoc munus exequendum poterit subdelegare potestatem hanc vni, aut pluribus prout voluerit; expedit tamen, vt id faciat in singulis Prouincijs in quibus ipsa bulla Cruciatę promulgatur, & hoc per Commissarios subdelegatos, qui in ipsis Prouincijs gerunt vices dicti Commissarij Generalis. quę quidem reualidatio non semel tantùm, sed toties quoties fieri poterit à Commissario Generali, prout prudenter iudicauerit.

63 Notandum tamen est, facultatem istam reualidandi, solū se extendere ad gratias suspensas

sas non à quocunque, sed ab ipsomet Commissario prout patet per illa verba: *per eum suspensas*; neque reualidandas illas esse respectù omnium; sed tantùm in fauorē illorum, qui effecti sunt participes indultorum Cruciatę; hoc enim personarum genus, & non aliud exprimitur: participes autem gratiarum Cruciatę fiunt, qui vel immediatè per se ipsos, vel per alios, aut deniq; eleemosynam erogando, subsidium dictæ sacræ expeditioni præstiterunt.

64 Demum ad monetur Commissarius, vt illas reualidet absque alio præmio, seu mercede; atque adeo si ipse aliquod munus recipiat, grauiter peccabit, si tale munus fuerit in quantitate sufficiēti ad peccatum mortale; imò simoniam contra ius Diuinum committeret, nam actus reualidandi, est quid spirituale, æquè ac est ipsa concessio gratiarum, & indulgentiarum, ac proinde pro tali actu nequit recipi aliquid temporale; & sic vltra peccatum, remanebit obligatio restituendi acceptum. quomodo autem non sit Simonia erogare eleemosynam pro sumptione ipsius bullæ Cruciatæ, dicemus infra D. 12. Q. 3. Diff. 1.

Quando verò nā supradictæ gratiæ suspensę incipiant reualidari, dicetur Diff. sequenti.



DIFFICVLTAS XIV.

Quandonam dictæ gratiæ suspensæ intelligantur reualidari à Commissario Generali Cruciatæ?

65 Habita potestate reualidandi gratias suspensas (prout suprà dictum est) procedit dictus Commissarius Generalis Cruciatę ad eius executionem; atq; adeo valorem restituit gratijs priùs ab ipsomet suspensis, vt patet in fine bullę plumbeę; his verbis: *Insuper in fauorem huius præsentis concessionis, & Cruciatæ declaramus, vt quicunque Summarium huiusmodi bullæ, sermone, & idiomate vulgari conscriptum acceptauerint, omnes fruantur, potiantur, & gaudeant omnibus gratijs, Indulgentijs, Iubilæis, peccatorum remissionibus, ipsis tàm per S.D.N. Gregorium XIII. quàm per alios Sum. Pontifices, aut Sedem Apostolicam concessis, quæ scilicet omnia. Nos idem Cōmissarius Generalis, vigore facultatis & Commissionis Apostolicæ per varias, & diuersas litteras nobis attributæ, & concessæ, damus, & in pristinum statum reducimus, & restituimus.*

66 A momento igitur, quo quis bullam Cruciatę sumit, statim intelliguntur reualidari, & in pristinum vigorem redire gratię, ac facultates à dicto Commissario iam suspensę; patet, nam à Commissario dictę gratię reualidantur in fauorem sumentium hanc bullam (vt dictum est) atque adeo sumptio bullę est conditio necessariò prerequisita ad reualidationē

dicta-

dictarum gratiarũ, ac remouet prohibens, seu impedimentum suspensionis.

67 Poterit insuper, qui bullam Cruciatæ sumit, frui quibusdã alijs bullis continentibus speciales quasdam gratias; qualis in Hispania est bulla, quæ ab Hispanis dicitur, *de la Hermandad*, id est Confraternitatis: & bulla, quæ ab eisdem appellatur, *Bulla de los dolores de nuestra Señora*, quæ fuit concessa cappellæ eiusdem Virginis in Monasterio Sancti Spiritus existente in Ciuitate Maioricæ, & huiusmodi.

68 Demum post dictam gratiarum reualidationem aduertit idem Commissarius, non esse suæ intentionis reualidare priuilegia, facultates, & indulta, quæ sunt contraria Cruciatæ, & quæ in eadem Cruciata exprimuntur, & iure quidem optimo, nam reualidare facultates istas Cruciatæ oppositas, esset destruere ipsam Cruciatã; proinde ea omnia, quibus per clausulas derogatorias in hoc Diplomate contentas derogatum est, remaneant derogata, neq; vllum valorem habent contra eiusdem bullæ priuilegia; vt si quis v.g. facultatem habeat eligendi Cõfessarium non approbatum ab Ordinario, vtiq; non poterit vti tali facultate ex vi reualidationis, eò quia cõtinet aliquid contra ea, quæ in Cruciata exprimuntur, in qua præscribitur, eligendum esse Confessarium ab Ordinario approbatum. dixi ex vi reualidationis, eò quia ex vi concessionis poterit tali facultate vti.

69 Petes, An ex vi dictæ reualidationis poterit sumens bullã Crucifixi Osmæ gaudere priuilegio recitãdi Breuiariũ trium lectionum: & mulier sumens bullam Sancti Spiritus, aut Pij IV. poterit ingredi claustra Monialium.

70 Respondeo negatiuè, nam prius priuilegium fuit annullatum à Pio V. per motum proprium, qui in eius Breuiario præmittitur. secundũ verò priuilegium annullatum similiter fuit à *Trid. sess. 25. C. 5.* à Pio V. & Gregorio XIII. per motus proprios, vt videre est apud Rodriquez in explicatione bullę. An verò bullæ Cruciatę preteritę per pręsentem reualidationem reualidentur, dicemus Diff. sequenti. *Trid.*

DIFFICVLTAS XV.

An per dictam reualidationem reualidentur gratiæ, ac facultates concessæ in alijs Bullis præteritis?

71 AFfirmant aliqui putãtes, bullas veteres suspendi per promulgationem nouę bullę, ac postea pristinum valorẽ recipere, dum Commissarius reualidat gratias, ac facultates suspensas, modo supradicto. quorum ratio potissima est, quia in bulla ipsa dicitur, reualidari accipienti bullam omnes alias gratias, & facultates antea illis concessas; atq; adeo qui antea plures alias bullas acceperat, omnes illi reualidari, necesse est.

72 Negant tamen *Rodriq. §. 12. num. 1. Lud. à Cru. D. 1. C. 9. d. 3. num. 2. Trullen. l. 1. §. 9. C. 3. d. 2. Bardi p. 3. tr. 1. C. 2. nu. 15.* alijq; communiter DD. & meritò; nam eę gratię, ac facultates poterunt *Rodriq. Lud à Cr. Trullen. Bardi. Auctor.*

poterunt à Commissario tantùm reualidari, quæ ab eodem suspensæ fuerunt (vt supra dictum est;) iam gratiæ, ac facultates bullarum præteritarum non fuerunt suspensæ à Commissario; patet, quia bulla præterita præsentis Cruciatę per promulgationem nouę bullę omninò expirat; promulgatio enim nouę bullę est terminus claudens annuam durationem bullę pręteritę, (vide supra D.1.Q.3. per totam) atq; adeò circa gratias, & facultates bullę pręteritæ vt omninò extinctas, & peremptas, neq; suspēsio versari potest, neq; reualidatio, seu restitutio in pristinum valorem, sed solùm noua circa idem concessio, ad quam non se extendit Commissarij potestas.

73 Ad rationem autem AA. patet ex dictis; reualidātur enim accipienti bullam omnes quidem gratię, & facultates antea concessę, si adhuc durent, quāuis per Commissarij suspensionem impeditę, non autem, quę omninò extinctę inueniuntur, vt sunt bullę pręteritę, vt probatum est. Atque hęc satis sint circa potestatem Commissarij Generalis Cruciatę tàm suspendendi, quàm reualidādi gratias, ac facultates extrà ipsam bullam; de potestate igitur eiusdem Commissarij dispensandi in aliquas irregularitates nunc dicendum erit.



QVÆSTIO II.

De Potestate Commissarij Generalis Cruciatæ circa Irregularitatem.

IN §. XXIV. concedit Summus Pontifex Commissario Generali Cruciatę potestatem dispensandi, & componēdi super aliquibus Irregularitatibus. videndum igitur erit in pręsenti Quęstione ad quasnam Irregularitates, ac sub quibus conditionibus dicta potestas se extendat.

DIFFICVLTAS I.

Quid, & quotuplex sit Irregularitas?

1 *IRregularitas est impedimentum, quo quis ad Ecclesiasticos Ordines promoueri, & iam promotus, in eis administrare tanquam inhabilis de Iure Canonico prohibetur.* vbi nomine Ordinum venit etiam prima Tonsura, vtpote principium, & dispositio ad illos. An verò Irregularitas sit cēsura, & quomodo distinguatur ab excommunicatione, suspensione, Interdicto, Depositione, & huiusmodi, non est huius loci, in quo solùm, ac breuiter ea innuere intēdimus, quę pro pręsentis materię intelligentiâ necessariò pręmittere iudicabimus; reliqua ex tractatu de censuris supponimus.

2 Iam verò dicta Irregularitas, seu inhabilitas prohibens, seu im

impediens promotionem ad Ordines, eorumq; vsum, cùm non aliter diuidatur, & multiplicetur, quàm ex causa, ob quam fertur, altera dicitur ex defectu, nempe quę ex defectu oritur, & altera ex delicto, nẽpe quę ex delicto oritur; & quęlibet ex his in plures alias subdiuiditur, nam quę oritur ex defectu subdiuiditur in varias irregularitates, quę ex varijs defectibus oriuntur: & quę oritur ex delicto similiter subdiuiditur in alias, quę ex varijs delictis oriuntur.

3 Species igitùr irregularitatis prouenientis ex defectu, seu ex indecentia sunt sex, nimirum ex defectu Animi, Corporis, Natalium, Libertatis, Sacramenti, & Lenitatis. Irregularitas ergò ex defectu animi est per carẽtiam vsus rationis, vt amentes, vel per carentiam scientię necessarię ad Ordinem suscipiendum, vel per defectũ fidei, vt in Neophitis, hoc est, qui recenter fidem amplexi sunt. irregularitas verò ex defectu corporis est, cùm quis caret aliquo membro causante deformitatem, vel habet aliquam monstruositatem. ex defectu Natalium sunt irregulares omnes illegitimi. ex defectu Sacramenti, nempè Matrimonij, sunt irregulares Bigami. demum ex defectu lenitatis sunt Irregulares Ministri Iustitię, omnesque qui aliquo modo cooperati sunt ad mortem alterius, absq; tamen peccato.

4 Irregularitas autem, quę ex delicto oritur, est similiter multiplex; nam alia est ex homicidio voluntario, alia ex casuali, vel mutilatione membrorum: ex Heresi: ex Apostasia à fide: ex iteratione baptismi: ex illicita susceptione Sacramentorum, vel illicito vsu Ordinum: ex violatione censurę: ex delictis infamibus, &c. Videndum igitur est in pręsenti, an Commissarius Cruciatę possit in omnibus supradictis Irregularitatibus dispensare. & quidem primò sit.

DIFFICVLTAS II.

An Commissarius Cruciatæ possit dispensare in omnibus Irregularitatibus prouenientibus ex delicto?

5 Qvinque Irregularitatis species ex delicto prouenientes, hic expressè excipiuntur, in quibus consequenter nequit Commissarius Cruciatę dispensare; nempè Irregularitas proueniens ex Homicidio voluntario, ex Simonia, ex Apostasia à Fide, ex Heresi, & ex mala Ordinum susceptione, de quibus singillatim infrà dicemus.

6 Quoad reliquas verò irregularitates ex delicto prouenientes, conueniunt DD. posse Commissarium Cruciatę vi eiusdem Cruciatę dispensare in irregularitate contractu ab eo, qui ligatus aliquà Censurà, nempè ex communicatione maiori, vel suspensione, vel interdicto sese Diuinis immiscuit, exercens actum Ordinis, v.g. celebrando Missam, aut alia Officia Diuina; vt si quis cùm fuerit interdictus, cantauit tamen in choro tamquam

quam Hebdomadarius: vel si quis cũ fuerit excõmunicatus, excepit tamen Ordinem sacrũ; vel Diaconus cantauit euangelium, vel si Subdiaconus cãtauit cum manipulo, & solemniter Epistolam; vel si Sacerdos baptizauit solemniter, aut excipit sacramentaliter confessiones, vel Sponsos benedixit.

7 Et meritò, cùm expressè in ipsamet bulla dicatur: *Item conceditur facultas dicto Cõmissario dispensandi, & componendi super irregularitate cum his, qui quibusuis ecclesiasticis censuris ligati Missas, & alia Diuina Officia celebrauerint, seù aliàs se immiscuerint, &c.* iam omnes supradicti casus compræhenduntur sub celebratione Diuinorum Officiorum, ergò quælibet irregularitas, quę cõtrahitur in supradictis casibus, poterit à Cõmissario Cruciatæ dispensari.

8 Controuertitur tamen, An Commissarius Cruciatę possit dispensare in Bigamia, si ex delicto proueniat; vt si quis contrahat cum duabus, validè cum vna, & inualidè cum altera, vel inualidè cum vtraque, & tunc dicitur irregularitas interpraetatiua ex delicto mariti. similiter siquis post solemne votum castitatis in religione saltem approbata, contrahat deinde quamuis inualidè matrimoniũ, incurret irregularitatem Bigamiæ similitudinariæ. videndum ergò est, an huiusmodi irregularitas ex delicto possit similiter à Commissario Cruciatę dispensari.

Trullen. 9 Negant *Trullen. l. 1. §. 3. d. 1. in fine*, nonnulliq; alij. quorum ratio est, quia potestas Commissarij fertur, aiunt, in irregularitates prouenientes per se ex delicto, non autem per accidens; iam supradicta Bigamia tàm interpraetatiua, quàm similitudinaria primò, & per se prouenit ex defectu Sacramẽti, & non ex delicto, nisi per accidens, igitur ad talem Bigamiam non se extendit Commissarij potestas.

10 Confirmant etiam ex praxi, quia huiusmodi impedimento detenti, antequam ad Ordines promoueantur, recurrunt ad Sum. Pontificem, vt cum ipsis dispenset.

11 Affirmant tamen *Lud. à Cru. D. 1. C. 9. d. 7. n. 11. Villalob. sum. to. 1. tr. 27. clauf. 13. n. 8.* aliijq; & meritò, nam huiusmodi irregularitas neque explicitè, neq; implicitè excipitur in bulla, dum illę quinque supradictæ irregularitates excipiuntur, ergò neque nos debemus illam excipere, atq; adeò poterit in illa Commissarius dispensare, æquè ac in reliquis irregularitatibus saltem ex delicto prouenientibus, quinq; tamen illis exceptis, &c. An verò possit similiter dictus Commissarius dispensare in irregularitatibus prouenientibus ex defectu, dicetur infra. *Lud. à cr. Villalob. Auctor.*

12 Ad rationem autem AA. in contrarium Dico, distinctionẽ illam esse absq; vllo fundamento; sufficit enim vt delictum sit causa efficiens incurrendi dictam irregularitatem; & vbi ius non distinguit, neq; nos distinguere debemus absq; vllo efficaci fundamento.

13 Ad cõfirmationẽ verò Dico, multa posse fieri, quæ ob maiorem conscientiæ quietem non fiunt, prout in alijs materijs apparet. An verò idem dicen-

dum sit in casu, quo irregularitas ex delicto erit publica, dicetur Diff. sequenti.

DIFFICVLTAS III.

An Commissarius Cruciatæ possit dispensare in Irregularitate procedente ex delicto, etiamsi sit publica?

Rodriq.

14 NEgat *Rodriq. in §. 13. n. 1.* dùm asserit, posse Commissarium Cruciatę dispensare in supradictis irregularitatibus, quando erunt occultæ; ergò intendit, nō posse quando erūt publicæ.

Herriq. Villalob. Trullen. Auctor.

15 Affirmant tamen *Herriq. l. 7. C. 13. n. 5. Villalob. sum. to. 1. t. 27. claus. 13. nu. 6. Trullen. l. 1. §. 3 d. 1. nu. 4.* alijq; communiter DD. & meritò, nam dicto Commissario Cruciatæ datur absolutè, & absque vlla restrictione potestas dispensandi in huiusmodi Irregularitatibus, illis quinque exceptis, ergò poterit in illis dispensare etiam quando erunt publicæ, & manifestæ.

16 Vbi notandum est, potestatem Commissarij Cruciatæ in hoc esse maiorem illà, quæ à *Trid. sess. 24 C. 6. de reform.* conceditur Episcopis; ibi enim Episcopis datur potestas dispensandi in huiusmodi irregularitatibus solùm quando erūt occultæ. Sed videamus iam ex professo, quænam sint Irregularitates, in quibus nequit Commissarius Cruciatæ dispensare.

Trident.

DIFFICVLTAS IV.

Quanam sit Irregularitas ex homicidio voluntario, in qua nequit Commissarius Cruciatæ dispensare?

17 EX *tit. de homicidio in 6. & in Decretal.* constat, esse irregularem eum, qui voluntariè, seu ex proposito occidit hominem, vel aliquod illius membrum abscindit.

18 Dicitur autem quis voluntariè, seu ex proposito, & non à casu occidere, seu mutilare, quoties quis (vel solus, vel cooperando cum alijs) directè intendit homicidium, aut mutilationem in ipsis, aut in causa, cum qua homicidium, seu mutilatio inseparabiliter coniungitur; vt cum quis propinat alicui venenum, aut aliquam aliā causam proximam sufficientē morti, aut mutilationi apponit præuidens, aut suspicans mortem, seu mutilationem indè euenturam, eò quia iste moraliter æquiualet intendenti ex proposito, seù directè mortē, seu mutilationem. His positis.

19 Conueniunt DD. non posse Commissarium Cruciatæ dispēsare in huiusmodi irregularitate ex homicidio proueniente, modo dicto, cōtrouertitur solùm, an idem dicendum sit de irregularitate proueniente ex mutilatione. Et quidē affirmat *Lud. à Cruc. D. 1. C. 9. d. 7. nu. 2.* Lud. à cr.

20 Negant tamen *Rodriq. in add. ad §. 13. Trullen. l. 2. §. 3. d. 2. n. 2. Bardi p. 3. tr. 2. C. 1. num. 29.* alijq; communiter DD. & meritò, nam ex vna parte mutilatio, rigorosè loquendo, non est homicidium, & consequenter in

Rodriq. Trullen. Bardi. Auctor.

in pœnalibus nequit venire sub nomine homicidij; ex altera verò parte potestas hæc Commissarij amplà est interpretanda, vt patet ex supradictis D.1.Q.1.n.10. ergò &c. Et confirmatur, quia Episcopus potest dispensare in irregularitate causata ex mutilatione, si fuerit occulta, non autem in illa, quæ oritur ex homicidio voluntario.

21 Quod dictum est de mutilatione, dicendum etiam erit de homicidio casuali, seu inuoluntario, cùm hoc satis contradistinguatur ab homicidio voluntario, vt patet. Similiter sub Homicidio voluntario includimus etiam homicidium ex mandato, aut ex consilio, aut ex incitatione, seu ex animatione, & huiusmodi, dummodo per se, & directè intendatur, modo supradicto; nam nō solùm est verus homicida, qui per seipsum, alium occidit, verùm etiam qui mandat, consulit, incitat, animat suà præsentià, vel alio modo ad occidendum, &c.

DIFFICVLTAS V.

Quænam sit Irregularitas ex Simonia, in qua nequit Commissarius Cruciatæ dispensare?

22 TRiplex Simonia in iure punitur, nempè Simonia ob Beneficiorum adeptionem, ob ingressum Religionis, & ob promotionē ad Ordines, vt patet *ex extrauag. Vrbani IV. De Simonia, & extrauag. Pauli II.* alijsq; iuribus; promotus tamen ad Ordinem aliquem Simoniacè, præter excommunicationem maiorem Papę reseruatam, suspensionem ab Ordine, aliasq; pœnas, incurrit etiam Irregularitatē, saltē quando Simonia erit publica. His positis.

23 Dicendum, non posse Commissarium Cruciatæ dispensare in irregularitate prouueniente ex Simonia, cùm Sum. Pontifex expressè hic excipiat huiusmodi irregularitatem. ceterùm in sententia eorum, qui asserunt, nullam incurri irregularitatem ob Simoniæ crimen, non habet locum præsens exceptio Sum. Pontificis, qui tantùm iuxtà oppositam sentētiam satis probabilem loquutus est, atq; hæc circa dictam irregularitatē prouenientem ex infamia facti.

24 Maior autem difficultas est, An Cōmissarius Cruciatæ possit dispensare in tali Irregularitate ex Simonia, prouueniente non ex infamia facti, sed iuris, nempè ex infamia, quæ oritur post sententiam datam à Iudice cōdemnatoriā talis delicti.

25 Affirmant aliqui, eò quia solùm hic videntur excipi irregularitates, quæ immediatè subsequuntur quinque illa delicta supradicta; ista autem irregularitas, quæ oritur ex infamia post sententiam Iudicis, &c., non sequitur immediatè delictum Simoniæ, sed Iudicis sententiam.

26 Negant tamen *Bardi p. 3. tr. 2. C. 1. n. 31.* alijque; & meritò, nam Iudicis sententia non est causa irregularitatis, sed sola, ac mera conditio sine qua non; atque adeò nō tollit immediationem inter ipsam irregularitatem, & Simoniam, à qua tāquam à causa procedit; ex quibus patet ad rationem incontrarium. *Bardi. Auctor.*

DIFFICVLTAS VI.

Quanam sit Irregularitas ex Apostasia, in qua nequit Commissarius Cruciatæ dispensare?

27 APostasia est totalis recessus ab aliquo instituto, quod prius fuerat susceptum, cum animo permanēdi in illo. quarè cū quis eligit statū clericalem per sacros Ordines, vel statum Religionis, si deinde ab his statibus recedit cum animo nūquam ad illos redeundi, dicitur Apostata ab Ordine, à Religione: similiter in ciuilibus, qui ab obedientia proprij Regis se subtrahit, dicitur apostatare ab illo; magis tamē propriè dicitur apostatare, qui cōtemnit Sum. Pontifici obedire, & absolutè dicitur Schisma, & Schismaticus.


28 Propriè tamen, & absolutè loquendo (prout in præsenti sumitur) dicitur Apostata, seu Apostasia, & apostatare, dum quis à christianismo trāsit v.g. ad Sectam Mahumetanorum, vel ad Iudaismum, &c., estque in Iure irregularis; nam siqui in partim fidem negat, nempè Hæreticus, est irregularis (vt infrà dicemus) sanè multò magis erit irregularis Apostata, qui totaliter fidem abijcit, saltem si ex vero animo apostatandi hoc faciat; ceterùm si solùm fictè quis sectam aliquam Infidelium amplectetur, controuertitur inter DD. an irregularitatem incurrat. His positis.

29 Conueniunt DD. non posse Commissarium Cruciatæ dispensare in irregularitate prouenientе ex Apostasia à Fide verè, ac propriè dicta, hoc est cum animo profitendi Mahumetanismum, seu Iudaismum, &c.; & meritò, cū hæc sit proprijssimè, & in omni rigore Apostasia, de qua hic bullam loqui, necesse est.

30 Dubitari tamen potest, An dato, quòd per Apostasiam fictam incurratur irregularitas, nequeat similiter Cōmissarius Cruciatæ in huiusmodi Irregularitate dispensare.

31 Non posse asserit quidam, quem tacito nomine laudat Bardi citandus, eò quia in foro externo huiusmodi Apostatæ habentur veri Apostatæ, Ecclesia autem non iudicat de internis, sed solùm de externis; proinde dū hic in bulla excipitur irregularitas contracta ob Apostasiā, debet intelligi tàm de Apostasia verà, quàm ficta.

32 Posse tamen asserit ipse *Bardi p. 3. tr. 2. C. 1. n. 39.* & meritò, cùm versemur in pœnalibus, & odiosis, vtiq; dū excipitur irregularitas prouenientе ex Apostasia, verbum Apostasia, non debet extendi ad Apostasiam fictam, sed debet restringi ad formalem, ac veram Apostasiā, quæ absolutè, & rigorosè loquendo dicitur Apostasia; & idē de Irregularitate prouenientе ex Hæresi ficta, seu materiali de qua in sequēti. *Bardi. Auctor.*



DIF-

DIFFICVLTAS VII.

Quænam sit Irregularitas ex Hæresi, in qua nequit Commissarius Cruciatæ dispẽsare?

33 Conueniunt DD. Hæreticum purè mentalem non esse irregularem, & meritò, nam actus merè interni nõ subiacent Ecclesiasticis pœnis (vt supradictum est D.6.Q.2 n. 3.) An verò Hæreticus purè materialis sit irregularis, hinc inde DD. vt suprà de Apostata à Fide catholica dictum est; quarè adhuc dato, Hæreticum materialem esse irregularem, dico posse Commissarium Cruciatę dispensare in huiusmodi irregularitate prouenientè ex hæresi materiali, vt supra dictum est de Apostata materiali.

34 E contrà conueniunt similiter DD. Hæreticum verum, ac formalẽ, etiã post conuersionẽ, esse irregularem, neque posse ad vllum Ordinem promoueri, vt cõstat ex *can. saluberrimum*, 1.*q*.7. Similiter ergò, ac consequenter dicendũ est, non posse Commissarium Cruciatę dispensare in tali irregularitate prouenientè ex Hęresi formali siue sit occulta, siue sit manifesta, & publica, nam in vtroque casu verè, & in omni rigore est irregularitas ex hęresi proueniens.

35 Id ipsum dicendum puto de eo, qui ait, se de rebus fidei dubitare, nam is est verè ac formaliter Hęreticus iuxta supradicta D.6.Q.2.ci.n.33.

36 Similiter dicendum puto de Fautoribus, Receptatoribus, ac Defensoribus Hęreticorum in ijs, quę ad hęresim pertinent, saltem si affectu hęreticali hoc faciant; quia sic verè, ac propriè erit irregularitas orta ex hęresi, & hic excepta, & consequenter non poterit dispensari à Commissario Cruciatę; secùs autẽ si talis fauor, receptio & defensio oriatur ex sola amicitia, seu consanguinitate, & huiusmodi; talis enim irregularitas hic non excipitur, si forte sic contrahatur, cuius decisio non est huius loci.

37 Dubitatur etiam, an suspectus de Hęresi sit irregularis; aliqui enim negant, aliqui verò affirmant; cuius decisio quia neque est huius loci, dico, quòd adhuc dato, ob delicta inducentia suspicionem de Hęresi incurri irregularitatem, posse tamen in illa dispensare Commissarium Cruciatę. Ratio autem est, quia talis irregularitas nõ oritur ex hęresi, sed ex alijs criminibus, vt patet; cuiusmodi sunt inire explicitum pactũ cum Dęmone; illum inuocare, colere, responsa ab eo petere, & expectare, insurdescere per integrum annum animo obdurato in excommunicatione, & similia, quę gignunt vehementem suspicionem de Hęresi, ita ut reus cogatur corã Illustrissimis Inquisitoribus abiurare de vehementi.

38 Demùm dubitatur, an dissẽtiẽs speciali reuelationi, si prodeat in actum externum, sit irregularis; aliqui enim negant, affirmant alij; verùm quia neque talis decisio est huius loci, similiter dico, quod adhuc dato, hunc incidere in irrregularitatem, posse tamen in illa dispensare Commissarium Cruciatę. Et ratio est, quia hic sumus

mus in pœnalibus, & sic strictè sumi debet nomen irregularitatis, atque adeo restringi debet ad eam irregularitatem solùm, quæ fertur contra eos, qui recedunt à fide, quam proponit ipsamet Ecclesia catholica, & vniuersalis: talis autem non est priuata reuelatio.

DIFFICVLTAS VIII.

Quaenam sit Irregularitas ex mala Ordinum sacrorum susceptione, in qua nequit Commissarius Cruciatæ dispensare?

39 EX c.1.de eo, qui furtiuè, incidit in Irregularitatem, qui Ordinem aliquem furtiuè suscipit, videlicet qui non admissus se ingerit cum alijs ordinandis, siue ad fiat alienum nomen vsurpando, siue sub proprio suo nomine alium proponat examinandum, ac deinde ipse vocatus proprio nomine accedat ad Ordines sumendos. in hac ergò irregularitate nequit Commissarius dispensare, sicuti neque in alijs similiter ex mala Ordinum susceptione, siquæ sunt, nam quamuis plures aliæ irregularitates à nonnullis afferantur ob illicitam Ordinũ susceptionem, dicendæ tamen sunt potiùs suspensiones, quàm irregularitates.

40 Dubitatur tamen, An Commissarius Cruciatæ possit dispẽsare in irregularitate contracta ab eo, qui ministrat in Ordine, quem non habet, siue laicus, siue sit clericus. Ex quidem negant alioqui.

41 Affirmandum tamen omninò est, nam hic excipitur irregularitas proueniente ex mala Ordinum susceptione, qui verò ministrat in Ordine, quem non habet, nullo modo Ordinem suscipit, vt patet; ergò poterit Commissarius Cruciatæ in huiusmodi irregularitate dispensare.

42 Ceterùm notant hic cõmuniter DD. & meritò, supradictam irregularitatem non incurri, nisi in mala susceptione Ordinis Sacri, non autem ordinũ minorum. Videndum nunc est An Cõmissarius Cruciatæ possit dispensare in istis quinque irregularitatibus in bulla exceptis, saltem quando quis dubitat, an commiserit homicidium, Simoniam, &c. ex quibus oriuntur dictæ quinque irregularitates exceptæ.

DIFFICVLTAS IX.

An Commissarius Cruciatæ possit dispensare in aliqua ex dictis quinq; irregularitatibus, saltem quãdo delictũ ex quo oritur erit dubium?

43 NOn constat apud DD. an irregularitatem incurrat, qui dubitat, an commiserit homicidium, videlicet an mors iniusta sequuta fuerit ex vi suæ, an verò alterius tantùm actionis. & eadem est ratio de eo, qui dubitat, an suam hæresim perfectè, ac sufficienter externauerit. negant .n. aliqui, alii verò affirmant. Hoc posito.

44 Quærimus in præsenti, An facta hypothesi, quòd non obstan-

stante dubio de delicto, incurratur irregularitas, modo dicto, possit tūc Commissarius in illa dispensare, non obstante, quòd proueniat ex delicto hic excepto. Et quidem ratio dubitādi pro parte affirmatiua est, quia reseruatio est odiosa, & peccatum dubium communiter non censetur reseruatum.

45 Negant tamen *Bardi p.3.tr.2. C.1.n.51.* alijque, & meritò, nam talis irregularitas verè, ac propriè est ex homicidio voluntario, atque adeo vna ex quinq; hic exceptis irregularitatibus, ad quas non se extendit Commissarij potestas, vt dictum est.

46 Ceterùm præsens Difficultas non habet locum in sententia eorum, qui asserunt, in dubio nullam incurri irregularitatem prout dictum est. An verò idē dicēdum sit, quando huiusmodi irregularis nequit adire Sum. Pontificem pro dispensatione, dicetur Diff. sequenti.


DIFFICVLTAS X.

An quando affectus aliqua ex irregularitatibus exceptis, nequit adire Sum. Pontificem, possit tunc dispensare in illa Cōmissarius Cruciatæ?

47 Ratio dubitandi pro parte affirmatiua est, quia ex communi DD. consensu, in simili casu Episcopus potest absoluere à peccatis, & censuris Pontifici reseruatis: similiter commutare, seu dispensare in votis eodem modo reseruatis, atq; etiam in multis alijs impedimentis, ergò à pari idem dicendum videtur de Commissario Cruciatæ quoad supradictas irregularitates exceptas, in casu quo, tali irregularitate affectus nequit Sum. Pontificem adire.

48 Negat tamen *Bardi p.3.tr.2. C.1.n.53.* & meritò, nam potestas delegata, cuiusmodi est hæc quæ in præsenti conceditur dicto Commissario Cruciatæ, nequit egredi fines concessionis, etiamsi maxima occurrat necessitas, vt de se patet; quia potestas delegata circa casus exceptos se habet, ac si non esset. *Bardi. Auctor.*

49 E conuersò potestas ordinaria, cuiusmodi est Episcopalis, se extendit ad omnia pertinentia ad proprias oues, & solùm impeditur ab extrinseco quoad aliqua, nempè à suprema Sum. Pontificis potestate, ad maiorem quidem spiritualem profectum fidelium: hinc in casu, quo imminet eisdem fidelibus ex tali reseruatione detrimentum spirituale, prudenter existimandum est, dictam Episcoporum potestatem Ordinariā relinqui in suo robore, ac vi naturali, ex quibus patet disparitas ad rationem dubitandi in contrarium. Videndum nunc est, An dictus Commissarius Cruciatæ possit dispensare in irregularitatibus prouenientibus ex defectu, sicuti hactenùs dictum est de irregularitabus prouenientibus ex delicto.



DIF-

DIFFICVLTAS XI.

An Commissarius Cruciatæ possit dispensare in Irregularitatibus prouenientibus ex defectu?

50 DIfficultas hæc procedit circa omnes sex species irregularitatis ex defectu prouenientes n. 3. enumeratas. & quidē negant *Lud. à Cruc. D. 1. C. 9. d. 7. Herriq. l. 7. C. 13. n. 5. Villalob. sum. to. 1. tr. 27. claus. 13. n. 7. Bardi p. 3. tr. 2. C. 1. n. 10.* alijq; cōmuniter DD. putantes Sum. Pontificem hic loqui de Irregularitatibus prouenientibus tantùm ex delicto; mouentur ex eo, quia si Sum. Pontifex, aiunt, loqueretur etiam de irregularitatibus prouenientibus ex defectu, vtiquè aliquam ex illis excepisset, dùm excepit illas quinque ex delicto, vt dictum est. quod confirmant etiā ex praxi.

Lud. à cr. Herriq. Villalob. Bardi. Auctor.

51 Affirmāt tamen aliqui, quos tacito nomine laudat Bardi ci. quibus in partim adhęret *Auila de cens. p. 7. D. 6. se. 5. d. 1. corol.* 3. admittens, posse Commissariū Cruciatæ dispensare in irregularitate ex defectu lenitatis. & meritò, nam ex vna parte potestas hæc Commissarij est priuilegium fauorabile, & sic largè interpretandum: ex altera verò parte bulla vniuersaliter loquitur de omnibus irregularitatibus, dùm ait: *& super alia qualibet irregularitate*, exceptis quinq; illis supradictis, &c. absque vlla alia restrictione, & limitatione; ergò neque nos debemus illam restringere ad solas irregularitates prouenientes ex delicto; atque adeo Commissarius Cruciatæ poterit dispensare in qualibet irregularitate, siue proueniat ex delicto, siue ex quocunq; defectu; quinque solis exceptis, prout supra dictum est.

Auila.

Auctor.

52 Ad id quod AA. asserunt, nēpe Sum. Pontificem loqui de solis irregularitatibus prouenientibus ex delicto, & non ex defectu; dico hoc probandum esse, non gratis asserendum. quod autem Pontifex non exceperit vllam irregularitatem ex defectu, dùm aliquas excipit ex delicto, quid mirum? fortassis innuere voluit, magis turpari hominem delictis pro sacris Ordinibus suscipiendis, quàm alijs actibus ex se non peccaminosis.

53 Ad Confirmationem ex praxi respondeo, multa fieri posse, quæ nunquam tamen in actum secundum prodierunt.

54 Ex dictis confirmatur nostra opinio, nam si Commissarius Cruciatæ potest dispensare in omnibus irregularitatibus prouenientibus ex delicto (quinque exceptis, &c.) vt omnes concedunt, sanè multò magis idem Commissarius poterit dispensare in dictis irregularitatibus absque vlla culpa, seu delicto contractis.

DIFFICVLTAS XII.

An Commissarius Cruciatæ possit dispēsare in irregularitatibus etiam extra confessionem sacramentalem, & cum persona absente?

55 AFfirmant *Rodriq. in add. ad §. 13. n. 2. Trull. l. 1. §. 3. d. 1. n. 4. Bardi p. 3. tr. 2. C. 1. n. 24.* alijq;

Rodriq. Trullen. Bardi. Auctor.

alijque communiter DD. & meritò, nam dispensatio hęc nullā connexionem habet ex natura sua cum confessione sacramentali, neque ex dispositione Iuris, vt patet; ergò absolutè dari poterit independenter ab illa.

56 Propter eandem rationem sequitur, dispensationem hanc in irregularitate dari posse à dicto Commissario etiam personę absenti, cùm nulla in hoc appareat repugnantia. An etiā dispensari possit cum persona omninò ignota, dicetur Difficultate sequenti.

DIFFICVLTAS XIII.

An Commissarius Cruciatæ possit dispensare in irregularitatibus etiam cū persona ignota?

57 SAEpe contingit, vt irregularis dispensandus, vel ob verecundiam, vel ob aliam causam, nolit se manifestare: quærimus in præsenti, An æquè benè possit petere hanc dispensationem per alium tacito nomine ipsius dispensandi.

58 Et quidem affirmant *Bardi p. 3. tr. 2. C. 1. n. 27.* alijq; & meritò, nam dispensatio ex natura sua non necessario petit, vt ipse dispensandus nominetur, sed solùm vt exponatur causa, prout communiter fit in multis alijs dispensationibus, præsertim in foro conscientiæ. Sed videamus, an Commissarius Cruciatæ possit dispensare in hoc etiam cum Religiosis exēptis. *Bardi. Auctor.*

DIFFICVLTAS XIV.

An Commissarius Cruciatæ possit dispensare in irregularitate etiam cum Regularibus exemptis?

59 POsse Commissarium Cruciatę dispensare cum religiosis etiam exemptis, habita licētia à proprijs Pręlatis, nulla est difficultas, vt de se patet. dubitare igitùr solùm quis poterit in casu, quo Regularis volens dispēsationem alicuius irregularitatis obtinere, immediatè recurrit ad dictum Commissarium, nulla petita licentia à proprio Prælato; in quo etiam sensu.

60 Affirmant *Trullen. l. 1. §. 3. d. 1. n. 3. Bardi p. 3. tr. 2. C. 1. n. 25.* alijque; & meritò, nam Commissarius Cruciatę dispensat in hoc vt Delegatus Sum. Pontificis; Delegatus autem gerens vicem Sum. Pontificis habere potest in quibusdam casibus iurisdictionem in Regulares, & maximè quādo Regularis spōtè se submittit potestati dicti Commissarij. quod autem dictus Commissarius gerat vicem Sum. Pontificis, habetur expresse in *C. sanè, de Offic. Deleg.* Et hoc nisi quid speciale in aliqua religione in contrariū statuatur, ex vi alicuius priuilegij Apostolicę Sedis limitātis hāc amplam Commissarij Cruciatę potestatem. an verò talis dispēsatio prosit etiā pro foro externo, dicetur Diff. sequenti. *Trullen. Bardi. Auctor.*

DIFFICVLTAS XV.

An dispensatio ista Commissarij Cruciatæ prosit non solùm pro foro interno, sed etiam externo?

61 AFfirmant *Trullen. l. 1. §. 3. d. 1. n. 4. Herriq. l. 7. C. 13. n. 5. Bardi. p. 3. tr. 2. C. 1. n. 23.* alijque communiter DD. & meritò, nam huiusmodi potestas conceditur à Sum. Pontifice absolutè, & absquè vlla restrictione dicto Commissario Cruciatæ, ac proinde non est, cur illam restringamus ad solum forum internum, & consequenter huiusmodi dispensatio iuuabit etiã pro foro externo, & contentioso. *Herriq. Trullen. Bardi. Auctor.*

62 Ceterùm delinquens, non obstãte hac dispensatione Cõmissarij, poterit absolutè puniri à Iudice ob patratum delictum, ob quod in irregularitatem incidit; nam talis dispensatio non eximit illum à debita pœna neque pro foro interno, neque pro foro externo, sed tãtùm tollit irregularitatem, hoc est, facit, vt ipse delinquens possit in futurum se gerere nõ vt irregularis; sed vt fidem de hoc faciat, necesse est, vt in scriptis authenticè demonstret dispensationem à Commissario Cruciatæ habitam.

63 Notandum etiam est, Commissarium Cruciatæ posse etiã auferre infamiam prouenientem ex irregularitate, quæ ab eodem tolli potest; sic enim in eodẽ textu habetur.

DIFFICVLTAS XVI.

Sub quibusnam conditionibus facienda est à Commissario Cruciatæ dicta in irregularitatibus dispensatio?

64 PRima conditio ad hoc vt validè fiat à Cõmissario Cruciatæ ista dispensatio, necessariò intercedere debet aliqua compositio pecuniaria in subsidium ipsius Cruciatæ, secundùm prudẽs arbitrium eiusdem Commissarij vel principalis, vel subdelegati; spectata semper conditione personæ dispensandæ, ac qualitate irregularitatis; nam quò maior erit irregularitas, maiore etiam indigebit compositione: eademque proportione, à diuitibus maior, à mediocribus minor, à pauperibus minima petenda erit compositio: patet totum hoc ex eadem bulla, in qua sic dicitur: *conceditur facultas dispensandi, & componendi;* ergò necessariò requiritur compositio, quæ cùm non determinatè taxetur, vtiquè arbitrio ipsius Commissarij relinquit, vt dictum est.

65 Petes, an si is, cum quo dispensatur, sit adeo pauper, vt neque vnum obolum erogare valeat, possit tunc dictus Commissarius validè dispensare vi Cruciatæ absque vlla cõpositione?

66 Affirmat *Bardi p. 3. tr. 2. C. 1. n. 11. in fine;* nõ tamen coherenter ad sua principia, nam compositio etiam per ipsum, est cõditio sine qua non validè dispẽsatur (vt dictum est) & sub qua consequenter confertur Commissario dicta potestas dispensandi in irregularitatibus. *Bardi.*

Ne-

Author. 67 Negandum igitur puto, nam ſub hac limitatione conceditur Commiſſario facultas diſpenſãdi in irregularitatibus, nempè vt ſi velit in illis diſpenſare, neceſſariò componat, vt dictum eſt; atque adeò dictus Commiſſarius nõ habet poteſtatem diſpenſandi abſq; compoſitione. quarè non video, quomodo paupertas diſpenſandę perſonę tribuat Commiſſario poteſtatẽ, quam non habet.

68 Quod ſi id aſſeras ex præſumpta Sum. Pontificis voluntate; ſanè gratis omninò aſſeritur, & præſertim ſi talis diſpenſandus facilè adire poterit eos, qui de iure communi diſpenſare poſſunt.

69 Altera conditio adhoc, vt Commiſſarius Cruciatæ validè in irregularitatibus diſpenſet, eſt, vt delicta, ex quibus oriũtur, non ſint patrata in contẽptum clauium; ita enim habetur in ipſamet bulla; in qua licèt iſta conditio, ſiue reſtrictio apponatur contra illos, qui cenſurà affecti vel Miſsã celebrãt; aut in Diuinis ſeſe immiſcent, attamen hoc ipſum extendendum eſt ad quælibet alia delicta ex contemptu commiſſa, cùm æquè ſe habeat ad omnia delicta motiuum, quod eſt, ſic puñire eos, qui ex contemptu Dei, aut Eccleſiæ operantur.

70 Conueniunt tamen DD. cõtemptum iſtum debere eſſe formalem, & non ſufficere ſolum virtualem, ſeu interprætatiuũ, qualis eſt ille, qui in omni peccato includitur, & non eſt formaliter, ac directè volitus. talis autem eſſet, ſi quis exercens actum Ordinis violaret Cenſuram paruipendens pœnas ecclesiaſticas, ſeu nolens directè obedire Eccleſiæ, aut illius iuriſdictioni ſe ſubmittere; ſecùs autem ſi ex alio prauo motiuo moueretur ad peccandum.

DIFFICVLTAS XVII.

An, & quomodo Commiſſarius Cruciatæ poſſit reualidare titulum Beneficij?

71 Commiſſarius Cruciatæ nõ ſolùm poteſt diſpẽſare in irregularitatibus, ac tollere infamiam ex irregularitatibus, in quibus ipſe diſpenſare poteſt, prouenientem, modo hactenùs explicato; verùm etiã reualidare poterit titulum beneficij, ac fructuum ex illo perceptorum ijs, cum quibus diſpenſat; ita enim expreſsè habetur in eadem bulla his verbis: *cum retentione Beneficiorum, & fructuũ ex eis perceptorum, etc.* erit tamen danda abſolutio ab eccleſiaſtica cenſura, in quam incidit ipſe diſpenſandus.

72 Notandum tamen eſt, Beneficium, cuius titulus validatur à dicto Commiſſario, eſſe Beneficium ſuperueniens irregularitati, non autem Beneficium acquiſitum ante incurſam irregularitatem. patet, nam (vt cõmuniter notant DD. in materia de Cenſuris) Irregularitas non priuat Beneficiarium Beneficio, ſeu Penſione obtenta ante irregularitatem.

73 Quod dictum eſt de beneficio, intelligendũ etiam eſt de iuriſdictione, nã irregularis põt exercere actus iuriſdictionis nõ

inuoluentes exercitium Ordinis tàm licitè, quàm validè.

74 Atquè hæc satis sint circa potestatem Commissarij Cruciatæ dispensandi in irregularitate.

QVÆSTIO III.

De Potestate Commissarij Cruciatæ ad validandum matrimonium irritum, ac prolem legitimandam.

TRia sub hac tertia facultate Commissario Cruciatæ cōceduntur; & quidem primò, vt ipse Commissarius dispensare possit in impedimento proueniente ex primo, & secūdo gradu affinitatis incestuosæ: secūdò legitimare prolem: ac tertiò dispensare ad petendum debitum, si fortè inter coniuges aliquod superuenerit impedimētum ad petendum; de quibus omnibus in præsenti Quæstione dicendum erit.

DIFFICVLTAS I.

Quid, & quotuplex sit Affinitas?

1 *AFfinitas est personarum proprinquitas, ex copula carnali proueniens, omni carens parentela:* hoc est, non agens coniunctione cōsanguinitatis, vt contrahatur, quamuis possit esse simul cum illa. ex eo enim, quòd vir, & fœmina media copula carnali fiant vna, caro & vnus sanguis, cōsanguinei vnius fiunt propinqui, & affines alteri, & è contra, non autem ipse vir, & ipsa fœmina, qui carnaliter commixti sunt, qui propriè dicuntur stipes, seu truncus, vnde sumitur initium affinitatis.

2 Ad hanc autem Affinitatem, conueuiunt DD. contra Medinam, nō sufficere copulam absque seminis intromissione; & meritò, nam affinitas ex eo solùm oritur, quod sanguis viri, nempe Semen, & sanguis menstruus fœminæ, seu eius semen commisceantur intra matricē ipsius fœminæ, sicque fiant vna caro, & vnus sanguis, hoc est principium vnius carnis, id est prolis.

3 Eadem ratione conueniunt similiter DD. ad dictam affinitatem non sufficere quamcunq; sanguinum commixtionem, sed requiri illam, quæ existsit sufficiens ad generationē, & formationem prolis; nisi sterilitas, vel quid aliud per accidens illā impediat; & meritò, nam absq; tali commixtione, qui aliter cōmiscentur, non fiunt vna caro, & vnus sanguis; eo quia fieri vnam carnem, & vnum sanguinem est fieri principium ex se sufficiens vnius carnis, id est prolis, vt dictum est, hinc similiter non sufficit ad hanc affinitatem contrahendam immissiō seminis eunuchorum, quia hæc inepta est generationi; neq; immissio seminis prolifici sodomitica, eo quia similiter est generationi inepta.

4 Demùm conueniunt DD. cōmuniter contra paucos, neque sufficere ad hanc affinitatem solius viri seminationem in matricem fœminæ, sed etiā requiri seminationem fœminæ. & meritò,

ritò, nam ex Galeno, & Auicenna, etiam seminatio fœminæ est necessaria ad generationem; & sane semen fœminæ nõ videtur ad aliud à natura institutum. quod etiam confirmatur ex can. *Lex diuina*, vbi requiritur etiam sanguinis, id est seminis commixtio.

5 His ergò positis conditionibus; dicta Affinitas oriri potest tàm ex copula licita, nempe ex matrimonio, quàm ex copula illicita, seu fornicaria: tum in linea recta, tum in collaterali, videlicet in linea ascendentium, & descendentium, & in linea earum personarũ, quæ ex transuerso sũt coniunctæ, inter quas non est origo. His igitur ex tractatu de matrimonio breuiter prænotatis, videndum est, an Commissarius Cruciatæ possit in qualibet affinitate dispensare, & quomodo.

DIFFICVLTAS II.

An Commissarius Cruciatæ possit in qualibet Affinitate dispensare?

6 INter alia impedimenta matrimonium dirimentia habetur impedimentum Affinitatis (de qua hactenùs dictum est) tàm de Iure antiquo, quàm de iure nouo, etiam Tridentini; hoc tamen discrimine, nam de iure antiquo, vt patet ex *c. nullum, c. æqualiter, 35. q. 3.* Impedimentum hoc Affinitatis extendebatur vsquè ad septimum gradum inclusiuè; ex iure deinde Conc. Lateranensis sub Innocentio III. quod habetur in *c. debet, De consang. & affin.* vsq; ad quartum tantùm gradum inclusiuè; nouissimè demùm ex Tridentino *ses. 24. C. 4 de matr.* impedimentum hoc affinitatis, proueniens ex copula tamen illicita, extenditur tantùm vsquè ad secundum gradum inclusiuè, tùm in linea recta, tùm collaterali. Hoc posito. *Trident.*

7 Conueniunt DD. posse Cõmissarium Cruciatæ dispensare in impedimento Affinitatis prouenientis ex copula illicita, non solùm in linea collaterali, sed etiam in linea recta. & meritò, nam dùm absolutè conceditur in bulla Commissario potestas dispensandi in Affinitate, non debet illa coarctari ad solam affinitatẽ in linea tranuersali. Similiter dùm dicitur *in primo, & secundo gradu*, idem est, ac si diceretur in quolibet gradu, quia affinitas ex copula illicita non dirimit nunc matrimoniũ, nisi in primo, & secundo gradu vt dictum est. Verum tamen est quòd dicta potestas dispẽsandi in hoc impedimẽto affinitatis, non conceditur dicto Cõmissario absolutè hoc est in omni casu, sed sub quibusdam conditionibus, seu in aliquibus casibus infrà declarandis. *Auctor.*

8 Ceterũ nequit absolutè Cõmissarius Cruciatæ dispensare in affinitate proueniente ex copula licita, sicuti neque in vllo alio matrimonij impedimento siue dirimente, siue tantùm impediente. patet, nam potestas delegata, qualis est ista Commissarij, nequit se extendere vltra verba concessionis; iam in illius concessione, præter affinitatem ortam ex copula illicita in primo, & secundo gradu, de nullo alio matrimonij impedimento fit mentio, ergò &c. Dicendum nunc erit de cõditionibus requisitis ad hoc, vt Com-

Commissarius Cruciatæ validè dispenset in supradicto Affinitatis impedimento,

DIFFICVLTAS III.

Quænam requirantur conditiones ad hoc, vt Commissarius validè dispenset in dicto affinitatis impedimento?

9 QVinque à Sum. Pontifice præscribuntur conditiones ad hoc, vt Commissarius Cruciatæ dispensare valeat in dicto impedimento Affinitatis ex copula illicita (modo dicto) contractæ. prima ergò est, vt matrimonium sit celebratũ in facie Ecclesiæ iuxtà Tridentini formam; secunda est, vt tale impedimentum sit penitus occultum; Tertia, vt tempore contracti matrimonij saltem alter contrahentium bona fide contraxerit; Quarta, vt coniux innocens certior priùs fiat de nullitate consensus, & matrimonij inualidè cõtracti. Quinta demum, vt magna sint euentura scandala, si talis dispensatio negetur his positis.

10 Quæres, An omnes istæ conditiones sint indiuisibiliter necessariæ, adeo vt etiam vna ex ipsis deficiente, nequeat absolutè Commissarius dispensare?

Bardi. Auctor. 11 Affirmant *Bardi p.3.tr.3.C.2. n.2.* aliiq; communiter DD. & meritò, nam Sum.Põtifex dùm confert dicto Commissario potestatem hanc dispensandi in dicta affinitate sub omnibus istis conditionibus, non ex iure aliquo, sed specialiter ab ipsomet Pontifice in eadem collatione potestatis appositis, vtiquè limitat, & coarctat collatã potestatem intrà fines omnium istarum conditionum; & quidẽ indiuisibiliter sumptarum, eo quia nõ est maior ratio de vna, quàm de alia; atque adeo si dictus Commissarius Cruciatæ dispensaret extra aliquam etiam ex dictis conditionibus, sanè egrederetur fines collatæ potestatis, & consequenter omninò nulliter, & inualide operaretur quantum est ex vi talis potestatis. Quomodo autem dictæ cõditiones sint intelligendæ, dicetur per sequentes Difficultates.

DIFFICVLTAS IV.

Quid necessariò requiritur ad hoc, vt matrimonium verè dicatur contrahi iuxta Tridentini formam?

12 PRima conditio necessariò requisita ad hoc, vt Cõmissarius Cruciatæ validè dispenset in affinitate orta ex copula illicita (vt dictum est n.9.) est, vt matrimonium sit iam contractum, & non quomodocunque, sed seruata Tridentini forma. Videndum ergò est in præsenti, in quonam consistat ista Tridentini forma seruanda in matrimonij celebratione, vt sic innotescat, quando nam possit, necne Commissarius dispensare in tali affinitate.

13 Et quidem conueniunt DD. præsentiam proprij Parochi, ac duorum, vel trium testium pertinere ad formam substantialem à Tridentino præscriptam in celebratione matrimonij, itaut omninò inualidè matrimonium contrahatur absq; præ-

præsentia Parochi, vel testium, modo dicto, vt fusè probatur in tractatu de matrimonio; quare si matrimonium adhuc non sit contractum, vel si contractum, non tamen coram Parocho, vel neque coram testibus, tunc non posset Commissarius validè dispensare in dicta affinitate, &c.

14 Controuertitur solùm, An Denũciationes à Tridentino etiam prerequisitæ ad celebrationem matrimonij, necessariò similiter prerequirãtur ad validitatem matrimonij. & quidem affirmant aliqui, saltem quando non omittuntur ex dispensatione.

Sanch. Pontius. Hurdad.

15 Negant tamen *Sanch.l.3.de matr.D.13.Pontius l.5.C.5.Gas. Hurtad.D.5.de matr.d.18.n.58.* alijq; communiter DD. etiamsi absq; vlla dispensatione omittantur; solùm tamen eas præ-requiri ex præcepto, aliunt, vt sic licitè contrahatur; & meritò, vt in tractatu de matrimonio videbimus. & ideo secundùm hanc opinionem, dictæ Denunciationes non pertinent ad formam substantialem contractionis matrimonij, sed ad solam formam accidentalem, vt licitè solùm contrahatur, vt dictum est. Hoc posito.

Auctor.

16 Dubitare quis potest, An Commissarius Cruciatæ posit dispensare in dicta Affinitate, si matrimonium fuerit sanè cõtractum coram legitimo Parocho, ac testibus requisitis, absque vlla tamen denunciatione?

17 Et quidem ratio dubitandi pro parte negatiua est, quia in bulla absolutè dicitur, *si formam Tridentini seruauerint*; dictæ autem denũciationes iam se habent vt formam, quamuis accidentalem, vt dictum est.

18 Affirmandum tamen puto, nam sub nomine formæ absolutè prolatæ nõ venit nisi id, quod est de essentia, seu validitate actus vt per singula discurrenti patebit; ac proinde facta hypotesi, quòd denunciationes non sint de essentia, seu validitate contractus matrimonij, adhuc vbi Tridentinum viget, (vt cum communi dictum est) sanè qui matrimonium coram legitimo Parocho, & testibus requisitis celebrat, verè, & in omni rigore dicẽdus erit, Tridentini formam seruare, etiamsi absque vlla denunciatione illud celebret, ergò &c. Ex quibus patet etiam ad rationem dubitandi in contrarium, atq; hæc satis sint circa primam conditionẽ necessariò requisitam ad hoc, vt Cõmissarius validè dispenset in dicta affinitate. pro secũda verò sit.

DIFFICVLTAS V.

Quandonam impedimentum hoc Affinitatis dicatur ita occultum, vt possit in illo dispensare Cõmissarius Cruciatæ.

19 SEcunda conditio necessariò requisita ad hoc, vt Commissarius Cruciatæ validè dispenset in impedimento affinitatis ortæ ex copula illicita (modo supradicto) est, vt tale impedimentum sit penitus occultum. videndum ergò est in præsenti, quandonam tale impedimentum dicatur penitus occultum, prout facit ad rem præsentem.

duo-

20 Occultum enim dupliciter ſumi poteſt, primum prout contradiſtinguitur à probabili; ſecundum prout contradiſtinguitur à publico. probabile autem eſt, quod ſcitur ſaltem à duobus, qui fidem facere poſſunt in foro iudiciali,& ſi teſtes fuerint oculati, omniq; exceptione maiores, tunc diceretur plenè probabile: publicum autem eſt, quod ſcitur non ſolũ in tota Ciuitate,verùm etiã ſi ſciatur in maiori parte viciniæ,Monaſterij,Conuentus,dummodo tamen in ea vicinia, vel in eo Monaſterio, vel Conuentu inueniantur ſaltem decem perſonæ. His poſitis.

Rodriq. Villalob. Sanch. Diana. Bardi.

21 *Rodriq.§.13.num.6.Villalob. clauſ.13.n.5.Sanch.tom.3.de matr.l.7.D.3.n.26.Diana p.1.tr.11. reſ.118.Bardi p.3.tr.3.C.3.nu.7.* & alij putant, occultum hic ſumi debere pro eo, quod non eſt publicum, etiamſi ab aliquibus ſciatur, modo ſupra explicato. ducuntur ex eo, quia cõmuniter DD. ſic ſumunt occultum, dùm in *Trid ſeſ.24.C. 6. de reſor.* conceditur Epiſcopis facultas diſpenſandi in irregularitatibus prouenientibus ex delicto occulto, nempè nõ publico. ſimiliter ſumitur occultum, dùm in clauſulis litterarum, quæ pro diſpenſatione in impedimentis ad ineundum matrimonium expediuntur in Pœnitentiaria, apponitur ſimilis clauſula, vt impedimentum ſit occultum, hoc eſt, non publicum.

Trident.

Graff. Garzia. Armend.

22 At *Graff.tom.2.conſ.2.nu.20. de homic.Garzia de Beneſ.tom.2. p.7.C.11.nu.4. Armendariz in add.ad recop.l.Nauar.l.1.tit.18.* nonnulliq; alij docent, hic occultum ſumi debere non ſolùm pro eo, quod non eſt publicũ, ſed etiam pro eo, quod nullo modo probari poteſt,imò pro eo ſolùm, quod præter ipſum delinquentem, omnes alios latet. & meritò,nam in hac bullæ clauſula non dicitur ſolùm, vt tale impedimentum ſit occultum, (prout dicitur in Tridentino ci. alijſq;litteris Pœnitentiariæ, &c.) ſed vt ſit *penitus* occultum; iam ly *penitus* ſignificat, vt tale impedimentum ſit ita occultum, vt occultius eſſe nequeat: huiuſmodi autem occultum nequit ſanè dici id, quod ab aliquibus ſcitur, etiãſi publicum non ſit, vt patet; ſed ſolùm id, quod à ſolo delinquente ſcitur.

Auctor.

23 Ex dictis patet etiam diſparitas ad paritates ab AA. allatas ex Tridentino, alijſque litteris Pœnitentiariæ eãdem quidem clauſulam continentibus, ſed non eodem modo, vt dictum eſt.

24 **Notandum tamen eſt, cum communi DD. conſenſu, poſſe aliquando delictum eſſe etiam publicum, & impedimentum eſſe penitus occultum; vt ſi v.g. publicè ſciatur, à Titio cognitam carnaliter fuiſſe Bertam, ac poſtea à Titio ductam fuiſſe in vxorem filiam, aut ſororem, ſeu matrem ipſius Bertæ, attamen penitus ignoretur ex tali delicto, nempè ex copula illa reſultare impedimentum ad tale matrimonium contrahendum, tunc delictum formaliter vt impedimẽtum eſt, diceretur occultum, & conſequẽter poſſet in illo Commiſſarius diſpenſare.**

25 **Quod ſi adſit dubium, an tale impedimentum ſit penitus occultum, necne, tunc nõ poterit Com-**

Commissarius dispensare, eo quia hic possessio stat pro Ecclesia, atque adeo spectat reo probare, tale impedimentum esse penitus occultum, modo probato &c.

26 Ceterùm, quia ista dispensatio non prodest nisi pro solo foro conscientiæ (vt infra dicetur) si post dispensationem à Commissario obtentam, publicetur impedimentum illud affinitatis, tunc coniuges tenētur recurrere ad Pontificem, vt ab eodem dispensatio illa confirmetur. atq; hæc circa secundam conditionem; pro tertia verò sit.

DIFFICVLTAS VI.

In quonam consistat Bona Fides saltem in altero contrahentium hic necessariò requisita?

27 Tertia conditio necessariò requisita ad hoc, vt Cōmissarius Cruciatæ validè dispenset in impedimento affinitatis prouenientis ex copula illicita (modo supradicto) est, vt tempore cōtrahendi matrimonij, saltem alter contrahētium bona fide contraxerit. videndū ergò est in præsenti, in quonam consistat hæc bona Fides, saltē in altero contrahentiū, necessariò requisitam adhoc, vt Cōmissarius Cruciatæ valeat dispensare in dicto Affinitatis impedimento.

28 Et quidem dicta bona fides consistit, vt saltem vnus ex cōtrahentibus tempore contrahendi matrimonium, ignoret adesse tale impedimentum dictæ affinitatis; atq; adeo, si tunc vterque coniux sciat impedimentum, & tamen hoc non obstante contrahat, nō poterit in tali casu Commissarius dispensare.

29 Conueniunt tamen DD. non sufficere ad tollendam dictam bonam fidem scientiam, qua coniux agnoscit, se accessisse ad consanguineam in primo, vel secundo gradu cum ea, quam in vxorē duxit, nisi simul sciat, inde oriri impedimentum ad matrimonium contrahendum. (eo modo, quo supra num. 24. diximus in ordine ad occultum,) & meritò, nam dicta bona fides requiritur à Sum. Pontifice in ordine ad matrimonium contrahendum: sciētia autem delicti, vt delictum est, per accidens se habet ad contrahendum matrimonium, nisi simul sciatur, tale delictum importare impedimentum ad cōtrahendum tale matrimonium.

30 Dubitatur autem, An ignorantia vincibilis, seu affectata talis impedimenti satis sit ad tollendam dictam bonam fidē, & idem erit dicendum de inaduertentia similiter vincibili, seu affectata.

31 Affirmant *Bardi p.3. tr.3. C.3 nu. 16.* alijque, & meritò, nam dum quis omittit diligentiam, ad quam sub mortali tenetur indagare veritatem, vtiq; constituitur iniquus possessor, ac proinde verè & realiter dicendus erit esse in mala, & non in bona fide, vt clarè patet in possessore rei alienæ, atq; adeo tūc non posset Commissarius dispensare; secùs autem est dicendum in casu, quo dicta ignorātia, seu inaduertentia erit solū venialiter culpabilis, nam sola culpa mortalis, & non venialis, poterit spoliare aliquem possessione, quam habet ad ali- *Bardi. Auctor.*

quam rẽ, & consequenter neq; bona fide. Atq; hæc circa tertiam conditionem; pro quarta ergo sit.

DIFFICVLTAS VII.

An coniux innocens necessariò debeat fieri certior de nullitate matrimonij iam contracti?

32 QVarta conditio (vt supra nu.9.diximus) requisita ad hoc, vt Cõmissarius Cruciatæ validè dispenset in supradicto impedimento Affinitatis prouenientis ex copula illicita, & fornicaria est, vt coniux innocens certior priùs fiat de nullitate matrimonij iam contracti, antequam scilicet de nouo matrimonium celebretur ex vi huiusmodi dispensationis Commissarij; quæ quidem conditio non solùm necessariò requiritur ad hoc, vt dictus Commissarius validè dispẽset (prout supra etiam dictum est) verùm etiam ad hoc, vt validè tale matrimonium de nouo cõtrahatur; nam nequit sanè dictus coniux habere nouam intentionem necessariò requisitam ad nouiter, ac iterùm contrahendum, nisi sciat, se nulliter antea tale matrimonium contraxisse.

33 Remittit tamen Sum. Pontifex prudenti arbitrio ipsius Commissarij modum, quo hic, & nunc coniux innocens fieri debeat certior de nullitate talis matrimonij cõtracti, dùm nullum modum in hoc præscribit.

34 Similiter eiusdem Commissarij arbitrio relinquit, an aperienda etiam sit, necne causa talis nullitatis prioris matrimonij, vt sic vitentur scãdala, quę ex cognitione talis causæ oriri possent; vt e. g. si impedimentum hoc proueniat ex eo, quia vxor ante initum matrimoniũ habuit rem cum fratre sui viri, tunc sanè scandala facilè timẽtur, quia maritus hoc sciens posset non ratificare consensũ, ac mulierem illam vel diffamatam relinquere, vel occidere, vel æternum odium contra illã concipere, &c. Atque hæc circa quartam conditionem; aliquid ergò restat solùm notandum circa quintam, & vltimã conditionem ad hoc requisitã.

DIFFICVLTAS VIII.

An si nullum timetur scandalum, nisi matrimonium reualidetur, possit adhuc Commissarius dispensare?

35 QVinta, & vltima conditio necessariò requisita adhoc, vt Commissarius Cruciatæ validè dispenset in dicto Affinitatis impedimento ex copula illicita (modo supra explicato) est, vt magna sint euẽtura scandala, si talis dispensatio negetur, sic: *si ad euitanda grauia scandala dispẽsandum iudicauerit*; atque adeo, quamuis in casu nostro ferè semper timeri poterunt scãdala, nisi tale matrimonium reualidetur, vt de se patet; attamen in casu, quo nullum scandalum timetur (si fortè talis casus dari possit) tũc non poterit Commissarius dispensare; patet, nam talis clausula se habet vt conditio sine qua non, sicuti & reliquæ quatuor, prout supra nu.11. probatum est.

36 Ceterùm quænam scandala

sint

ſint ſufficientia, quæ verò non ad hoc, vt dictus Commiſſarius diſpenſare valeat in dicto affinitatis impedimento, poſitis reliquis quatuor alijs conditionibus ſupradictis, abſolutè Sũ. Pontifex relinquit prudenti arbitrio eiuſdem Commiſſarij. Atq; hæc ſatis ſint circa quinq; conditiones neceſſariò requiſitas ad hoc, vt dictus Commiſſarius Cruciatæ validè diſpenſet in impedimento affinitatis ortæ ex copula illicita, &c. ſolùm ergò videre reſtat, an huiuſmodi Commiſſarij diſpenſatio valeat pro vtroque foro.

DIFFICVLTAS IX.

An dicta Cõmiſſarij diſpenſatio prodeat pro vtroq; foro, & quomodo fieri debeat?

37 CONueniunt DD. dictam Commiſſarij diſpẽſationem non valere, neq; prodeſſe niſi pro foro tantùm conſcientiæ; ſic enim patet expreſsè ex ipſomet textu bullæ, ac proindè ſi poſt diſpenſationem à Commiſſario obtentam publicetur impedimentum illud affinitatis, tunc coniuges ſeparãdi erunt in foro externo per Iudicem Eccleſiaſticum, donec à Sum. Pontifice pro foro etiã externo obtineatur diſpenſatio.

38 Quoad modum autem, quo fieri debet talis diſpenſatio à Commiſſario, conueniunt ſimiliter DD. non debere fieri publicè cum Notario, & teſtibus, neque in ſupplicatione, ſeu petitione debere exprimi nomina eorum, cum quibus Commiſſarius erit diſpenſaturus. & meritò, aliter enim impedimentum fieret publicum; atq; adeo litteræ expediri debẽt tacitis nominibus.

39 Eademq; ratione conueniũt etiam DD. quòd, habita diſpẽſatione in tali impedimẽto, nõ ſit neceſſe fieri denũciationes, nec adeſſe Parochum, neq; teſtes, ſed ſufficere vt inter ſe de nouo contrahant; generale .n. eſt, vt qui in facie Eccleſiæ cõtraxere, ſublato impedimento per diſpenſationem, omnino licitè poſſint clam contrahere, vt declarauit Pius V. in quodã motu proprio, & ex praxi conſtat. Atq; hæc ſatis ſint circa poteſtatem Commiſſarij diſpẽſandi in impedimento affinitatis ex copula illicita, modo iam explicato; de eiuſdem igitur poteſtate in legitimanda prole, dicendum erit.

DIFFICVLTAS X.

An Commiſſarius Cruciatæ poſſit legitimare prolem quomodocunque illegitimè natam?

40 SVm. Pontifex hic non ſolùm concedit Commiſſario Cruciatæ poteſtatem diſpẽſandi in matrimonio nulliter contracto ob impedimentum affinitatis ortæ ex copula illicita, modo hactenus explicato, ſed etiam dat facultatem legitimandi prolem ſuſceptam, vel ſuſcipiendam, ſic: *prolemque ſuſceptam, & ſuſcipiendam exinde legitimam decernere.* videndum ergò erit hic primò, an dictus Commiſſarius poſſit legitimare prolem quomodocunq; ſeu ex quocunque matrimonio illegitimè contracto, illegitimè natam. Affirmant aliqui.

Carolus Latius in Bull. Cruc.

 Ne-

Trullen. *Bardi.* *Auctor.*

41 Negant tamen *Trullen. l. 2. §.4.d.2. num.1.Bardi p.3.tr.3.C. 4.n.2.* alijque; & meritò, nam dùm Pontifex post concessam facultatem dispensandi in dicto impedimento affinitatis ait: *Prolemq; susceptam, & suscipiēdam exinde legitimam decernere*; vtiquè particula ista, *exinde*, est relatiua ad præcedētia, ac proinde refert prolis legitimationem ad matrimonium, in quo potest Commissarius dispensare; atque adeo Commissarius Cruciatæ nequit legitimare prolem quomodocunque illegitimè natam, sed tantùm eam, quæ illegitimè nata est, seu nascitura esset ex eo matrimonio, quod reualidari poterit à Cōmissario modo supradicto.

42 Quarè dictus Commissarius nequit legitimare prolem illam natam à parentibus, qui ex parte vtriusque mala fide contraxerunt, neque si dictum affinitatis impedimentum fuerit publicū, (modo supra explicato) eo quia nequeat in vtroq; casu matrimonium reualidare; nam quamuis legitimare prolem, & reualidare matrimonium irritum sint diuersæ potestates, attamen potestas legitimandi datur vt quid accessorium ad potestatem dispensandi in impedimento, seu matrimonium reualidandi, atq; adeo, eo ipso quòd Commissarius nequit reualidare matrimonium, neque poterit legitimare prolem natam, seu nascituram ex tali matrimonio; destructo .n. principali, necesse est, vt corruat, & accessorium.

43 Verum tamen est, quod hic Cōmissarius poterit legitimare prolem susceptam, seu suscipiendā ab aliquo matrimonio reualidato non solum à seipso, seu ab alio simili Commissario, sed etiam ab Episcopo, dummodo impedimentū illud fuerit tale, vt in eo potuisset etiam hic Commissarius dispensare (modo supradicto:) patet, nam quòd matrimonium inueniatur reualidatum, non minuit huius potestatem, dum fit distinctis actibus. Sed videamus, an huiusmodi legitimatio prosit etiam pro foro externo.

DIFFICVLTAS XI.

An legitimatio ista Commissarij prosit non solum pro foro conscientiæ, sed etiam pro foro externo?

44 Sanch.l.8.de matr.D.6.n.25. *Trullen.l.2.§.4.d.2.nu. 1. Bardi p.3.tr. 3.C. 4.n. 3.* alijque communiter DD. asserunt, valere solùm pro foro conscientiæ, & nullo modo pro foro externo. & meritò, nam expressè in ipsamet bulla conceditur præsens facultas dispensandi in impedimento affinitatis, modo dicto, ac prolem inde susceptam, seu suscipiendam legitimandi pro foro conscientiæ dumtaxat. *Sanch.* *Trullen.* *Bardi.* *Auctor.*

45 Quod quidem satis prudenter factum est, nam si huiusmodi legitimatio valeret etiam pro foro externo, vtique publicanda esset, atque adeo publicandum etiam necessariò esset impedimentum talis matrimonij; quod quidem esset contrà omne bonum regimen. Circa hanc igitur legitimationem solùm videre restat, quos effectus illa pariat; pro quo sit.

DIF-

DIFFICVLTAS XII.

Quoſnam effectus pariat iſta legitimatio?

46 CONueniunt DD. ſic legitimatum poſſe ad omnes Ordines promoueri, & ad quæuis Beneficia acquirenda. Difficultas igitur ſolùm eſt, An ſic legitimatus valeat ſuccedere in bonis temporalibus. & quidem negant *Sanch. l. 8. de matr. D. 6. n. 25. & Villalob. clauſ. 14. nu. 12.*

Sanch. Villalob.

47 Affirmant tamen *Herriq. l. 7. C. 13. Bardi p. 3. tr. 3. C. 4. n. 4.* aliique & meritò, nam *& c. ex tenore, c. cum inter, & c. peruenit, qui filij ſint legitimi*, habemus, quod proles nata ex matrimonio nulliter contracto ob aliquod impedimentum dirimens, ſi tamen tale matrimonium fuerit initum bona fide, ſaltem ex parte vnius contrahentis, ſit legitima quoad omnia; iã poteſtas iſta Cõmiſſarij legitimandi nõ ſe extendit niſi ad eã prolẽ ſuſceptã, ſeu ſuſcipiendam ex matrimonio inito bona fide, ſaltem ex parte vnius coniugis (vt ſupra dictũ eſt) ergò proles legitimata à Commiſſario Cruciatæ poterit ſuccedere in bonis temporalibus, quamuis reuera non ex vi talis legitimationis, ſed ex vi Iuris communis Canonici, vt iam notatum eſt.

Herriq. Bardi. Auctor.

48 Atque hæc ſatis ſint circa poteſtatem Commiſſarij Cruciatæ legitimandi prolem ſuſceptam, & ſuſcipiendam ex matrimonio, quod ab eodem reualidari poterit; pro complemẽto ergò præſentis Quæſtionis aliquid ſolùm ſupereſt notare circa poteſtatem eiuſdem Cõmiſſarij ad diſpenſandum in impedimento affinitatis ſuperuenientis matrimonio iam contracto ad petendum debitum.

DIFFICVLTAS XIII.

An Commiſſarius Cruciatæ poſſit abſolutè diſpenſare ad petendum debitũ coniugale?

49 QVi carnaliter cognouit conſanguineam aliquã ſuæ vxoris in primo, aut ſecũdo gradu nequit ampliùs petere debitum à ſua vxore, quamuis illud teneatur reddere vxori petenti, prout patet ex pluribus locis Iuris Canonici. Cõmiſſarius igitur Cruciatæ poterit ſimiliter diſpenſare in hoc affinitatis impedimento ſuperuenienti iam matrimonio cõtracto, ad petendùm nempè debitum coniugale. patet expreſsè ex ipſamet bulla, ſic: *necnon etiam in ſuperuenienti ſimilis affinitatis impedimento ſimiliter diſpenſare, vt debitum petere poſſint*; atq; adeo circa hoc nulla eſt difficultas.

50 Controuertitur tamen, An Commiſſarius poſſit ſimiliter diſpenſare in impedimento ſuperueniente ex cognatione ſpirituali; qui enim v. g. ſuſcipit in Baptiſmo, ſeu in Confirmatione filium, ſeu filiam ſuæ vxoris, contrahit cognationẽ ſpiritualem cum eadem vxore, adeo vt nequeat ampliùs ab ea petere debitũ coniugale: quærimus ergò in præſenti, An Commiſſarius valeat ſimiliter diſpenſare in tali impedimento ad petendum tale debitum.

Ne-

Sanchez. Trullen. Bardi.

51 Negant *Sanch. l. 8. de matr. D.15.n.13. Trullen.l.2.§.4. d. 3. n.2. & Bardi p.3.tr.3.C.5.nu.3.* quorum ratio est, quia Commissario datur solùm potestas dispensandi in impedimento affinitatis ortæ ex copula illicita, prout dictum est; impedimentum autē cognationis spiritualis est diuersum impedimentum, neque venire potest sub impedimēto affinitatis, ergò &c.

Rodriq. Villalob. Auctor.

52 Affirmant tamen *Rodriq. in add.ad §.13.n.17.Villalob.claus. 13. num. 21.* alijque; & meritò, nam potestas ista, quæ hic Commissario conceditur, est fauorabilis; & consequenter largè interprætanda, ac proinde si dictus Commissarius potest dispensare in impedimento, quod oritur ex delicto incestus veri, & *realis*, multò magis sanè poterit dispensare in impedimento, quod oritur ex incestu metaphorico.

53 Adde, cognationem spiritualem benè dici posse etiam affinitatem spiritualem, saltem in fauorabilibus. ex quibus satis patet ad rationem AA. in contrarium.

54 Quod diximus de impedimento cognationis spiritualis superuenientis matrimonio iā valide contracto, & in ordine ad petendum debitum, dici etiam poterit de eodem impedimento antecedente ipsum matrimonium; positis tamen quinque illis conditionibus prænotatis num. 9. & sequentibus. Atq; hæc satis sint circa potestatem Commissarij Cruciatæ ad validandum matrimonium, legitimandam prolem, & ad petendum debitum.

QVÆSTIO IV.

De Potestate Commissarij Cruciatæ circa horam celebrandi.

IN §.XXV. concedit Sum. Pontifex Commissario Generali Cruciatæ potestatem dispensādi cum personis Nobilibus, & qualificatis, vt possint per horam ante lucem, & per horam post meridiem audire Missam, seu celebrare facere. Duo igitur hic discutienda sunt, nempè, quid circa horam Missæ suprà Ius cōmune per hoc Cruciatæ priuilegium concedatur, & cum quibus personis possit dictus Commissarius dispensare.

DIFFICVLTAS I.

Qua hora de Iure communi liceat Missam celebrare?

1 VT clariùs innotescat, quid vi bullæ Cruciatæ circa horam celebrādi Missam specialiter concedatur, videndū priùs erit, quid præscindendo ab hoc Cruciatę priuilegio, circa eandem celebrandi horam de iure communi nobis permittatur.

2 Et quidem de Iure communi, secluso priuilegio, nequit (præter noctem Sacri Natalis) Missa celebrari ante lucem, hoc est ante Auroram, aurora autē, physicè loquendo, est prima

solis

solis irradiatio, eiusdem solis iam iam nasciaturi nuncia, & paranympha, quæ nunc magis, nunc minùs pro temporum varietate, ortũ corporis solaris præcedit per spatiũ saltẽ vnius horæ aliquando verò etiã per duas integras horas.

3 Conueniunt tamen DD. initium Auroræ in præsenti materia non esse sumendum strictè, & rigorosè, hoc est, indiuisibiliter, & mathematicè, sicuti sumitur media nox in ordine ad ieiunium, sed moraliter, hoc est cum quadam latitudine, itaut si quis celebret aliquantulum ante initium Auroræ physicè sumptum, non erit culpæ imputandum. & quamuis in *c. Nocte Sancta, de consecr. D. 1.* prohibeatur Missæ celebratio ante horam diei tertiam, tale tamen Decretum loquitur de Missa solemni, non priuata. Similiter Leo Papa dùm in *c. necesse, ibi.* ait, offerri posse sacrificium prima diei parte, vtique sumit diem prout contradistinguitur à nocte, & non naturalem in tota sua latitudine, & prout incipit à media nocte.

4 Quantum autem temporis spatium ante initium Auroræ dicatur sufficiens ad culpam, nõ conueniunt DD. nam aliqui plus, aliqui verò minus temporis spatium ad hoc requirũtur; magis tamen communiter docent, posse per spatium mediæ horæ, & etiam aliquid plùs ante crepusculũ inchoari Missæ sacrificium, & hoc absq; vllo priuilegio, seu necessitate, itaut in ipso initio crepusculi, seu circũcirca Missa absoluatur. & meritò, nam ita præuenire auroram, seu crepusculum, vt in ipso initio auroræ, seu crepusculi, vel circumcirca absoluatur Missa, sanè moraliter, & secundum hominum prudentum existimationem reputatur paruitas materiæ, & sic culpæ non imputandũ. Confirmatur etiam praxi vim legis habente.

5 Similiter erit discurrendum circa Meridiem, qui communiter est alter terminus, vltra quem nequit Missa celebrari, prout habetur in Robricis Missalis; qui cùm neque indiuisibiliter, seu mathematicè sumendus sit, sed moraliter (sicuti de Aurora dictum est) hinc similiter discrepant DD. in assignãdo tempore notabili post meridiem, in quo Sacerdos celebrans peccet.

6 Et quidem aliqui volunt, tertiam partem horæ esse tempus notabile alij putant, non esse peccatum, si horæ spatium non excedatur: alij neque si trium horarum spatium excedatur: communiter tamen docent, absque vllo peccato posse inchoari Missam in ipso meridie, vel etiam aliquanto post ipsum meridiem; & meritò, nam Missa sic incepta moraliter dicenda est in meridie celebrari; quod etiam praxi confirmari potest.

7 Ceterùm in quibusdam casibus per accidens licebit vltrà dictum temporis spatium Missam celebrare, absq; vllo priuilegio, seu Episcopi licentia; videlicet ne infirmus decedat sine viatico: similiter quando Episcopus Ordines confert, vel celebratur funus alicuius Principis, & Missa solemnis debet absolui post concionem, &c. His positis, vidẽdum erit, quid supra Ius commune vi bullę Cruciatę concedatur.

DIF-

DIFFICVLTAS II.

Quidnam ſupra Ius commune cōcedatur vi præſentis bullæ priuilegij circa horam celebrandi?

8 COmmiſsarius Cruciatę, vt diximus, vi eiuſdem Cruciatę dare poteſt licentiam perſonis nobilibus, & qualificatis celebrandi Sacrum, vel illud celebrare facere per horā ante lucem, hoc eſt ante auroram,& per vnā integrā etiā horam poſt meridiem, ſic: *perſonis quoque nobilibus, ac quæ iuxta ipſius Epiſcopi, & Commiſſarij arbitrium qualificatæ fuerint, vt Miſſas per horam ante lucem, & poſt meridiem audire valeant, indulgere.* Hoc poſito.

9 Difficultas eſt, An hora iſta tàm ante lucem, quam poſt meridiem, in qua Commiſsarius poteſt diſpenſare, intelligenda ſit vltra totum illud tempus, quo abſque priuilegio licet omnibus de iure communi celebrare.

10 Negant *Lud. à Cruc. D.1.C.9.d.vlt.n.6. Herriq. l.9.C.24.n.6.* alijque aſserentes, horam hanc ſumi debere indiuiſibiliter, ita ut vi huius priuilegij non liceat ante ſpatium vnius horę celebrare ante Auroram; ſimiliter ſecundum hanc opinionem, neq; licebit vltra ſpatium vnius horę celebrare poſt meridiem. *Lud. à cr. Herriq.*

11 Affirmant tamen *Rodriq. in add. ad §.13 n.18. Trullen. l.2. §.5. d.2.n.4. Bardi p.3. tr.4. C.2. nu.5.* alijque communiter DD. & meritò, quia aliter parum, aut nihil vi pręſentis priuilegij nobis concederetur, quod minimè aſserendum eſt hora igitur ante Auroram, & hora poſt meridiem vi pręſentis priuilegij in hoc, ſuccedunt loco ipſius Auroræ, ac ipſius Meridiei, qui ſunt termini ſtatuti, & qui pręteriti non poterunt vi iuris communis; atque adeo ſicuti, ſiſtendo in iure communi, non exiſtimatur tempus notabile pręuenire Auroram per ſpatium medię horę, & aliquid etiam plus in celebranda Miſſa (vt dictum eſt n.6.) ita neque vi pręſentis priuilegij exiſtimādum erit tempus notabile, ac ſufficiens ad culpam, anticipare eodem modo dictam integram horam ante Auroram. *Rodriq. Trullen. Bardi. Auctor.*

12 Similiter erit dicendum de hora poſt meridiem; de Iure enim cōmuni nequit celebrari Miſsa poſt meridiem, & tamen non exiſtimatur tempus notabile, ac ſufficiens ad culpam, inchoare miſsam in ipſo meridie, vel etiam aliquanto poſt ipſum meridiem, (vt ſupra etiā dictū eſt.) ſimiliter quamuis vi pręſentis bullę priuilegij nequeat celebrari Miſsa vltra horā poſt meridiem, attamen non erit culpę imputandum, ſiquis inchoauerit Miſsam in fine dictę horę poſt meridiem; imò aliquanto poſt, nempè poſt medietatem quadrantis, imò etiā poſt alium quadrantem horę.

13 Vi igitur pręſentis priuilegij poterit Miſsa inchoari cōpleta hora, imò completis quinque quadrantibus poſt meridiem. ante auroram verò, ante horam & dimidiam, imò ante ſeptem quadrantes poterit Miſsa inchoari, prout patet ex dictis.

Supereſt ergò ſolùm videre, quibuſnam perſonis hoc priuilegiū concedatur.

DIF-

DIFFICVLTAS III.

Quænam Nobilitas prærequiratur in perſonis, cum quibus Commiſſarius diſpenſat circa horam celebrandi Miſſam?

14 NEquit Cõmiſſarius Cruciatæ vi præſentis poteſtatis liberè, & abſolutè concedere licentiam cuicumque anticipandi, vel poſtponendi horam celebrandi Miſſam, niſi tantùm perſonis nobilibus, & quę arbitrio eiuſdem Commiſſarij qualificatæ iudicantur; vt ſupra nu. 8. ex verbis eiuſdem bullæ prænotatum eſt.

15 Videndum igitur breuiter in præſenti erit, quinam gradus nobilitatis prærequiratur ad hoc, vt quis exiſtimetur capax talis priuilegij. Et quidem ſub nomine Nobilium veniunt nõ ſolùm qui ex generis antiquitate tales ſunt, quos nobiles ex ſanguine nuncupare ſolemus; ſed etiam aliqui alij, qui quamuis terræ filij, attamen ſiue virtute, ſiue fortunà inter nobiles iurè enumerari merentur.

16 Quarè *Bartol.l.1.C.de Dignit. Merolla tom.3.D. mor.D.6. C.8. d.37.n.238. Caſtro conſ.24.n.2.* alijque communiter DD. enumerant inter nobiles, qui beneficio Regis Regio ſeruitio adſcripti ſunt, quamuis tales ex progenitoribus non ſint, vt Præſides Regni, qui ſunt capita diuerſorum Tribunalium; Iudices Magnæ Curiæ, Conſiſtorij, & Regij Patrimonij, & huiuſmodi; nam tales dignitates ſatis per ſe ipſas, abſq; alio ſanguinis ſplendore, qualificant, ac dignificant perſonas, vt de ſe patet. *Bartol. Merolla. Caſtro. Auctor.*

17 Similiter ex *Tiraquel. de nobil.C.34. Menoch.de præſumpt. l.4.præſ.78.nu.25. Tuſco V. Nobilis, concl.45.nu.9.* alijſq; communiter DD. dicuntur Nobiles, Doctores non ſolùm in Theologia, ſed etiam in iure Canonico, ſeu Ciuili. & meritò, nam ſcientia (quamuis aliquando putatiua) maximum affert decorem, ac perſonam dignificat, qualificatq; ſatis. *Tiraquel Menoch. Tuſcus. Auctor.*

18 Diuites ſimiliter ex *Tiraquel.ci.C.3.* nobiles exiſtimantur. & meritò, nã diuitiæ quendam gignunt ſplendorem, niſi exercitio vilium artium maculentur; imò abſque diuitijs ipſa Nobilitas ſordeſcere videtur; neque aliud, ſecundùm D. Nazianzenum, eſt Nobilitas, niſi continuatæ diuitiæ. *Tiraquel Auctor.*

19 Acquiritur etiam Nobilitas per priuilegium Principis, ſeu Reipublicæ, & aliquãdo etiam ciuitatis; nam Princeps, & Reſpublica, imò etiam ciuitates aliquæ, vt in hoc Regno, eſt Fideliſſima Meſſana, nobilitare poſſunt, & ſaltem in fauorabilibus, abſolutè pro Nobilibus habentur.

20 Similiter tandem ex Albo nobilitatis minimè deleantur, qui in Eccleſiaſtica Hierarchia adſcribuntur; & quidem non ſolùm cuiuſcunq; generis Prælati, verum etiam quicunque ſaltem Sacris Ordinibus initiantur, tanquam Altiſſimi Principis ſeruitio iam adſcripti.

21 Conueniunt tamen DD. quę hactenùs dicta ſunt, limitationem admittere; nam aliquãdo Nobilitas perditur, vtputa per exer-

exercitium vilium artium, vel alijs facinoribus omninò cum nobilitate pugnantibus quibus vera Nobilitas, vel irreuocabiliter amittitur, seu obumbratur, vel suspenditur; quæ omnia prudenti ipsius Commissarij iudicio perpendenda erunt. His præhabitis.

22 Conueniunt similiter DD. licentiam hanc celebrādi Missam per horam ante lucem, seu per horam post meridiē (modo supra explicato) non posse à dicto Commissario concedi, nisi personis, quæ hic, & nunc tempore licentiæ, verè ex aliquo capite ex recensitis, Nobiles dici poterunt; quæ quidem qualificatio absolutè ipsius Commissarij arbitrio à Sū. Pontifice relinquitur, vt ex eadem bulla patet.

23 Atquè hæc satis dicta sint circa Potestatem Commissarij Cruciatæ ad dispensandum in hora celebrandi Missam. Superest ergò solùm eiusdem Commissarij potestatem declarare in ordine ad componendum super bona incerta, ac turpiter acquisita; quæ quidem potestas cùm plures, ac varias inuoluat difficultates, ideo iuuat de illa sequentem specialiter instituere Disputationem.



DISPV-

DISPVTATIO DECIMA.

DE BVLLA COMPOSITIONIS.

In §. XXIII. Sum. Pontifex concedit vlteriùs eidem Commissario Cruciatæ potestatem componendi super bona incerta, ac turpiter acquisita, non tamen absolutè, sed sub aliquibus tantùm conditionibus, seu in aliquibus circumstantijs. videndum ergò erit in præsenti Disputatione, An, & quando liceat talis compositio.

QVÆSTIO I.

De Bulla Compositionis in Communi.

VT clariùs procedamus in præsenti materia, agemus primò de hac bulla Compositionis in communi, deinde in particulari, in quibus videlicet casibus in particulari huiusmodi compositio permittatur.

DIFFICVLTAS I.

An præsens Compositio locum habeat in omnibus debitis incertis?

1 SVmens hãc specialem bullam Compositionis (quæ est veluti quoddam Summariorum extractum iussu Commissarij ex originali diplomate Cruciatæ) potest sibi retinere debita incerta vsque ad summam trecentorum aureorum, & viginti vnum cum tarenis octo, & granis sex, accipiendo tot bullas, quot sufficiunt ad talem summam, ita vt pro qualibet bulla retineat sibi duas vncias, & tarenos decem & septem cũ granis quatuor in hoc regno, & secundùm hanc nostram monetam. his positis, videndum est in præsenti, An ista Compositio locum habeat in omnibus debitis incertis, hoc est, non solum illicitè, sed etiam licitè contractis. *Carolus Latius in Bull. Cruc.*

2 Et quidem ratio dubitandi pro parte negatiua est, quia in bulla dum cõceditur Commissario potestas faciendi dictam compositionem, non fit mentio nisi de illicitè acquisitis, vt patet ex textu; ergò super licitè obtenta non videtur posse habere locum præsens Compositio; si enim Sum. Pontifex id voluisset, vtique illud expressisset.

Trullen. Bardi. Auctor.

3 Affirmant tamen *Trullen. l. 3. d 4. nu. 2. & Bardi p. 3. tr. 5. C. 1. nu. 4.* & meritò, nam cùm plùs sit cõcedere potestatem componendi super illicitè, quàm super licitè acquisita, vtique in illorum concessione intelligũtur etiam ista inclusa.

4 Et quamuis non semper valeat illatio hæc à maiore ad minus, attamen quoties habetur identitas rationis, & sumus in eodem genere rerum, optima erit talis illatio; sic v.g. cui dispensatum est diebus quadragesimalibus ad comedendas carnes, erit etiam ad oua: & cui dispensatum est ad oua, erit etiam dispensatum ad caseum, lac, butyrum, & huiusmodi; quarè si Commissarius poterit componere super illicitè acquisita, sane multò magis poterit similiter componere super licitè acquisita, dummodò semper vtriusque generis bona, seu debita omninò incerta sint, iuxtà infra dicenda.

DIFFICVLTAS II.

Quaenam incertitudo necessariò requiratur in bonis, seu debitis ad hoc, vt validè fiat hæc Compositio?

5 Bona, seu debita dicuntur incerta, quoties eorum Dominus, seu Creditor ignoratur. Conueniunt ergò DD. non sufficere ad hanc Compositionem validè faciendam, vt eorum dominus, seu creditor ignoretur à debitore, sed vlteriùs necessariò requiri, vt post factam sufficientem diligentiã, inueniri non possit; prout cõmuniter euenit in fraudibus cauponum, stabulariorum, dulciariorum, pistorum, calatorũ, cerçariorum, mercatorum, opificum, & huiusmodi.


6 Qualis autem, ac quanta esse debeat diligentia in inquirendo vero Domino, nequit determinatè præscribi, cum nunc maior, nunc minor adhibenda sit inquisitio, attenta qualitate debiti, creditoris, temporis, loci, &c. huiusmodi; quarè in casibus particularibus arbitrio prudentis viri, pensatis omnibus, mensuranda erit.

7 Dubitatur autem, An locum habeat Compositio in casu quo est certus Dominus, seu creditor, at quantitas debiti est incerta? Et quidẽ affirmat *Lud. à Cruc. D. 3. in proœmio n. 1.*

Lud. à cr.

8 Negant tamen *Trullen. l. 3. d. 4. n. 6. Bardi p. 3. tr. 5. C. 1. n. 19.* alijque; & meritò, nam incertitudo in tali casu non cadit supra creditorem, neque suprà substantiam debiti, sed solùm supra circumstantiam, nempè supra quantitatem summæ; vi autem Cruciatæ conceditur compositio, quando incertitudo versatur circa ipsum Dominum, seu creditorem rei. An verò idem dicendũ sit, quando constat verum Dominum esse vnum ex duobus, vel tribus, dicetur infra.

Trulln. Bardi. Auctor.



DIF-

DIFFICVLTAS III.

An si constet verum Dominum esse vnum ex duobus, vel tribus, adhuc dicatur creditor incertus, adeo vt fieri valeat cõpositio?

Sotus. Rodriq. Herriq. Trullen. Molin. Lopez. Auctor.

9 NEgant *Sotus l. 4. de iust. q. 7. ar. 1. Rodriq. d. 7. Herriq. l. 7. C. 25. n. 1. Trullen. l. 3. d. 4. n. 6. Molin. de iust. tr. 2. D. 745. n. 2. Lopez C. 10.* alijque communiter DD. & meritò, nam in tali casu Ius naturale disponit, rem esse diuidendam inter illos paucos pro dubij qualitate, ac inter eosdem esse transactionem faciendam; atq; adeo nequit Dominus dici incertus, cùm commodè res pro eorumdem arbitrio, & conuẽtione possit inter illos diuidi, prout dictum est.

10 Petes, An facta dicta diuisione inter illos, de quibus dubitabatur, quisnam ex illis fuerit verus dominus rei; si postea innotesceret verus dominus, an reliqui, qui partem eiusdem rei vel totam rem habuerunt, teneantur restituere acceptum vero Domino?

11 Negant communiter DD. & meritò, nam per illam mutuam transactionem, siue sorte factam, siue ad inuicem conuentione, iam trãslatum, imò quasi venditum fuit ab vnoquoque ius suum. An verò idẽ dicendum sit, quando creditor est certus, sed absens, dicetur Diff. sequenti.

DIFFICVLTAS IV.

An quando creditor est, certus, sed ita distans, vt nequeat debitum ad eum desferri, locum habeat hæc compositio?

12 COnueniunt DD. solam absentiam creditoris vt sic, non esse causam sufficientem ad faciendam hanc compositionem, & meritò, quia absentia creditoris non facit debitum incertum vt patet. adde vt plurimùm teneri debitorẽ transmittere proprijs expensis ad creditorem absentem id, quod debet.

13 Difficultas igitur est, quando distantia inter creditorem & debitorem est ita nimia, vt maiores essent insumendæ expensæ, quàm sit ipsum debitũ: in quo quidem casu admittunt istam compositionem *Angles in sum. q. de restit. d. 16. Lud. à Cruc. D. 3. d. 6.* nonnulliq; alij, dummodò debitor non sit iniustus possessor, sed iustus & non teneatur aliunde ad mittẽdum debitum creditori proprijs expensis. quorum ratio est, quia, aiunt, etiamsi tale debitum sit certum, sicuti & ipse creditor, attamen positis dictis circumstantijs se habet, ac si foret incertum, ideoque locum habet compositio. Angles. Lud. à Cr.

14 Absolutè tamen negant *Sotus in 4. D. 21. q. 2. ar. 4. Herriq. l. 7. C. 34. n. 2.* alijque; & meritò, nam Sum. Pontifex vi præsentis bullæ solùm concedit compositionem super bonis, seu debitis incertis, hoc est, quorum dominus, facta sufficienti dili- Sotus. Herriq. Auctor.

diligentia, ignoratur, vt supra dictum est; ex eo autem, quòd creditor sit multùm distans, posito quòd sciatur, non fiunt eius bona incerta, & consequenter non apta ad præsentem compositionem. Dicere autem, quòd huiusmodi debitum in dictis circumstantijs æquiualeat debito incerto, est gratis asserere, quod AA. tenentur omninò probare. adde non omnem æquiualentiam in huiusmodi rebus positiuis valere (vt sæpè alibi dictum est) præsertim in præiudicium tertij.

15 In casu igitur posito nequit talis debitor præsenti compositione lætari, sed stare tenetur regulis præscriptis à DD. in materia de restitutione. & quidem in istis, & similibus circumstantijs poterit debitor differre restitutionem, si aderit spes opportuniùs consignandi rem debitam vero domino; quòd si nulla extet spes, quod res valeat ad suum dominium peruenire, tunc arbitrio boni viri erunt talia bona pauperibus eroganda.

16 Ceterùm si post multum temporis verus dominus non compareat, & prudenter existimetur iam obijsse, neque hæredes facta sufficienti diligentia inueniantur, tunc sanè debitū istud absolutè dici poterit incertum, & consequenter poterit in tali casu habere locum dicta Cruciatæ compositio.

17 Atque hæc satis sint circa debiti qualitatē necessariò requisitam ad præsentem compositionem; dicendum nunc erit de quantitate debiti, hoc est, vsque ad quam summam fieri possit dicta compositio.

DIFFICVLTAS V.

An præsens Compositio locum habeat in qualibet summa debitorum incertorum?

18 PRæsens compositio dupliciter fieri potest; & quidem primò per sumptionē eiusdem bullæ Compositionis soluendo eleemosynam à Cōmissario taxatam, modo supradicto n. 1. Secundò fieri poterit non mediante bulla, sed immediatè ab ipsomet Commissario.

19 Iam verò Compositio hæc per sumptionem eiusdem bullæ compositionis facienda, nequit excedere summam centū millia Marauedis, quæ in hoc nostro Siciliæ regno important aurea, seu scutata trecenta viginti vnum, tarenos octo, & grana sex, seu vncias centum viginti octo tarenos viginti, & grana sex, itaut pro qualibet bulla, quæ sumitur, poterit quis sibi retinere de debitis incertis, duo millia Marauedis, quæ in nostra moneta sunt vnciæ duæ, tareni decem & septem, & grana quatuor; sumendo tot huiusmodi Bullas, quot requiruntur ad euacuandam totam debiti summam, posito quod talis debitor velit vti hoc beneficio bullæ, nolitque Commissarium adire.

20 At si debitum hoc incertum excedat dictam summam trecentorum scutatorum viginti vnum, &c. tunc nequit vti beneficio talis bullæ, sed saltem quoad excessum, debet facere

pecu-

peculiarem cõpositionem cũ ipso Commissario Cruciatæ, à quo communiter taxantur decem pro quolibet centenario; quæ quidem compositio fieri pòterit secretò, imo & per tertiam personam.

21 Eleemosyna verò taxata à Commissario pro qualibet bulla Compositionis, est eadem cum illa, quæ cõmuniter præscribitur pro alia bulla communi Cruciatæ, nempè duo realia, quæ in nostra moneta important duos tarenos, grana duodecim cum dimidio; & hoc absq; vlla personarum exceptione. Ceterum, an sic cõpositus remaneat tutus in conscientia, tutaque conscientia possit sibi applicare reliquam summam dictorum debitorũ incertorum, dicetur Diff. sequenti.

DIFFICVLTAS VI.

An debitor vtens hac Compositione tutus maneat in conscientia?

Syluest. *Couarr.* *Sotus.* *Lopez.* *Bañes.*

22 NEgant *Syluest. V. excom. 8. q. 8. Couar. reg. pec. 3. p. §. 1. n. 3. Sotus in 4. D. 21. q. 2. ar. 4. Lopez. C. 137. Bañes in 2. 2. q. 26. ar. 5. d. 8.* nonnullique alij. primò quia Sum. Pontifex nõ habet dominium in his bonis, atq; adeo nequit pro suo libito de illis disponere. Secundò quia bona ista incerta debentur pauperibus, ergò eisdem pauperibus fiet iniuria, si remittantur debitoribus. Tertiò quia nulla est proportio inter eleemosynam taxatã pro qualibet bulla ex his, & relaxationem debiti; nam per exiguam eleemosynam, nempe duorum realium, remittitur pars nobilis summę debitę, nempe duarum vnciarum, tarenorum decem & septem, cũ granis quatuor; ergò &c.

Rodriq. *Herriq.* *Lud. à cr.* *Villalob.* *Trullen.* *Acosta.* *Lugo.* *Bardi.* *Auctor.*

23 Affirmant tamen *Rodriq. §. vnic. d. 3. n. 5. Herriq. l. 7. C. 34. n. 5. Lud. à Cruc. D. 3. d. 1. n. 10. Villalob. to. 1. tr. 29. concl. 4. n. 5. Trullen. l. 3. d. 1. n. 2. Acosta q. 21. Lugo to. 1. de iust. D. 6. se. 12. nu. 150. Bardi p. 3. tr. 5. C. 1. nu. 8.* & alij communiter DD. & meritò, primò quia in eadem bulla Compositionis expresse dicitur, quod facta prędicta compositione, maneant sic compositi, tuti, & securi in conscientia, & omninò liberi à residuo, quod ipsis remittitur; & sic predicatur, sicq; habet vsus Pontificum id concedentium; quos dicere in hoc errare, absurdissimum est ac periculosũ in fide; atque adeo nulla in hoc videtur posse esse difficultas.

24 Probatur tamen secundò ratione, nam debita ista incerta aliquando absolutè pertinent ad Ecclesiam, vt sunt fructus Beneficiorum Ecclesiasticorũ quorum restitutio facienda est iuxta dispositionem legis positiuæ ipsorum Pontificum, & consequenter pro libito eorumdem Sum. Pontificum variari poterit, modificari, & applicari, vt clarè patet; nam Põtifex potest absolutè in sua lege dispensare, pœnamque remittere à se impositam; ergò multò magis poterit super huiusmodi bonis compositionem concedere.

25 Quod si bona, seu debita ista incerta fuerint prophana, iam per eosdemmet AA. debentur pauperibus, (siue id oriatur ex iure naturæ, siue ex iure

iure positiuo humano) talis autem applicatio est opus pium, vt de se patet: at Sum. Pontifex absolutam habet potestatem applicandi bona destinata vni operi pio, in aliud etiam opus pium, si ita sibi videbitur expediēs ad vtilitatem spiritualem, siue specialem, siue vniuersalem fidelium; sicuti similiter potest cōmutare legata pia in alium vsum piū, vel magis, vel æquè bonum; ergò Sum. Pontifex æquè benè poterit bona incerta, quæ forent eroganda pauperibus, applicare huic sacræ Expeditioni, quæ est opus maximè pium concernens bonū commune Ecclesiæ, vt ab hostibus tueatur. Quarè huiusmodi compositio erit satis licita, & consequenter illà vtēs tutissimus remanebit in conscientia, tutissimàque consciētià poterit sibi applicare reliquam debiti partem.

26 Ad primam autem AA. rationem in contrarium patet ex dictis; quamuis enim Sum. Pontifex non habeat dominiū in his bonis incertis, est tamē verus illorum administrator, ac proinde poterit de illis disponere prout ipsi videbitur expediens ad spiritualem vtilitatem tum domini, tum aliorum fidelium, seu totius Ecclesiæ, modo iam explicato.

27 Ad secundam verò rationē etiam ex dictis patet. concedo enim huiusmodi bona incerta deberi pauperibus, nego tamē fieri ipsis iniuriam in hoc; nam dùm dicimus bona incerta esse pauperibus eroganda, vtiquè sub nomine pauperum non veniunt determinatè ipsę personę pauperum, sed vel ipsi pauperes, vel loca, vel quęcunque alia opera pia indeterminatè, ac disiunctiuè sumpta, cū qualibet ex his modis benè cedat in vtilitatem animę veri domini; quibusnam autem in particulari de facto, ac determinatè debeant applicari dicta bona incerta, maximè spectat ad Sum. Pontificem, qui nulli infert consequenter iniuriam, dū potiùs huic pio operi illa applicat, quàm alteri, eò quia nullum ius neq; in re, neque ad rem acquisitum sit ab illis in ea bona incerta.

28 Ad tertiam demum nego nō esse proportionem sufficientē inter eleemosynam taxatam pro hac bulla compositionis, & relaxationem debiti; non enim attendenda est parua illa eleemosyna, sed magnum totius Ecclesiæ bonum resultans ex tali eleemosyna; nam si magna præscriberetur hic eleemosyna, vtique satis pauci hac bulla vterentur; imò attenta difficultate restituendi, multò plures damnarentur, nisi sic allicerentur. An verò Sum. Pōtifex vi præsentis compositionis verè condonet debitori reliquam partem debiti, patet ex dictis; pro maiori tamen declaratione rei sit.

DIFFICVLTAS VII.

An Sum. Pontifex vi præsentis Compositionis condonet debitori reliquam partem debiti?

29 NEgant *Caiet. 2. 2. q. 100. ar. 1.* iijque omnes, qui negant, sic compositos manére tutos in conscientia, de quibus supra iam dictum est. primò *Caietan.*

mò quia Sum. Pontifex, aiunt, eſt diſpenſator, & nō dominus rerum Eccleſiaſticarum; diſpēſatio autem dicit diſcretam compoſitionem: at condonare vncias duas, & tarenos decem & ſeptem, cum granis quatuor, pro eleemoſyna duorum realium, videtur ſatis indiſcreta compoſitio. Secundò quia etiamſi Pontifex eſſet verus dominus dicti debiti incerti, vtiquè veriſimiliter præſumendum eſſet, non liberè condonare reliquum, ſed redimere potiùs vexationem, extrahēdo à debitore id, quod poteſt.

30 Affirmant tamen *Lugo to. 1. de iuſt. D. 6. ſe. 12. num. 150. Bardi p. 3. tr. 5. C. 1. nu. 12.* ijque omnes, qui aſſerunt, ſic compoſitos manere ſatis tutos in conſcientia. & meritò, nam ſi reuera Sum. Pontifex vi præſentis compoſitionis non condonaret reliquam debiti partem, vtiquè debitor non remaneret tutus in conſcientia, atq; adeo deciperetur à Pontifice aſſerēte in eadem bulla, ſic compoſitos manere tutos in conſcientia; quod nullo modo aſſerendum eſt, vt ſuperiori Difficultate etiā dictum eſt; & ex qua ſimiliter patet ad rationes AA. in contrarium. An verò idem dicendum ſit in caſu, quo Sum. Pontifex abſq; iuſta cauſa compoſitionem concederet, dicetur Difficultate ſequenti. *Lugo. Bardi. Author.*



DIFFICVLTAS VIII.

An Sum. Pontifex poſſit compoſitionem validè concedere etiam abſq; vlla cauſa, ſeu abſq; cauſa proportionata?

31 Videntur abſolutè affirmare *Cordub. in quæſt. de Indul. q. vlt. & Turrian. in 2. 2. de iuſt. D. 14. d. 1. n. 6.* *Cordub. Turrian.*

32 At *Molina, to. 3. de iuſt. D. 748 num. 5. Lugo tom. 1. de iuſt. D. 6. ſe. 12. Nauar. ſum. C. 17. num. 93 Bardi p. 3. tr. 5. C. 1. n. 13.* alijq; id negant in caſu, quo reſtitutio non eſſet facienda vi alicuius legis eccleſiaſticę, ſed legis diuinę, & naturalis. & meritò, nam Sum. Pontifex non eſt abſolutus dominus dictorum bonorum incertorum, ſed ſolùm adminiſtrator ſupremus, atquè adeo non debet deſtruere, ſed benè conſeruare eccleſię bona, iuxta illud ad *Cor. 10. Non habemus poteſtatem in deſtructionē, ſed in ædificationem*; igitur ſi Pontifex abſq; vlla cauſa, ſeu abſque cauſa proportionata compoſitionem concederet, non ſolùm illicitè, ſed etiam inualidè id faceret; quod etiam in conceſſione indulgentiarum id eſſe aſſerendum, alibi diximus. *Molina. Lugo. Nauarr. Bardi. Author.*

33 Petes hic, An ſit ſimiliter inualida compoſitio in caſu quo cauſa, ob quam conceditur dicta compoſitio, ſit reuera inſufficiens, & improportionata, ſi tamen ſufficiens, ac proportionata à Pontifice æſtimetur?

34 *Lugo ci. ſe. 7. nu. 95. & Bardi etiam ci. nu. 16.* docent talem *Lugo. Bardi.*

compositionem esse validam, nec immeritò, nam nisi constet, causam, ob quam Sum. Pontifex concedit compositionem esse insufficientem, & improportionatam, debere à nobis præsumi sufficientem, ac proportionatam, eò quia in dubijs in fauorem Superioris semper præsumendum est.

DIFFICVLTAS IX.

An ista Compositio prosit etiam pro foro externo?

Molina. Herriq. Trullen.

35 NEgant *Molina to. 3. de iust. D. 748. Herriq. l. 7. C. 34. n. 6. Trullen. l. 3. d. 4. n. 6.* & alij.

Lugo. Auctor.

36 Affirmant tamen *Lugo to. 1. de iust. D. 6. se. 7. n. 105.* aliique, & meritò, nam Sum. Pontifex concedit dictam Compositionem absolutè, & absque restrictione ad forum tantùm conscientiæ; ergò absolutè similiter valebit, & consequenter non solùm pro foro conscientiæ, verùm etiam pro foro externo; si in tali foro externo, & contētioso cōstare poterit facta Cōpositio; quod quidem satis difficile videtur.

DIFFICVLTAS X.

An possit vti hac Bulla Compositionis, qui ex illius confidētia aliorum bona furatus est?

37 RAtio dubitandi pro parte affirmatiua esse potest, quia suprà D. 6. Q. 1. n. 88. diximus, posse vi bullæ Cruciatæ absolui peccata etiam in confidentiam eiusdem bullæ commissa, ergò &c.

Rodriq. Lud. à cr. Auctor.

38 Negant tamen *Rodriq. hic n. 75. Lud. à Cruc. D. 3. d. 5. nu. 2.* alijq; communiter DD. & meritò; primò quia sic expressè in eadem bulla habetur; secundò quia ipsa ratio id exigit, alioqui spe Cōpositionis satis aperiretur via ad furta, aliasque iniustitias.

39 Ad rationem autem dubitandi in contrarium patet disparitas; nam quoad absolutionem à culpa commissa in confidentiam bullæ Cruciatę, nihil in contrarium in ipsa bulla statuitur; quoad verò compositionem circa debita contracta ex confidentia istius bullæ cōpositionis, expressè in eadem bulla tacitum est, vt diximus.

40 Praua autem confidentia ista impediens vsum pręsentis bullę compositionis, debet esse talis, vt homo moueatur ad furta ex eo, quod speret mediante hac bulla compositionem, ita vt non furaretur, nisi hanc cōpositionem speraret, quę dicitur confidentia antecedens; secùs autem si esset concomitās, hoc est, si dùm alio fine mouetur ad furandum, tunc actu cogitet de ipsa compositione; quamuis etiam ex hoc facilitetur ad furandum. multoquè minùs impediret vsum huius bullę si confidentia esset subsequens, hoc est, siquis differret restitutionem spe futurę compositionis; eò quia bulla solùm excludit confidentiam in vsurpatione, non autem in retentione.

41 Quod si dubitetur, an talis confidentia fuerit antecedens, nec ne, tunc Confessarius debet

debet illum obligare ad restituendum; tùm quia in dubijs tutior pars est eligenda; tùm etiam quia possessio stat pro Ecclesia; atq; adeo debitori incumbit probare, se non ex confidentia antecedenti furatum fuisse, vt sic possit tali bulla compositionis lætari. Dicendum nunc breuiter est de quibusdã alijs cõditionibus necessariò requisitis ad validè hanc compositionem faciendam.

DIFFICVLTAS XI.

De quibusdam alijs conditionibus necessariò requisitis ad validè hanc Compositionem faciendam.

42 POsitis requisitis in debitis seu bonis, super quibus facienda est compositio, de quibus hactenus dictum est, requiritur vlteriùs ad hoc, vt valida sit compositio, vt debitor, qui vult se componere, recipiat hanc bullam impressam, & signatam sigillo, & nomine ipsius Commissarij Generalis, ita enim expressè admonet idem Commissarius in fine procemij eiusdem bullæ; additq; hanc esse mentem Sum. Pontificis, & qui aliter facit, apertè ait, non poterit vtiliter frui hoc beneficio compositionis.

43 Dubitari tamen potest, An requiratur etiam, vt talis bulla conseruetur? Et quidem ratio dubitandi est, quia talis conditio præscribitur in bulla viuorum, vt infra dicemus; cum igitur hæc bulla compositionis sit pars talis bullæ Cruciatæ viuorum, consequenter idem de hac videtur asserendum. *Carolus Latius in Bull. Cruc.*

44 Negat tamen *Bardi p. 3. tr. 5. C. 2. n. 14.* & meritò, nam bulla hæc compositionis statim ac accipitur, causat suum effectũ, quo causato, ad nihil aliud illa inseruit, atque adeo ad quid conseruanda erit? è contra bulla viuorum Cruciatæ nõ statim ac accipitur causat suum effectum, seu suos effectus, sed pro toto anno durationis est apta illos causare, vt patet; atq; adeo meritò conseruanda est vt causa pro fruendis eius effectibus. ex quibus patet disparitas ad rationem dubitandi in contrarium. *Bardi. Auctor.*

DIFFICVLTAS XII.

An si facta legitima compositione, compareat verus dominus, teneatur sic compositus restituere bona, super quibus fuit compositus?

45 AFfirmant *Corduba in qq. l. 5. q. 44. Rodriq. d. 6. n. 8. Lud. à Cruc. D. 3. d. 4. n. 2. Villalob. tr. 29. n. 9. Molina to. 3. D. 748. n. 9. Turrian. d. iust. D. 41. d. 1. n. 18. Lessius l. 2. C. 14. n. 43.* alijque, non quidem quoad totum, sed tantùm id, quod extat, vel id in quo factus est ditior. caeterùm si omnia bona fide consumpserit, neq; factus est ditior, concedunt, illum ad nihil teneri, vt si talia bona pauperibus distribuerit, vel in alijs pijs operibus, ac locis ea consumpserit, ita vt nihil sibi applicauerit. *Cordub. Rodriq. Lud. à cr. Villalob. Molin. Turrian Lessius.*

46 Primò quia honestas huius Compositionis fundatur non solùm in auctoritate Sum. Pontificis, sed etiam in consensu veri domini, saltem interpræ-

 tatiuo,

ratiuo, seu præsumpto, quatenùs vnusquisque præsumitur velle, vt in suam spiritualem vtilitatem applicentur bona, quando non adest spes ea recuperandi; non est tamen credibile, talem voluntatem esse absolutam, sed conditionatam, scilicet vsquedùm non apparet verus rerum dominus, ergò cùm apparuerit, tenebitur debitor illi restituere saltem id, quod de eius bonis extat, seu id, in quo factus est ditior.

47 Probant secundò suam opinionem ex eo, quod nemo potest absolutè priuari dominio suarum rerum, nisi vel in pœnam alicuius criminis commissi, quod tamen hic non habetur; vel ratione vsucapionis, quæ neque in præsenti adest; vel demum propter vtilitatem Reipublicæ, quæ neque hic apparet, ergò &c.

Sotus. Bañes. Herriq. Acosta. Alciatus Trullen. Lugo. Bardi. Auctor.

48 Negant tamen *Sotus in l. 4. sent. D. 21. q. 2. ar. 4. Bañes in 2. 2. q. 62. ar. 5. d. 8. concl. 5. Herriq. l. 7. C. 34. n. 4. Acosta q. 93. Alciatus in 2. 2. q. 62. ar. 5. D. 24. Trullen. l. 3. d. 4. n. 8. Lugo to. 1. de iust. D. 21. se. 7. n. 98. Bardi p. 3. tr. 5. C. 3. n.* 14. alijque, & meritò, nam dùm fit præsens compositio, Sum. Pontifex remittit ipsi debitori reliquam bonorum incertorum partem, (vt supra etiam diximus n. 30) neque cōditionatè, vt v.g. vsquè dùm verus Dominus compareat, sed absolutè, ergò etiamsi verus dominus compareat, atq; innotescat, ad nihil prorsus sic compositus tenebitur.

49 Confirmatur etiam à pari, nam non rarò res vi præscriptionis, elapso tempore à legibus præscripto, transit ex dominio vnius; in dominiū alterius; legesque admittentes huiusmodi præscriptiones existimantur ab omnibus non solum iustæ, sed etiam pro bono regimine, ac publica quiete necessariæ; non minùs igitur iusta existimanda est dispositio hæc, qua Sum. Pontifex quibusdam appositis conditionibus, mediante tali compositione trāsfert dominium bonorum incertorum, in illum, qui se componit, in maximum beneficiū tàm spirituale, quàm temporale totius Christianitatis, vt sæpe dictum est.

50 Adde hanc legem esse vniuersalem, atque adeo id, quod nunc fit vi illius circa bona Titij in commodum Caij, altera vice contingere poterit circa bona Caij in commodum Titij, proinde neutri fiet iniuria.

51 Ad primam autem rationem AA. in contrarium dico primò, eandem fieri posse contra præscriptionem ab omnibus admissam, atque adeo ab eisdem AA. esse soluendam. Dico secundò, conditionem illam esse contra bonum publicum, & sic non admittendam. probatur ex eo, quia multùm interest reipublicæ, vt rerum dominium non maneat incertum, ac pendulū, sed sit certum, ac quælibet res in posse sui veri domini viuat, vt sic meliùs & conseruetur, & crescat; vnde initiò rerum diuisio facta est, ac deinde decretæ præscriptiones. iam supradicta conditio ex se & ex natura sua potiùs est apta conseruare, quàm terminare incertitudinem dominij, vt patet. quid igitur vetat, posse Sum. Pontificem ex se, ac suprema sua auctoritate finire, ac terminare dictā dominij incertitudinē vi præ-

præsentis Compositionis, præmissa sufficienti diligentia in inquirendo vero domino, præsertim ex tàm iusta causa, nempè sacræ expeditionis, æquè ac leges ciuiles suis præscriptionibus.

52 Ad secundã verò dico, translationem dominij vi præsentis compositionis habere rationẽ præscriptionis, seu vsucapionis, vt ex dictis colligi poterit; maximèq; conferre ad publicã vtilitatem, vt etiam dictum est: An verò id ipsum possint alij Prælati Pontifice inferiores; dicetur Diff. sequenti.

DIFFICVLTAS XIII.

An Episcopi possint similiter super bonis incertis in sua Diœcesi compositionem concedere?

53 POsse Sum. Pontificem absolutè compositionem concedere super bonis incertis patet ex hactenus dictis. videndũ in præsẽti est, an id ipsũ possint Episcopi. sub Episcopi autẽ nomine cõpræhẽdimus hic quocunque Prælatos habentes iurisdictionẽ Episcopalem, vt sunt Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & huiusmodi.

54 Et quidem absolutè negant *Rodriq. hic n.6. D. Anton. 2. p. tr. 2. C. 6. Syluest. de rest. 8. §. 8. Cordub. 5. de indul. q. 44. d. 2. Lugo to. 1. de iust. D. 21. se. 7. n. 107.* & alij. At *Lud. à Cruc. D. 3. d. 2. n. 4. Sotus l. 4. de iust. q. 7. ar. 1. ad. 3.* id solùm negant de iure positiuo, ac de facto, non autem sistendo in iure Diuino, ac naturali; ex eo quia in *c. cum sane 14. q. 5.* & alibi, bona incerta applicantur pauperibus, atque adeo nequeunt Episcopi de illis aliter disponere.

Rodriq. D. Anto. Syluest. Cordub. Lugo. Lud. à cr. Sotus.

55 Absolutè tamen affirmant *Herriq. l. 7. C. 33. n. 4. Villalob. to. 1. tr. 29. n. 11. Trullen. l. 3. d. 1. n. 3. Diana p. 4. tr. 4. misc. res. 112. Bardi p. 3. tr. 5. C. 2. n. 2.* & alij. ac meritò; & quidẽ si sistamus in solo iure Diuino, & naturali, nulla apparet implicantia, cur nequeant Episcopi super bonis incertis compositionem facere in proprijs diœcesibus, vt patet ex dictis, & meliùs ex dicendis in sequenti Diff. patebit. Probatur tamen directè, nam ex vna parte bona ista incerta ex præsumpta volũtate veri domini (vt sæpe dictum est) distribuenda sunt in pauperes, vel in alia opera pia: ex altera verò parte Episcopi munus est prouidere conscientiæ suarũ ouiũ, atque adeo est legitimus administrator bonorum, quæ in sua Diœcesi applicanda sunt operibus pijs, ergò poterit illa Episcopus applicare prout meliùs in Domino ipsi videbitur cuicunque operi pio.

Herriq. Villalob. Trullen. Diana. Bardi. Auctor.

56 Neque obstat Ius positiuum statuens, huiusmodi bona incerta applicanda esse pauperibus; nam sub nomine pauperum (vt supra n. 27. dictum est) omnia opera pia compræhenduntur. Maior tamen Difficultas est, An Principes sæculares possint pro suis subditis hanc cõpositionẽ instituere quare sit:



DIF-

DIFFICVLTAS XIV.

An Principes Sæculares possint etiam pro suis subditis super bonis incertis cōpositionem instituere?

57 SVb nomine Principis Sæcularis, seu tēporalis veniunt Reges, & omnes, qui in suis Dominijs non agnoscunt alium Superiorem sæcularem, seu temporalē, ac demum Respublicæ. atque adeo de his omnibus procedit præsens Difficultas.

Cordub. Villalob. Lud. à cr. Trullen.

58 Et quidem *Cordub. 5. de indul. q. 44. d. 2. Villalob. to. 1. tr. 33. nu. 10. Lud. à Cruc. D. 3. d. 3. n. 4. Trullen. l. 3. d. 1. n. 4.* nonnullique alij id concedunt quoad bona incerta absq; culpa acquisita, secus autem si fuerint iniustè acquisita. eò quia Canones statuant, bona incerta ex delicto distribuenda esse pauperibus, atq; adeo vt opus pium spectare ad Ecclesiæ ministros, & non ad Principes sæculares.

Sotus. Herriq. Mendus. Auctor.

59 Absolutè tamen affirmant *Sotus 4. D. 21. ar. 4. Herriq. l. 7. C. 33. num. 3. Mendus D. 32. C. 4. n. 34.* alijque, & meritò, nam huiusmodi bona quamuis iniustè sint acquisita, dùm tamen eorum dominus omninò ignoratur, reuoluuntur ex natura rei, ac per se ad communitatē, seu Rempublicam; eò quia tunc redire videntur ad suum primæuum statum, quando scilicet nulla adhuc facta erat rerum diuisio. atque adeo respublica, vt succedens loco veri domini, siue Princeps vt eius caput, poterit de illis disponere, prout meliùs ipsi reipublicæ expedire iudicauerit, & cōsequenter poterit, si ita expedierit, vel in totum, vel in partem eidem debitori remittere media compositione.

60 Neque obstat, à sacris Canonibus huiusmodi bona incerta, saltem illicitè acquisita, applicari pauperibus; primò quia hoc esset per accidens, non autem per se, & ex ipsa natura rei spectata Principum auctoritate, atq; adeo hoc non militaret pro Principibus paganis, qui Ecclesiæ legibus non subduntur; & sic saltem Principes Pagani poterunt, & licitè, & validè compositionem facere cum suis subditis super bonis incertis, etiam illicitè acquisitis.

61 Secundò quia Canones loquuntur de aliquibus casibus specialibus, nō autem vniuersaliter. sed esto extendi possint ad omnia bona incerta saltem illicitè acquisita: sanè quid vetat, posse talia bona in eosdem pauperes à Principe sæculari distribui? distribuere enim illa in pauperes, non videtur actio tàm sacra vt statum sæcularem omninò excedat; aliter neque ab ipso debitore, si fuerit laicus, possent eadem bona in pauperes distribui, vel in alia opera pia. Ex quibus patet ad rationem AA. in contrarium.

62 Ceterùm super bona inuenta, seu alio modo acquisita licitè, non videtur cadere posse compositio, cùm sint primi occupantis; & quamuis in aliquibus regnis extent statuta in contrarium, tamen in dissuetudinem abiere; atque adeo, inuentor factà diligentià sufficienti, ac domino non inuento, poterit arbitrio boni viri sibi

ſibi retinere, niſi pro maiore cōſcientiæ ſecuritate velit etiã ſuper his bonis ſe componere. in foro autem externo, me remitto ad conſuetudines locorum.

DIFFICVLTAS XV.

An poſitis ſupradictis requiſitis, & conditionibus, poſſint omnes præſenti bulla Compoſitionis vti?

63 CONueniunt DD., omnes, ac ſingulos, qui vtiliter vti poſſunt bulla Cruciatæ viuorum, poſſe ſimiliter præſenti bulla Compoſitionis vti. & meritò, nam cùm bulla iſta ſit pars bullæ magnæ viuorum, vtiquè qui poteſt illa gaudere, poterit & hac. Quinam verò ſint, qui bulla Cruciatę viuorum gaudere poſſunt, dicemus ex profeſſo Diſputat. ſequenti.

64 Solùm hic dicendum eſt, An Catechumeni poſſint vti hac bulla compoſitionis. Et quidē negant *Bardi p.1.tr.2.C.4.n.21.* ex eo, quia priuilegium hoc ſe componendi, ſiue per ſumptionem bullę pręſentis fiat, ſiue immediatè ab ipſo Commiſſario Cruciatę, cùm cedat, ait, in pręiudicium tertij, ſtrictè erit interpręrandum, atq; adeò ad ſolos fideles Baptizatos extendendum.

Bardi.

65 Affirmant tamen *Herriq.l.7.C.38.n.3.Trullen.l.2.d.2.* alijq; & meritò, nam compoſitio hęc tantùm abeſt, vt ſit in pręiudicium tertij, nempè veri domini, vt ſit etiam in fauorem illius. ratio autem eſt, quia moraliter loquendo, (prout in huiuſmodi rebus moralibus loquendum eſt) nempè ſpectata malitia, ſeu fragilitate humana, debita iſta incerta vtiquè integrè, ac totaliter perirent penes ipſum debitorem, & poſſeſſorem, atq; adeo dum debitor, ſeu poſſeſſor illectus hac compoſitione erogat partem dictorum bonorum incertorum in vtilitatem ſaltem ſpiritualem ipſius domini, & temporalem etiam communitatis, ſanè talis compoſitio nullo modo in preiudicium domini cedet, ſed abſolutè in ſummum eius fauorē; & ſic corruit ratio in contrarium, & conſequenter bulla hęc cōpoſitionis erit priuilegium omninò fauorabile, ac proinde extendi poterit etiã ad Catechumenos, qui abſolutè in fauorabilibus veniunt ſub nomine fidelium, quibus ſolis bulla Cruciatæ, & per conſequens hæc Cōpoſitionis conceſſa eſt; vt infrà Diſp. 11. latiùs dicemus.

Herriq. Trullen. Auctor.

66 Solum igitùr hic videndum eſt, An quis legare poſſit, vt pro illo ſumatur bulla hæc compoſitionis; pro quo ſit:

DIFFICVLTAS XVI.

An infirmus mandare poſſit in ſuo teſtamento, vt poſt eius mortem hæres, ſeu executor ſumat pro illo bullam compoſitionis?

67 AFfirmant *Herriq. l. 7. C. 34.n.3. Trullen.l.2. d. 2. Eſcobar to.1.l.7.ſe.1.C.25.n.395. & Diana p.11.tr.8.miſc. reſ. 11.* quorum ratio eſt, quia, aiunt, idem eſt in ordine ad huc effectum, vt hæres, ſeu exequutor teſta-

Herriq. Trullen. Eſcobar. Diana.

testamenti bullam istam sumat nomine defuncti, ac si ipsemet Defunctus illam sumeret.

Mendus. Auctor. 68 Negant tamen *Mendus D.* 33. C. 5. *n.* 50. alijque, & meritò, nam bulla hæc compositionis apertè conceditur viuentibus, est enim pars bullæ viuorum, nullaque mentio de illa fit in bulla Defunctorum, ergò nequit prodesse defunctis; quod si Sum. Pontifex voluisset etiam Defunctis in hoc suffragari, vtiquè in bulla defunctorum de hac compositione mentionem fecisset.

69 Nequè intẽtio testantis quoad hoc aliquid operatur, quia sola intentio sumendi bullam, nihil prorsus operatur, nisi actu, & de facto sumatur, vt infra ex consensu omnium DD. dicetur. quarè nisi quis adhuc viuens nequit hac via suæ saluti spirituali consulere, alia via mala ablata restituere conatur.

70 Atque hæc satis sint circa bullam Compositionis in communi; dicendum nunc restat de illa in particulari, hoc est, in quibusnam casibus in particulari fieri possit præsens hæc cõpositio.

QVÆSTIO II.

De Bulla Compositionis in Particulari.

IN bulla magna originali quatuor assignantur bonorum genera, in quibus præsens compositio admittitur, videlicet illicitè acquisita, redditus ecclesiastici, legata, ac demùm inuenta, & possessa. ex quibus generalibus capitibus Commissarius Cruciatæ pro maiori declaratione in Summario, quod bulla Compositionis dicitur, decem, & nouem speciales casus formauit, de quibus singillatim in præsenti Quæstione dicemus.

DIFFICVLTAS I.

An hæc Compositio locum habeat circa bona, quæ Iudex accipit, pro ferenda iniusta sententia?

1 PRæsens Difficultas procedit tàm de Iudice ordinario, quàm delegato; tum laico, tum ecclesiastico. Conueniunt ergò DD. Iudicem, qui tulit sententiam iniustam, omninò teneri ad restitutionem parti læsæ de omnibus damnis ex ea iniusta sententia sequutis, neque posse in hoc se componere. & meritò, eo quia creditor est certus, & notus cui ex rigorosa iustitia debetur *restitutio*. quærimus igitur, an locũ habeat hæc compositio circa pecuniam, quam Iudex accipit pro ferenda sentẽtia iniusta.

2 Et quidem ratio dubitandi pro parte negatiua est, quia ex communissima sententia, quod ob turpem causam accipitur, poterit post factum tuta conscientia retineri, atque adeo in tali casu non videtur habere locum compositio.

3 Cum toto tamen hoc, non omninò inutiliter conceditur etiam circa hoc compositio, quia cùm opposita sententia sit similiter probabilis, ac securior, nempè talem pecuniam esse

eſſe reſtituendam vel danti, vel erogandam pauperibus, vtiquè ſecuriùs talis Iudex operabitur, ſi circa eam pecuniam ſe componat.

4 In ſententia igitur illorum, qui putant, talem pecuniam erogandã eſſe pauperibus, nulla eſt difficultas; eſt tamen non contemnenda difficultas in ſẽtentia eorum, qui putant talem pecuniam eſſe omninò danti reſtituendam, an inquam, ſtante tali ſententia, poſſit circa illam admitti compoſitio.

Bardi. 5 Negat *Bardi p.3.tr.5.diff.2. C.1.n.5.* ex eo quia creditor tũc eſt certus.

Couarr. Lugo. Auctor. 6 Affirmant tamen *Couar. reg. pecc.3.p.§.1.n.3. Lugo to.1. de iuſt. D.21 ſe.7.§. vnic.n.121.* alijque; & meritò, nam quamuis dans ſit creditor certus, quia tamen turpiter dedit, nempè ad extorquendam iniuſtam ſententiam, meritò Sum. Pontifex in pœnam talis delicti, poterit priuare ipſum dantem iure, quod in eam pecuniam habet, ſicuti ob eandem rationem lex exterior negat in tali caſu actionẽ, & repetitionem. idemq; dicẽdum puto in ordine ad exceſsũ pretij ob delictum commiſſum ob camdemque rationem. ex quibus patet ad rationem in contrarium. An idem dicendum ſit circa pecuniam, quàm Iudex accipit pro ferenda ſententia iuſta, dicetur Diff. ſequenti.



DIFFICVLTAS II.

An hæc Compoſitio locum habeat circa bona, quæ Iudex accipit, pro ferenda ſententia iuſta?

7 SOlutio præſentis Difficultatis pendet ab illa communi difficultate in materia de Iuſtitia, An ea, quæ accipiuntur ob cauſam, ad quam faciendam quis tenetur, vel ad omittendum id, quod omittere quis tenetur, ſint neceſſariò reſtituenda pauperibus, ſi Dominus non compareat.

8 Et quidem alij volunt neceſſariò reſtituenda pauperibus; & conſequenter ſecundũ hanc opinionem habet locum compoſitio. alij è contra volunt reſtituenda eſſe ipſi danti, & ſecundùm hanc opinionem non videtur habere locum compoſitio, cùm debitor ſit certus; niſi per accidens, hoc eſt ſi tẽporis progreſſu neq; ipſe dans, neque eius hæredes, factà debità diligentià, inueniantur.

9 Verùm vt diſtinctius procedamus, diſtinctione opus eſt; & quidem ſi litigans det Iudici pecuniam ad redimendam vexationẽ, eò quia timet, prudenterque dubitat ex quibuſdam circumſtantijs, ne iniquus Iudex contrariam ſententiam iniuſtè ferat; tunc data pecunia, ipſi Danti eſt omninò reſtituenda, & conſequenter in tali caſu non habet locum cõpoſitio, niſi per accidens, modo dicto. ratio autem eſt, quia neque Iudex habet titulum illam acceptandi pecuniam, cùm abſque illa, vt ſupponimus, obli-

obligetur ad ferendam sententiam in fauorem Dantis: neq; ipse Dans est in culpa, vnde in pœnam illà priuetur pecuniâ.

10 Si verò litigans det Iudici pecuniam, vel aliquod aliud munus, vt in sui fauorem ferat sententiam siue iustè, siue iniustè, si sententia inueniatur iusta ex parte Dantis, vtiquè dans tunc non poterit repetere, quod dedit, eò quia vt cõplex turpitudinis actus iure priuatur iure repetẽdi, ac proinde talis pecunia esset applicanda pauperibus, & consequenter effecta est materia apta compositionis.

11 Notandum tamen est, cum communi DD. consensu, nullo modo esse locum compositioni in præsenti casu, si causa fuerit spiritualis, & non temporalis; sic enim expressè habetur in ipsamet bulla Compositionis. quod iure quidem optimo factum est, nam accipere aliquid pro causa spirituali, vt pro controuersia circa Ordines sacros collatos, circa Beneficium ecclesiasticum, & simile, est acceptio simoniaca, & in iure prohibita, vt constat ex *glos. in c. credentes, 1. q. 3.*

12 Quod dictum est de Iudice aliquid accipiente pro ferenda sententia iusta, extendi etiam poterit ad alios accipientes similiter aliquid, vt faciant, vel omittant id, ad quod ex aliis virtutibus tenentur.



DIFFICVLTAS III.

An hæc Compositio locum habeat circa bona, quæ Aduocatus accipit, pro defendenda causa iniusta?

13 Ratio dubitandi pro parte negatiua est, quia Aduocatus suscipiens onus defendendi causam omninò iniustam sui clientis, vtroq; agnoscente esse iniustam, ex probabilissima opinione poterit sibi retinere totum id, quod ob istam turpem causam accepit; dummodò resarciat totum damnum parti læsæ.

14 Quia tamen probabilis est sententia contraria asserens, talem Aduocatum debere restituere pauperibus omne acceptum pro patrocinãda causa iniusta, ideo Sum. Pontifex ad maiorem conscientiæ securitatem, admittit talem Aduocatũ ad præsentem compositionem, duabus tamen positis conditionibus.

15 Et quidem prima est, vt parti læsæ integrè satisfaciat; secunda est, vt cliens sciat, causam esse iniustam. & meritò, nam dùm ipse cliens scit suam causam esse iniustam, & hoc nõ obstante allicit Aduocatũ ad eam patrocinandam, sanè vt complex turpitudinis actus, meretur priuari iure, quod habet in pecuniam illam datam tali Aduocato. secùs autem si talis cliens putet, suam causam esse iustam, sed circumuentus à suo Aduocato illam prosequitur; tunc enim non est, vnde suo iure priuetur, atque adeo Aduocatus in

tali

tali casu tenebitur totam pecuniam eidem clienti restituere, atque adeo non habebit locum compositio per se loquẽdo, nisi per accidens, modo supradicto.

16 Quæ hactenùs dicta sunt de Iudicibus, & Aduocatis, valebunt etiam pro alijs similibus casibus; vt puta si Testis aliquid accipit, vt falsum testetur: similiter si Fiscus falsò accuset, vel desinit accusare, quando ex iustitia tenetur; aut etiam Notarij, seu Scribæ, alijque publici Officiales, qui pecunia subornati aliquam iniustitiam in proprijs officijs committũt; ac demum omnes alij, qui precibus, fauore, &c. ob acceptam pecuniam impedit ne fiat iustitia, aut curat, vt reus iniustè liberetur; omnibus enim his concedit Sum. Pontifex, posse se componere, satisfacta parte, prout dictum est.

DIFFICVLTAS IV.

An hæc Compositio locum habeat circa bona, quæ Meretrix accipit pro meretricio?

17 CONceditur vlteriùs in præsenti bulla Compositionis meretricibus, vt possint se componere super bona accepta ob turpem actum meretricij. aliquas tamen apponit Commissarius conditiones. & quidem primò, vt tales meretrices non sint publicæ; & meritò, nam pubiicæ meretrices possunt omni iure sibi retinere pro meretricio acceptum pretium, si fuerit proportionatum, ac donatum à persona, quæ disponere potest; imò per ius ciuile his meretricibus datur actio ad habẽdum pretium pro ipso meretricio, vt habetur in *l. 4. § sed, & quod meretr. ff. de condit. ob turpem causam.*

18 Altera conditio est, vt tales meretrices, quæ pro accepto pretio volunt se componere, non habeant maritum: quæ quidem conditio apposita videtur in sententia illorum, qui putant, esse viro restituenda, quæ ab adultera per adulteriũ acquiruntur; idemque erit dicendum de viro, qui aliquid accipit ab vxorata ob copulam carnalem cum illa habitam; nisi talis mulier habeat aliquid, de quo absolutè disponere valeat.

19 Ceterùm in opposita, & cõmuni sententia, quæ asserit, omne acceptum ex turpi actione sequuto effectu, posse tutà conscientià retineri, vel ad summùm in pauperes erogari (vt supra dictum est,) poterit quælibet mulier siue libera, siue coniugata, secundùm regulam generalem compositionis, se componere super bonis acceptis pro meretricio, per se loquendo, hoc est, si acceptum proueniat à persona potente de illo disponere; in quo etiam poterunt hac bulla Compositionis vti, si semel dans, seu dominus euadat incertus, eiusq; hæredes, modo supradicto.



Carolus Latius in Bull. Cruc.

DIFFICVLTAS V.

An hæc Compositio locum habeat circa bona per ludum malè acquisita?


20 Ratio dubitandi pro parte negatiua est, quia bona per ludum iuxtà communes ludi regulas, ac leges acquisita, poterit lusor tutà conscientià sibi retinere, & sic non indigebit compositione: si verò per fraudes, & dolum acquisita fuerint, vt siquis deprauatis aleis, seu adulterinis talis luderet, vel non secundùm communes ludi leges, tunc talia bona restituenda erunt in integrum perditori, vt creditori certo, atque adeo neque in præsenti casu, & consequenter absolutè non videtur habere locum Compositio circa bona per ludum acquisita.

21 Cum toto tamen hoc, satis vtiliter conceditur expressè compositio super bonis per ludum acquisitis. & quidem primò, quamuis bona per ludum acquisita iniustè, modo dicto, restituenda sint perditori, attamen si temporis progressu ignoretur perditor, eiusque hæredes, tunc talia bona omninò eroganda essent pauperibus, atque adeo satis vtilis erit præsens compositio.

22 Similiter neque omninò inutiliter conceditur compositio circa bona etiam iustè per ludum acquisita, saltem in aliquibus casibus, ob maiorem conscientię securitatem; sic siquis aliquid lucrabitur in ludo prohibito, iuxtà communissimam sententiam, per se loquendo, non tenebitur ad restitutionem, cùm leges, quæ prohibent tales ludos, non reddent irritam dominij trãslationem; attamen quia aliqui DD. obligant sic lucrantes ad restitutionem, vtique ij tutiores erunt in conscientia, si se componant. idemq; dicendum de eo, qui ludit cũ Clerico super bona beneficij, vel cũ notabiliter imperitiore, vel alijs similibus casibus, in quibus variant DD.

23 Dixi, per se loquendo, nam siquis ludat cum ijs, qui alienare nequeunt, vt sunt filijfamilias, Serui, Religiosi, &c. tunc tenebitur, si quid lucratus fuerit, restituere Parentibus, Dominis, Monasterio, &c.; & si ignorentur post debitam diligentiam, tunc erit locus compositioni.

24 Vniuersaliter igitur loquẽdo, quotiès bona per ludum acquisita erũt pauperibus eroganda, totiès habebit locum hæc compositio; sic expressè habetur in præsenti bulla Compositionis. quinam sint isti casus, non est huius loci, sed pertinent ad materiam de ludo, seu de restitutione.



DIF-

DIFFICVLTAS VI.

An hæc Compositio locum habeat circa bona per fictionem acquisita?

25 BOna per fictionem acquisita dicuntur ea, quæ acquiruntur ex eo, quòd quis fingit esse quod non est; vt cùm quis ob fictam, ac simulatam sanctitatem obtinet officium, vel aliquod Beneficium: seu ob fictam paupertatem, seu consanguinitatem consequitur aliquam hæreditatem, seu donationem, vel aliquid aliud. quærimus igitùr in præsenti, An super his bonis habeat locum Compositio.

26 Et quidem ratio dubitandi pro parte negatiua est, quia Beneficia dantur absolutè: acquisita verò ob fictam paupertatem, secundùm probabilem sententiam, poterunt retineri, præsertim si fuerint parui momenti: obtenta demùm ob fictam consanguinitatem, erunt omninò danti, seu eius hæredibus restituenda, ergò non est locus compositioni.

27 Cum toto tamen hoc, satis vtiliter conceditur compositio circa bona per fictionem acquisita. & quidem primò acquisita ob fictam paupertatem, secundùm probabiliorem sententiam, erunt saltem pauperibus eroganda, atque adeo habebit locum cōpositio; & hoc etiāsi donator sit certus, quia eo ipso, quòd dominus eam eleemosynam pauperibus applicauit, vtiquè illius dominiū à se abdicauit. Commissarius autem quando ait, *non sapendo, à chi si debba restituire:* loquitur in sententia Soti, docentis, esse talia bona ipsi donatori restituenda; quia tamen probabilius est, esse pauperibus eroganda, (vt dictum est) consequenter erunt materia apta compositioni, secundùm regulam generalem.

28 Si verò loquamur de bonis ob fictam consanguinitatem obtenta, quamuis ea sint, per se loquendo, omninò restituēda donatori, vel eius hæredibus, attamen per accidens poterunt esse apta materia compositioni, tunc scilicet, cum tàm donator, quàm eius hæredes ignorantur.

29 Quod autem spectat ad Beneficium obtentum ob fictam sanctitatem, seu doctrinam, dicendum cū *Rodriq. hic n. 48. Herriq. l. 7. C. 33. Bardi p. 3. tr. 5. diss. 2. C. 2. n. 33.* & alijs, quòd si recipiens dignè illud administraret, vtiquè poterit tuta cōscientia sibi retinere, neque tenebitur illud resignare. & ratio est, quia beneficia Ecclesiastica conferuntur absolutè, & absque conditione (vt dictū est) & sanctitas est solùm causa impulsiua, finalis verò est idoneitas ad benè, ac prudenter illud administrandum, & hoc præsumitur, nisi de opposito constet. *Rodriq. Herriq. Bardi. Auctor.*

30 Si verò non fuerit idoneus, tenebitur Beneficiū resignare, neque vllo modo habebit locum compositio, quæ nequit validare, quod de se inualidū omninò est; atque adeo aliunde obtinenda est eius reualidatio. an verò circa fructus ecclesiasticos locum habeat hæc compositio, dicetur infra, & specialiter circa fructus Beneficij illegitimè obtenti.

DIF-

DIFFICVLTAS VII.

An fraudantes in venditionibus possint hac Compositionis bulla lætari?

31 IN §. 17. huius bullæ Compositionis agitur de admixtione aquæ cum vino; sub quo casu compræhenduntur nō solùm Tabernarij, seu Caupones vendentes vinum aqua dilutum, sed etiam omnes alij deprauantes, seu adulterantes merces admixtione alterius rei extraneæ, ac deinde easdē vt puras vendentes, vt Aurifices miscentes stannum cum argento, æs cum auro, &c., similiter decurtātes mensuram, seu diminuentes pondera quibus vendunt merces, seu quocunque alio modo fraudantes in venditionibus, in quibus remanet obligatio restituendi.

32 Quærimus ergò in præsenti, An detur compositio super bonis acquisitis per fraudes in huiusmodi venditionibus.

Villalob. 33 Negat *Villalob. tr. 29. n. 36.* cuius ratio est, quia in dictis casibus quamuis ignorentur personæ determinatæ attamen si non ignoretur communitas, quæ fraudata fuit, facile poterit fieri restitutio eidem communitati, saltē vendendo ipsemet fraudator merces viliori pretio, vsquè dum fiat iusta compensatio; atque adeo non habebunt locum pauperes in huiusmodi rebus per dictas fraudes acquisitis, & per consequens neque habebit locum compositio.

Trullen. Herriq. 34 Affirmant tamen *Trullen. in cas. 18. in fin. Herriq. l. 7. C. 35. n. 7. Bardi p. 3. tr. 5. diss. 2. C. 2. n. 40.* *Bardi. Auctor.* alijque, & meritò, nam eo ipso quòd ignorentur personæ determinatæ, quæ fraudatæ fuerunt, bona absolutè dicuntur incerta, vt ex supradictis patet; atque adeo per se deuoluuntur ad pauperes, & consequenter satis ampla aperitur via ad cōpositionem; dummodo tamen post adhibitam diligentiam, nequeunt inueniri personæ determinatæ, quæ fraudatæ fuerunt, vt euenit in magnis Vrbibus.

35 Ad rationem autem in contrarium, satis patet ex dictis. An verò idem dicendum sit de bonis per vsuram acquisitis, dicetur Diff. sequenti.

DIFFICVLTAS VIII.

An hac Compositio locum habeat circa lucrum proueniens ex Vsura, seu alia illicita negotiationis specie?

36 EXpressè conceditur in præsenti compositionis bulla compositio circa lucrum illicitum prouenjens ex Vsura ac generaliter ex quacunque alia illicita negotiationis specie; quæ omnia intelligenda sunt post factam debitam diligentiam ad inueniendum Creditorem; nam cùm tale lucrū sit iniustè acquisitum, vtiq; remanet in acquirente debitum ex rigorosa iustitia ad restituēdum tale lucrū illi, à quo fuit extortum; atq; adeo tenetur adhibere industriā ad hoc, vt repereat Creditorem, quo inuento, ei, & non pauperibus facienda erit restitutio; quòd si

facta

facta diligentia nullus appareat Creditor, tunc habebunt lo ũ pauperes, & cõsequenter etiã præsens Compositio; dummodo ea bona possidens, sub fiducia præsentis compositionis illa non acceperit, iuxta supradicta Q. 1. diff. 10.

37 In casu autem, quo quis dicta lucra acceperit sub fiducia compositionis, tunc inualida erit compositio, & totum lucrum erit restituendum Sanctæ Cruciatæ in subsidium expeditionis contra Infideles; ita enim expresè in eadem bulla habetur, his verbis: *purche colui, che si hauesse in sì fatto modo da comporre, non habbia hauuto le cose, delle quali si hauerà da componere in confidanza di questa compositione, perche allora sarà obligato à restituire intieramente in tutto alla Santa Cruciata per aiuto, & soccorso alle sudette spese della guerra contro gl'Infideli.*

38 Ex quibus verbis, à Cõmissario appositis in fine huius bullæ Compositionis, oritur difficultas, An qui sub fiducia, ac spe cõpositionis lucratus est plura illicitè, ita vt non sit locus compositioni, possit talia bona absolutè in pauperes distribuere, non obstante, quòd Commissarius illa applicauerit sacræ expeditioni, vt dictum est.

Trullen. 39 Et quidem *Trullen. hic in vlt. casum*, putat dicta bona in tali casu validè distribui in pauperes, non autem licitè, cùm fiat contra præceptum Commissarij in re graui; vbi tamen viget consuetudo applicandi talia bona ipsi Cruciatę. Absolutè tamen Affirmat *Bardi p. 3. tr. 5. diff. 2. C. 2. n. 7.* *Bardi.*

40 Absolutè autem negant, per se loquendo, alij; & meritò, nam vi prędictę applicationis, seu dispositionis factæ à Commissario tanquam à Delegato Sum. Pontificis, vtiquè aufertur à tali iniusto possessore administratio dictorum bonorũ iniustè acquisitorum, ac proinde nequit ampliùs de illis validè, per se loquendo disponere dictus iniustus possessor. quod autem Sum. Pontifex possit auferre à tali iniusto possessore administrationem dictorum bonorum malè acquisitorum, non videtur posse in dubium reuocari; quòd de facto hic illam auferat, videtur etiam clarum, ergò &c. *Auctor.*

41 Dixi tamen, *per se loquendo*, nam si talis iniustus possessor bona fide, dicta bona in pauperes erogauerit, tunc, & in tali casu per accidens, ad nihil tenebitur. similiter neque peccabit ea bona dissipãs, si aliunde habeat, vnde compensationem faciat; sicuti neque peccat, qui dissipat pecuniam, quã furatus est, nisi aliunde sit impotens ad restituendum; tunc enim non dissipantur vt bona aliena.

DIFFICVLTAS IX.

An inferentes damnum segetibus, vineis, &c. possint super damnum illatum se componere?

42 IN §. 16. præsentis bullę cõpositionis expresè admittitur compositio ob damnum illatum segetibus, vineis, &c. eas conculcando equorũ pedibus, vel permittendo, vel fauendo vel alio modo adiuuan-

uando, vt alterius animalia, segetes pascantur.

43 Verùm ad hanc compositionem validè, ac licitè faciẽdam omninò requiritur, vt Dominus illarum segetum, seu vinearum ignoretur; ac proinde, qui damnum intulit, debet adhibere diligentiam ad illum inueniendum, qui quidem, ordinariè loquendo, facilè poterit inueniri, cùm satis notum sit, sub cuius dominio erant segetes, seu vineæ, quibus fuit damnum illatum.

44 Petes, an qui tenetur aliquid restituere ob capturam animalium per venationem, seu piscationem, possit hac cõpositione lætari.

45 Respondeo, Commissarium circa hoc punctum nihil exprelsè tangere; ceterùm secũdùm regulas generales, idem erit dicendum in præsenti casu, ac dictum est supra de ijs, qui damnum intulerũt vineis, seu segetibus. Superest igitur solùm aliquid tangere circa bona purè ecclesiastica; quarè sit:

DIFFICVLTAS X.

An Beneficiarius possit hac Compositione vti circa fructus beneficij malè perceptos ob non recitandas Horas Canonicas?

46 Beneficiarius culpabiliter omittens recitare Horas Canonicas transactis sex mensibus à consequutione beneficij, non solùm grauiter peccat, verùm etiam non facit fructus suos, sed tenetur illos restituere Ecclesiæ, in qua fũdatum est beneficium; ita statutum est in Concil. Lateran. sub Leone X. *sess. 9. §. statuimus*, & magis expresè in constitutione Pij V. in qua præfigitur etiam modus, quo faciẽda est talis restitutio, saltem pro rata correspondẽte omissioni dictarum Horarum Canonicarum. his positis.

47 Conceditur expresè in hac Compositionis bulla, tali beneficiario, posse se componere super dictos beneficij fructus, qui ex omissione Horarum Canonicarum, essent alioqui restituendi (vt dictum est) vel ipsi Ecclesiæ eiusdem beneficij, vel erogandi in vtilitatem domus beneficiarij, vel pauperibus, sumendo tot bullas, quot sufficient ad summam fructuum restituẽdorum, iuxta supradicta Q. 1. n. 1. ita tamen, vt præter duo realia, quę erogat pro qualibet bulla, eroget etiam alia duo realia pro fabrica Ecclesiæ; atque adeo, qui indiget duabus bullis, erogare debet octo realia, videlicet quatuor pro duabus bullis, & quatuor pro fabrica; eodẽq; modo erit procedendum vsq; ad summam aureorum, seu scutatorum 321. tarenorum 8. & gran. 6. vt supra etiam dictũ est Q. 1. n. 19.

48 Quòd si quantitas fructuum beneficij malè perceptorum excedet dictam summam, tunc poterit se componere immediatè per Commissarium eiusdem Cruciatæ. An verò idem dicendum sit circa fructus beneficij malè perceptos, ex eo quia absquè legitimo titulo beneficium possidetur, dicetur Diff. sequenti.

DIF-

DIFFICVLTAS XI.

An circa fructus Beneficij illegitimè obtenti habeat locum præsens Compositio?

49 QVi Beneficium Ecclesiasticum absquè legitimo titulo obtinet, vel quia caret ætate in iure requisita, vel quia natus est ex illegitimo toro, vel quia est excommunicatus, vel alia censura innodatus, tenetur illud renuntiare, ac fructus perceptos ex tali beneficio restituere; nam posita inualiditate adeptionis, non facit fructus suos. verum tamē est, quod si bona fide aliquos fructus consumpserit, non tenebitur illos restituere, nisi solùm id, in quo factus est ditior. His positis.

50 Quærimus in præsenti, An hæc Compositio cadere possit super dictos fructus malè perceptos ex Beneficio illegitimè obtento.

Lud. à cr. Rodriqu. Bardi. 51 Et quidem affirmant *Lud. à Cruc. D. 3. d. 7. num. 3. Rodriq. hic §. vnic. num. 15. Bardi p. 3. tr. 3. diff. 2. C. 3. nu. 25.* aliijq; quorum ratio est, quia licèt expresè non fiat mentio in hac Bulla de compositione super fructus Beneficij illegitimè obtenti, benè tamen videtur comprehendi posse sub generali facultate componendi circa quæcunque bona quocunque modo illicitè acquisita; præsertim quia antequam huiusmodi fructus Ecclesiæ applicentur, vel instituatur successor, immediatè dependent à dispositione Sum. Pontificis; atq; adeo absolutè poterit super tales fructus compositionem concedere, & per consequens etiam Commissarius vt illius Delegatus.

52 Negant tamen *Lugo tom. 1. de iust. D. 21. se. 7.* nonnullique alij. & meritò, nam quamuis in fine huius bullæ, nempe in §. 19. habeatur clausula generalis, per quam conceditur cōpositio super omnibus malè acquisitis; attamen, vt ibidem benè adnotatur, id intelligi debet, quando ignoratur ille, cui facienda est restitutio; at fructus ex beneficio illegitimè obtento, vel debentur Ecclesiæ, in qua est beneficium, vel successori, qui est dominus, seu creditor certus, sicuti & ipsa Ecclesia, ac proinde nō habebit locum compositio. ex quibus patet ad rationem AA. in contrarium. Lugo. Auctor.

53 Ad Confirmationem autem Dico, ex ea solùm inferri, posse Sum. Pontificem, & consequēter Commissariū Cruciatæ cōpositionem facere super dictos fructus beneficij illegitimè obtenti, quod vltrò concedimus; quia applicatio horum fructuū vel ecclesiæ beneficij, vel successori, cū oriatur ex iure positiuo, consequenter poterit à Sū. Pontifice variari, & in aliud pium opus commutari; solùm autē negamus, posse de facto, & vi præsentis cōcessionis fieri compositionē circa dictos fructus beneficij illegitimè obtenti per sumptionē præsentis bullæ vt iacet, & hoc propter rationem supradictam.

54 An verò idem dicendum sit circa fructus beneficij perceptos tempore excommunicationis, vel alterius censuræ, dicetur Diff. sequenti.

DIFFICVLTAS XII.

An hæc Compositio locum habeat circa fructus Beneficij perceptus à Beneficiario excommunicato?

55 SOlutio præsentis Difficultatis pendet ex illa alia difficultate in materia de Censuris, videlicet, An excommunicatio maior priuet fructibus Beneficij ante ipsam legitimè obtenti.

Couarr. *Suarez.* *Toletus.* *Nauarr.* 56 Et quidem affirmant *Couar. l. 3. var. C. 13. num. 8. Suar. de cens. D. 13. se. 2. Tolet. l. 1. C. 13. Nauarr. man.* C. 25. *nu.* 124. & alij; atq; adeo secundùm hanc opinionem poterit habere locum compositio circa fructus beneficij perceptos toto tempore excommunicationis.

Coninb. *Bonacin.* *Hurtad.* *Vasquez* *Auctor.* 57 Negant tamen *Coninb. de cens. D. 14. d. 9. nu. 81. Bonac. de cens. D. 2. q. 2. p. 4. §. 2. nu. 2. Hurtad. de excom. D. 6. d. 1. n. 2. Vasquez de benef. C. 4. §. 3. d. 4. n. 229* alijque, & meritò, nam excommunicatio ex eo, quod generaliter sit priuatio communionis fidelium, non priuat dictis fructibus, quia eorum perceptio non est communicare cum fidelibus, cùm cuilibet excommunicato conferri possint; dũmodo tamẽ excommunicatus siue per se, siue per suum Vicarium præstet omnia, quæ ad suum officium pertinent; atque adeo, secundùm hanc nostram opinionem, non indigebit compositione excommunicatus, nisi, ad summũ, ad maiorem conscientiæ securitatem.

DIFFICVLTAS XIII.

An Compositio locum habeat circa fructus perceptos, tempore nõ residentiæ, quando adest obligatio residendi?

58 NEgant *Rodriq. hic n. 18. Lud. à Cru. D. 3. d. 8. n. 2. Herriq. l. 7. C. 36. §. 2. Bardi p. 3. tr. 5. diff. 2. C. 4. nu. 2.* alijq; communiter DD. & meritò, nam ex *c. conquerente, de Cler. non resid.* ac nouissimè ex *Trid. sess. 23. C. 1. de refor.* non est licita compositio super fructibus beneficij perceptis à Beneficiario non residente in suo Beneficio eo tempore, quo tenetur in illo residere, nempè vltrà duos menses intra annum, vel ad summum tres menses, si aderit iusta causa, modo quo in eodem Tridentino præscribitur. *Rodriqu.* *Lud. à cr.* *Herriq.* *Bardi.* *Auctor.* *Trident.*

59 Idemque dicendum circa fructus perceptos ex duobus Beneficijs incompatibilibus; nam possidens duo Beneficia incompatibilia, necessè est, vt ab alterutro absit, & consequenter ratione talis absentiæ nequit facere fructus suos vtriusque Beneficij, sed solùm illius Beneficij, in quo residet.



DIF-

DIFFICVLTAS XIV.

An recipiens Beneficium abſque intentione ſumendi Ordinem neceſſarium tali beneficio, poſſit hac compoſitione lætari?

60 Recipiens beneficiũ abſquè intentione ſumendi Ordinem neceſſarium tali beneficio, donec habebit dictam intentionem, ac tale propoſitum, nequit, ex *c. commiſſa, de elec. in 6.* facere fructus ſuos, ſed tenetur illos reſtituere. Quærimus ergò in præſenti, An talis beneficiarius poſſit lætari hac compoſitione ſuper fructibus beneficij ſic nulliter perceptis.

Lud. à cr. Bardi. 61 Affirmant *Lud. à Cruc. D. 3. d. 7. n. 5. Bardi p. 3. tr. 5. diſſ. 2. C. 3. n. 29.* alijque; quorum ratio eſt, quia in fine huius bullę compoſitionis conceditur cõpoſitio circa quæcunque bona, quocunque modo illicitè acquiſita.

Lugo. Auctor. 62 Negant tamen *Lugo to. 1. de iuſt. D. 21. ſe. 7.* nonnulliq; alij, & meritò, quia licèt in fine bullæ concedatur compoſitio circa quæcunque bona, quocunq; modo illicitè acquiſita, attamen, vt ibidem benè notatur, id intelligi debet, quando ignoratur ille, cui facienda eſt reſtitutio; in caſu verò præſenti iam ſcitur ille, cui facienda eſt reſtitutio dictorum fructuum, vt in ſimili ſupra diximus nu. 52. quò me remitto, ergò &c. ex quibus ſatis patet ad rationem AA. in contrarium.

DIFFICVLTAS XV.

An in Diſtributionibus quotidianis malè perceptis habeat locum Compoſitio?

63 Contingere poteſt, vt aliquis Canonicus nõ aſſiſtat in choro; dùm tenetur aſſiſtere, & hoc non obſtante; percipiat diſtributiones quotidianas Eccleſiæ cathedralis, ſeu collegialis; quærimus in præſenti, An in huiuſmodi diſtributionibus malè perceptis habeat locum Compoſitio.

64 Negant *Rodriq. hic caſ. 1. d. 2. n. 16. Lud. à Cruc. D. 3. d. 8. n. 1. Herriq. l. 7. C. 36. n. 3. Villalob. tr. 29. n. 20. Lugo to. 1. de iuſt. D. 21. ſe. 7. Bardi p. 3. tr. 5. diſſ. 2. C. 3. n. 21.* alijq; communiter DD. & meritò, nam huiuſmodi diſtributiones ob abſentiam vnius ex ijs, qui aſſiſtere debent, & eſſe præſentes, debentur alijs, qui aſſiſtunt, & ſunt præſentis Diuinis Officijs, ac proinde cùm ſint certi creditores, non habebit locum in tali caſu cõpoſitio. *Rodriq. Lud. à cr. Herriq. Villalob. Lugo. Bardi. Auctor.*

65 Idemque dicendum, & ob eandem rationem circa fructus perceptos ab ijs, qui non reſident, quando reſidere tenentur, eò quia creditor eſt certus, vt dictum eſt.

66 Similiter idem erit dicendum, quando in aliqua Eccleſia viget conſtitutio, vt fructus malè percepti ſint deſtinati ad certa, ac determinata opera pia, nam tunc cùm etiam ſit certus creditor, nõ licebit compoſitio.

DIFFICVLTAS XVI.

An Beneficiarij, seu Parochi, vel Cappellani Panormi possint componi super acceptis à particularibus personis?

67 PRo plena intelligētia præsētis Difficultatis sciendum est, Magistratum Fælicis Vrbis Panormi, pro maiore eiusdem Vrbis fælicitate, dare singulis Beneficiarijs, seu Parochis, Cappellanis, ac ceteris Parochiarum suarum ministris stipendia satis sufficientia pro vniuscuiusque eorum sustentatione, & hoc ne quid omninò à particularibus personis accipiant pro Sacramentorum administratione, neque sepultura; hoc posito.

68 Quærimus in præsenti, An si quis ex dictis Beneficiarijs, (idemq; dicendum erit de alijs eiusdem Ciuitatis Cappellanis, & huiusmodi) recipiat aliquid ex particularibus personis pro sacramētorum administratione, vel sepultura, vltra id, quod expressè permittitur, possit circa sic accepta lætari hac compositione?

69 Negat *Bardi p.3. tr.5. diss 2. C.4. n.4.* & meritò, quia Clemens VIII. in quadam sua bulla *super reformat. Parochiarum* eiusdem Vrbis, quæ fuit promulgata (vt ipsemet Bardi testatur lo. ci.) tempore Em Archiepiscopi Ioānettini ab Auria, expressè disponit, quod si quis ex Parochis, Cappellanis, &c. qui stipendium sufficiens, accipiunt à Magistratu eiusdē Vrbis pro administratione Sacramentorum, aliorumq; munerum; si quis, inquam horum aliquid petierit, extorserit, & etiam à sponte dantibus receperit pro administratione Sacramentorum, vel sepulturę, excepto eo, quod sibi expressè permittitur, non faciat suum, sed teneatur illud integrè restituere, si excedat duos tarenos, ei, à quo acceptum fuit, vel pauperibus, & ipse recipiens non possit id, quod recepit, sibi tanquam pauperi appropriare, *nec per Bullam Cruciatæ se componere*; neque vllo modo possit illud retinere, etiam habita remissione à donatore; ac demum statuit, neque posse lōgissima consuetudine contrarium pręscribi.

Bardi. Auctor.

70 *Similiter in* eadem bulla statuitur, quod si *Rectores*, & Cappellani Parochiarū, quemadmodū & Magister Cappellanus Maioris Ecclesiæ in suis muneribus valdè negligentes fuerint, cum graui animarum periculo, & præsertim infirmorum, atque populorum scandalo ob notabilem negligentiam positam in exercendis proprijs muneribus, vel in aliquo ex illis, etiam semel, amittant medietatem censu vnius *diei ipsis* Parochis, & Cappellanis assignati, & quibis eodem die in hoc deliquerit, integrum censum illius diei eo ipso statim amittat in foro conscientiæ; & eum teneatur pauperibus integrè erogare, & illum suum facere non possit, neque tanquam pauperi sibi retinere, *neque possit se cōponere prætextu bullæ Cruciatæ*, alijsq; pœnis imponēdis puniatur. Hæc Sū. Pōtifex in supradicta bulla, ergò &c.

DIF-

DIFFICVLTAS XVII.

An super Legatis possit dari Cõpositio?

71 IN §. 2. & 3. præsentis bullæ compositionis conceditur compositio super legata, non quidem omnia, sed tantùm ea, quæ relicta sunt à testatore pro malè ablatis; neq; modo hactenùs dicto, sed in medietate summæ sic legatæ; vt si v.g. legatum fuerit centum aureorum, tunc hæres poterit componere se in quinquaginta.

72 Requiritur vlteriùs adhoc, vt compositio ista sit vtilis, ac licita ei, qui vult se componere, vt Legatarius fuerit per annum negligens ad petendum tale legatum, sic enim statuitur tàm in bulla latina originali, quàm in extracto bullæ Compositionis.

73 Annus autem iste, vt notãt communiter DD. non incipit à die mortis testatoris, & multò minùs à die, quo factum fuit tale legatum, sed præcisè à die notitiæ, quam legatarius habet de legato sibi relicto. patet, nam cùm ad hanc compositionem necessariò requiratur; præcessisse in legatario negligentiam, & negligentia necessariò supponat notitiam in eo, qui negligit consequens est, vt dicamus, annum istum currere præcisè à die habitæ notitiæ à legatario.

74 Cum toto tamen hoc, vt magis, ac magis honestas præsentis compositionis elucescat, quærunt hic DD. An ista compositio super legatis, modo dicto, sit omninò licita.

75 Et quidem ratio dubitandi pro parte negatiua est, quia legatarius sæpe est notus, ac creditor certus, iusque acquirit in legatum à die mortis testatoris, ac proinde non videtur, quomodo possit illo spoliari, & per consequens non poterit super tale legatum fieri compositio; estò aliquando per accidens, in casu scilicet, quo omninò ignoratur legatarius, eiusq; hæredes, iuxta supradicta tota Q. prima.

76 Affirmant tamen *Herriq. l. 7. C. 37. n. 1. Turrian. in 2. 2. d. iust. D. 41. d. 3. n. 8. Lud. à Cruc. D. 3. d. 9. nu. 4. Rodriq. hic nu. 19. Lugo tom. 1. de iust. D. 21. se. 7. §. 1. à n. 116. Bardi p. 3. tr. 5. diff. 2. C. 5. se. 1.* alijque communiter Doctores & meritò, quia dùm à Sede Apostolica conceditur expresè compositio super legata, vt dictum est, consequenter, ac necessariò dicendum est, huiusmodi compositionem esse omninò validam, ac licitam; & præsertim cùm nulla possit afferri ratio in cõtrarium aliqualis efficaciæ, vt infrà patebit. *Herriq. Turrian. Lud à cr. Rodriq. Lugo. Bardi. Auctor.*

77 Ad rationem igitur in contrarium Dico, hanc compositionem non fundari in incertitudine Creditoris, vt de alijs compositionibus supra dictum est, sed in plenitudine potestatis, quam habet Sum. Pontifex vt vniuersalis, verus, ac legitimus piorum operum administrator, commutandi vnum pium opus in aliud; qua potestate vtitur Pontifex præsertim circa huiusmodi legatam in fauorem Cruciatæ, in pœnã annuæ negligentiæ ipsius legatarij in petendo tali legato.

78 Neque mirũ videatur, quod Pon-

Pōtifex hac pœna puniat prædictam legatarij negligentiam, cùm etiam qui simul est legatarius, & testamentarius, & tamen per annum à die monitionis per Iudicem, sit negligens implere testamentum, in pœnam negligentiæ priuetur illo speciali legato, & applicetur pro anima defuncti, vt ex pluribus DD. notat Ludouicus ci. & hoc si sciatur legatarius; ceterùm in casu, quo dictus legatarius ignoratur, nulla est difficultas, quod possit hæres hac compositione vti, modo dicto, nempe medietatē legati applicando Cruciatæ vel per sumptionem tot bullarum vsquedùm exauriatur tota summa dictæ medietatis legati, vel immediatè à Commissario; & quidem super omnia legata, si semel ignoretur legatarius, iuxtà regulam generalem compositionis sæpè relatam.

DIFFICVLTAS XVIII.

An super omnia bona inuenta, etiam Naufragantium, cadere possit compositio?

79 BOna tum ea, quæ nunquam fuerunt sub alicuius domino, vt sunt gemmæ, seu lapilli prætiosi, mineralia, & huiusmodi, quæ in littore maris inueniuntur; similiter & insulę, quę nunquam habitatorem, neq; dominum habuerunt: tum ea bona, quę licèt olim sub alicuius dominio fuerunt, attamen actu sub nullius dominio manent, vt sunt Thesauri, cùm sint primi occupantis (excepta speciali aliqua constitutione alicuius prouincię) non indigent compositione.

80 Bona verò, quę de presenti dominum habent, sed quis sit ignoratur, adhuc post sufficiētem adhibitam diligentiam, quamuis secundū aliquos DD. possint tuta conscientia ab inuentore retineri, attamen ob maiorem conscientię securitatem, poterit inuentor super his se componere, eò quia secundùm communiorem sentētiam, huiusmodi bona erunt pauperibus applicanda.

81 Petes, An idem dicendum sit circa bona inuenta, si fuerint deperdita in naufragio, quæ naufragantium bona dicuntur.

82 Negant *Trullen. hic in cas. 14. n. 15 Bardi p. 3. tr. 5 diss 2. C. 5. nu. 12.* alijque, & meritò, eò quia in iure non solùm prohibetur dictorum bonorū Naufragantium vsurpatio, sed etiā lata est excommunicatio in bulla cœnę Sum. Pontifici reseruata, & alia excommunicatio non reseruata in *c. excommunicationi, de rapt.* atq; adeo huiusmodi naufragantium bona si inueniantur, omninò cōsignanda erunt Ordinario, cuius erit de illis disponere. ***Trullen. Bardi. Auctor.***

DIFFICVLTAS XX.

An Hæres defuncti possit se componere super debitis, pro quibus defunctus validè se composuisset viuens?

83 REspondeo affirmatiuè; atque adeo si defunctus habebat aliqua debita incerta, modo hactenùs explicato, super quibus validè potuisset

tuisset se componere, vtiquè super ijsdem debitis poterit similiter se componere & heres; eadem incertitudine durante; tum quia heres transit in locũ defuncti; tum etiam quia nulla circa hoc apparet implicantia.

84 Verum tamen est, quod si Defunctus de huiusmodi bonis seu debitis incertis disposuerit, & ad suam exonerandam conscientiam aliqua legata instituerit, eaq; vel pio loco, vel aliquibus determinatis pauperibus destinauerit, tunc non poterit heres, absolutè loquendo, super istis legatis se componere, quia tunc creditor erit certus, vt patet.

85 Dixi tamen, absolutè loquẽdo, nam si legatarius per annum negligens fuerit ad petendum suum legatum, tunc sanè poterit hæres cõpositione vti super medietate legati, iuxta supradicta Diff. 17.

86 Atquè hec satis sint circa Compositionem vi Cruciatę faciendam vel per sumptionem eiusdem bullę compositionis (vt dictum est) vel immediatè ab ipso Commissario eiusdem Cruciatę, & à nullo alio, vt expressè in fine huius bullę sub pœna excommunicationis latę sententię omnibus aliis prohibetur.



DISPV-

DISPVTATIO VNDECIMA.

DE PERSONIS, AC LOCIS, QVIBVS CRVCIATÆ PRIVILEGIA CONCEDVNTVR.

Cruciatæ priuilegia quamuis solis Christi fidelibus concedantur, non omnibus tamen, ac singulis fidelibus conceduntur. videndum igitur est in præsenti, quibusnam fidelibus, quibusue fidelium locis supradicta Cruciatæ priuilegia concedantur.

QVÆSTIO I.

De ijs, qui Sacram Expeditionem petunt, vel ad illam alios mittunt.

OMnia Cruciatę priuilegia, omnesque gratię, & Induldulgentię primò, & principaliter à Sum. Pontificibus concessę fuere omnibus, ac singulis sacram Expeditionem personaliter petentibus (vt supra D. 1. Q. 2. à n. 1. dictum est) vel saltem alios ad illam mittentibus. proinde de ijsdem hic primò dicendum est.



DIFFICVLTAS I.

Quid specialiter præstare debeat Rex Catholicus ad hoc, vt Cruciatæ priuilegijs gaudeat?

1 INitium sumētes à Catholico nostro Rege semper inuictissimo, tanquam à Capite dictę Sacrę expeditionis contra Turcas, aliosque Infideles, ac pręcipuè contra Hereticos; Conueniunt DD. eum vt talē, nempe vt caput dictę Expeditionis, lucrari posse Indulgentiam plenariam non tantùm semel in vita, & semel in articulo mortis, verùm etiam toties quoties ipse voluerit, si sedulò curet Christianorum defensionem contra Infideles, prout de facto acerrimè exequitur, & pręsertim contra Hereticos, à quibus Catholici maximè infestantur. & meritò, quia sub hac clausula conceditur dicto Regi vt capiti dictæ In-

Indulgentia, vt ex ipſo bullæ textu patet.

2 Quare ſi Rex non curaret dictam ſacram Expeditionem, non poſſet lucrari dictam Indulgentiam plenariam, quæ ipſi vt capiti conceditur; cũ enim detur ſub dicta conditione, nempe vt ipſe Rex ſedulò, ac diligenter curet dictam Expeditionem, conſequenter tali conditione non adimpleta, neque Indulgentiam lucrabitur, neq; alijs Cruciatæ priuilegijs, ac gratijs frui poterit.

3 Ceterùm ſi Rex Catholicus ſpectetur non vt Caput dictæ Expeditionis, ſed vt priuata perſona, ſeu vt membrum illius communitatis, in qua viget Cruciata, vtiquè poterit & Indulgentias, ac reliqua Cruciatæ dona lucrifacere, recipiens huius bullæ ſummarium, æquè ac reliqui, etiamſi de dicta ſacra Expeditione nihil curaret: vt priuata enim perſona nihil aliud exequi tenetur, niſi quod aliæ priuatæ perſonæ exequuntur.

4 An verò Rex teneatur omninò confiteri, ad hoc, vt dictam Indulgentiam lucretur, infrà dicetur n. 16.

DIFFICVLTAS II.

De Indulgentia Plenaria, quam euntes ad Bellum lucrantur.

5 CONcedit vlteriùs Sum. Pontifex Indulgentiam Plenariam, ac remiſſionem omnium peccatorum omnibus euntibus ad bellum, non ſolùm pugnandi cauſa, ſed etiam ijs, qui aliquod ſeruitij genus in ſubſidium exercitus gratis preſtabunt, ſimiliter & iis, qui moriuntur, dùm ad exercitum accedunt, vel in eodem exercitu moriuntur, vel ob aliquã infirmitatem, vel neceſſitatem ſuperuenientem ab exercitu diſceſſerunt.

6 Petes, An qui eunt ad dictum Bellum, ibique vel præliantur, vel aliquod aliud ſeruitij genus faciunt, poſſint toties quoties lucrari dictam Indulgentiam Plenariam?

7 Affirmant *Rodriq. §. 2. nu. 15. Villalob. clauſ. 1. nu. 3. Trullen. l. 1. §. 1. d. 15. num. 6. Bardi p. 1. tr. 2. C. 1. num. 14.* alijque, & meritò; primò quia his, qui ad dictum bellum eunt, conceditur indulgentia hæc abſolutè, & abſque vlla reſtrictione, ſeu limitatione, quæ apponitur pro ijs, qui non eunt, nempè ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis, (vt ſupra dictum eſt D. 4. Q. 5. à num. 1.) vbi circa hoc aliquid tetigi, & præſertim num. 39. Secundò quia Indulgentia, quæ indefinitè conceditur, poterit toties lucrifieri, quoties fuerit opus iniunctum repetitum; iuxtà ſupradicta D. 4 Q. 2. n. 31. *Rodriq. Villalob. Trullen. Bardi. Auctor.*

8 Poterunt ſimiliter ij applicare dictam indulgentiam plenariam Defunctis per modum ſuffragij, prout expreſsè illis cõceditur in §. 1. præſentis bullæ; ac demum omnes prædicti ad hanc indulgentiam aſſequendam tàm pro ſeipſis, quàm pro Defunctis, non tenentur ſoluere conſuetam eleemoſynam, & ipſam bul-

Iam accipere, prout notant communiter DD. & ex ipso textu expressè colligitur. & idem dicendum pro fruendis alijs bullæ priuilegijs. Quomodo autem ijdem eximantur ab obligatione ieiunandi, dicetur infra.

DIFFICVLTAS III.

An omnes, ac singuli Milites in sacra expeditione occupati eximantur ab omnibus ieiunijs?

9 Milites in dicto Bello occupati eximuntur etiam à Ieiunijs, ad quæ siue ex præcepto Ecclesiæ, siue ex voto tenentur; insuper & quòd possint diebus festiuis exercere opera seruilia ad Bellum pertinentia; ita expressè habetur in §. 7.

10 Dubitatur tamen, An eximantur etiam à Ieiunijs, ad quæ milites ex iuramento tenentur. & quidem ratio dubitandi pro parte negatiua est, quia huiusmodi votum videtur esse diuersæ rationis à supradictis votis.

Trullen. Bardi. Auctor.

11 Affirmant tamen *Trullen. l. 1. §. 2. num. 5. Bardi p. 1. tract. 2. C. 1. num. 19.* alijque, & meritò, nam (vt supra diximus D. 8. Q. 1. nu. 71.) Iuramentum, quod in honorem solius Dei, aut Sanctorum emittitur, idem operatur ac Votum, vnde inter se ista duo æquiparantur; & præsertim quia tale priuilegium est omninò fauorabile, ergò &c.

12 Petes, an similiter dicti milites eximantur à ieiunijs iniunctis à Confessario in sacramento Penitentiæ?

13 Negat *Bardi ci. n. 21.* & meritò, nam dicti milites, per se loquendo, non eximuntur à pœnitentia imposita à Confessario; quòd autem aliquando talis penitentia sit ieiunium, per accidens omninò se habet. ceterum tali ieiunio grauatus, poterit ab illo se eximere per susceptionem Indulgentiæ Plenariæ, iuxtà supradicta D. 4. Q. 5. à n. 32.

Bardi. Auctor.

14 Conueniunt de reliquò DD. non omnes milites eximi à dictis Ieiunijs, sed tantùm eos, qui pugnant, seu ad pugnandnm destinantur. Adhoc autem vt quis propriè dicatur Miles, sufficere videtur, vt ensem cingat, ac militis Tesseram gestet, & in aliorum militum numero conscribatur; nam reliquæ conditiones in *cap. Milites, ff. ex quibus causis*, requisitæ adhoc, vt quis verè, ac propriè dicatur miles, non sunt in vsu. Reliquæ conditiones necessariò requisitæ ad hoc vt dicti milites dictis gratijs perfruantur, Diff. sequenti dicentur.



DIF-

DIFFICVLTAS IV.

Sub quibuſnam conditionibus ſupradictæ gratiæ conceduntur euntibus ad bellum?

15 PRima conditio eſt, vt ex zelo fidei eant ad bellum, ac pugnent; ſic expreſsè habetur in eadem bulla; atq; adeo ſi ex odio, & vindicta mouerētur ad pugnandum pro Rege Catholico, non lucrarentur Indulgentias, neque alia dona. & idem dicendum, ſi Bellum non eſſet contra Infideles, ſed contra fideles, vt patet.

16 Secunda conditio eſt, vt ſint corde contriti, & ore confeſſi; in caſu ſcilicet, quo cum conſcientia peccati mortalis inuenirentur; quæ quidem conditio etiamſi expreſsè nō appoſita fuiſſet, neceſſariò etiam foret intelligenda, nam indulgentia ſupponit ſtatum gratię, vt ex ſupradictis D. 4. de Indulgentijs patet. quod autem dicat *Ore confeſſi*, non inde ſequitur, quod non ſufficiat confeſſio nutibus facta, ſi nequeat fieri verbis, ſed tantùm indicatur modus vſitatus confitendi. neque ex eo, quod dicitur *corde contriti*, ſequitur quod dolor peccatorum debeat eſſe neceſſariò contritio, itaut non ſufficiat attritio, nam ex *Trident. ſeſſ.* 14. *C.* 4. ſub nomine contritionis continetur etiam attritio cum ſacramento.

Trident.

17 Tertia conditio eſt, vt dicti Milites abſque ſtipendio, ac ſuis ſumptibus accedant ad Bellum, ac pugnent; ſimiliter & ij, qui in eodem exercitu aliquod ſeruitij genus præſtāt, gratis id facere debent; ſic enim expreſsè in eadem bulla habetur.

18 Quarta, & vltima conditio eſt, vt permaneant in exercitu vſque ad finem ſacræ expeditionis eiuſdem anni, videlicet illius anni, in quo quis in illa adſcribitur. Atquè hæc ſatis ſint circa eos, qui perſonaliter ad bellum eunt; dicendum nunc eſt de illis, qui alios proprijs ſumptibus ad dictum bellum mittunt.

DIFFICVLTAS V.

De ijs, qui alios ad Sacram Expeditionem proprijs expenſis mittunt?

19 IN §. 3. eadem Indulgentia Plenaria, ac omnium peccatorum remiſſio conceditur ijs, qui licèt ad bellum non eant, alios tamen ſuis expenſis mittunt. qui quidem mittendorum numerus non eſt idem pro omnibus, ſed diuerſus pro diuerſitate ſtatus, ac conditionis mittentium perſonarum.

20 Et quidem perſonæ in aliqua dignitate conſtitutæ, vt Cardinales, Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, ſeu Epiſcopi, Filij Regis, Principes, Duces, Marchiones, Comites debent ſuis ſumptibus mittere quot commodè poterunt vſq; ad decem homines incluſiuè, neq; pauciores quatuor, ſi plures non poterunt; ita ſtatuitur in dicto §. 3.

21 Reliqui verò inferioris conditionis, poterunt ſinguli ſingulos mittere. quòd ſiquis neque vnum valeat mittere, tunc duo, vel tres, aut quatuor eiuſdem pauperis fortunæ, poterunt nomine communi vnum tantùm mittere. & ſiquis erit adeo pauper, vt nequeat neq; modo prædicto contribuere, neque poterit hac via dictam Indulgentiam lucrari; poterit tamen alia breuiori via, nempe erogando duo realia, Summarium ſumat, modo infra explicando, D. 12. Q. 3. & 4.

22 Demum idem participabunt Indultum Capitula Eccleſiarũ, Monaſteria, aliaque loca Religioſorum etiam mendicantium; tàm virorum, quàm fœminarum, ſi pro decem perſonis eorumdem Capitulorum, & locorum, vnum electum à Capitulo, ſeu loco mittant; ita ſtatuitur in §. 4.

23 Quod ſi in Monaſterio, aut alio loco Regularium, numerus Religioſorum, vel Religioſarum non pertingat ad numerum denarium, vt ſi ſint v. g. ſex aut ſeptem &c. tunc tale Monaſterium &c. neque vnum tenebitur mittere, cùm dictus numerus denarius videatur ad hoc veluti conditio ſine qua non. Si verò iſtorum numerus excedat denarium, ſed non pertingat ad vigenarium, vt ſi v. g. ſint quindecim, ſexdecim &c. tunc pro tali exceſſu ſupra denarium, contribuendum erit pro rata; hoc enim videtur eſſe textui cõformius, quidquid alij in contrarium dicant; eſt enim res leuis momenti, atq; adeo longiùs quærere diſtuli.

24 Ceterùm Pauperes, qui ad dictam Expeditionem mittuntur, quamuis alienis, & non proprijs ſumptibus prælientur, fruuntur tamen eodem Indulto; ita enim ſtatuitur in §. 6. eiuſdem bullæ.

25 Deniq; omnes iſti, qui alios ad dictum Bellum mittunt (ſicuti ſupra diximus de eũtibus) poterunt applicare dictam Indulgentiam Plenariam Defunctis per modũ ſuffragij, prout expreſsè in §. 5. ſtatuitur.

DIFFICVLTAS VI.

De Clericis, & Regularibus ad Sacram Expeditionem miſſis.

26 IN §. 7. eadem conceditur Indulgentia Plenaria Perſonis Eccleſiaſticis ad ſacram Expeditionẽ miſſis, & in exercitu concionantibus, vel confeſſiones ſacramentales excipientibus, vel Miſſas celebrãtibus, vel demum aliquod aliud eccleſiaſticum, ac pium officiũ adminiſtrantibus, vt eſt mortuos ſepelire, aquam luſtralem facere, res benedicere, &c. atq; adeo ſi hæ Eccleſiaſticæ Perſonæ in nullo ex dictis miniſterijs, ſub quibus talis Indulgentia conceditur, ſe exerceãt, vtiquè neque ipſam Indulgentiam lucrabuntur, etiamſi pugnent; nam his non vt pugnãtibus, ſed vt in aliquo ex dictis ſacris miniſterijs ſe exercentibus dicta Indulgentia conceditur.

27 Et hoc etiamſi non proprijs ſumptibus ad bellum accedãt; nam Sum. Pontifex dum hic loquitur de iſtis perſonis Eccleſiaſticis, nullũ addit verbũ, quo ſignificet, proprijs expenſis

ſis eſſe alendos; proinde licèt à Rege, vel ab alijs ſuſtententur, non ideo amittent huius priuilegij fructum.

28 Et vt prudentiùs in hoc procedatur, conceditur habentibus Beneficium ſiue ſæculare, ſiue regulare, vt poſſint illud per idoneum Vicarium regere, niſi ſint Beneficia curata. Regulares demùm priuſquam ad dictam expeditionem accedãt, debent à proprio Superiore licentiam obtinere. ſicuti & Clerici ſæculares à proprio Ordinario.

29 Atquè hæc ſatis ſint circa euntes, aut mittentes ad ſacrã Expeditionem; ſupereſt nunc agere de ijs, qui ad illam neque erunt, neque alios mittunt, ſed per ſolam ſumptionem bullæ, omnibus eiuſdem bullæ gratijs, & priuilegijs poterunt gaudere, prout communiter fit.

QVÆSTIO II.

De fidelibus Baptizatis, qui neq; eunt, neq; alios ad ſacram Expeditionẽ mittunt.

QVi non eunt, nequè alios ad ſacram Expeditionem mittunt, ſunt in multiplici differentia; alij enim ſunt fideles baptizati; alij fideles, ſed non baptizati; alij licet ſint baptizati, non ſunt tamen fideles; alij ſunt Cenſuris affecti: alij demum ſunt ſæculares, alij verò Regulares, atque adeo de ijs omnibus ſingillatim, ac ſeparatim erit agendum. & quidem primò de Fidelibus baptizatis, qui licèt, per ſe loquẽdo, poſſint omnibus Cruciatæ priuilegijs frui, modo infrà explicando, attamen per accidens, ratione ſcilicet alicuius circumſtantiæ afficientis ipſum ſubiectum, videntur non poſſe, vt ex infrà dicendis patebit. excipimus tamen Regulares, de quibus ſpecialiter erit agendum Quæſt. 3. ſequenti.

DIFFICVLTAS I.

An Infantes vſu rationis carentes, poſſint ſaltem aliquo Cruciatæ priuilegio frui?

1 RAtio dubitandi pro parte negatiua eſt, quia bulla etiam ab alto ſumpta (vt infrà dicemus) vt proſit illi, cui applicatur, debet ab iſto poſitiuè acceptari, at talis acceptatio nequit fieri ab infantibus vſu rationis carentibus, ergò nullo modo poterit bulla Cruciatæ illis prodeſſe.

2 Affirmant tamen *Rodriquez add. ad §. 5. n. 32. Herriq. ſum. l. 7. de Indul. C 20. num. 8. Trullen. l. 1. §. 1. d. 6. n. 1. Bardi p. 1. tr. 2. C. 4. nu. 80.* alijque communiter DD. & meritò, nam bulla vniuerſaliter, & abſque vlla limitatione ętatis loquitur; ac proinde cùm dicti Infantes ſint Baptizati (vt ſupponimus,) & cõſequenter ſint verè, ac propriè Chriſti fideles, & ſint in locis, in quibus bulla Cruciatæ viget, vtiquè non eſt, vnde à Cruciatæ priuilegijs excludantur, ſi aliunde ſunt illis capaces. *Rodriqu. Herriq. Trullen. Bardi. Auctor.*

3 Quarè ſiquis ſumat bullam pro iſtis infantibus vſu rationis caren-

carentibus, quamuis nequeant isti eà vti in ordine ad absolutionem peccatorum, seu censurarum, commutationem votorum, comestionem ciborum, & cetera huiusmodi, quibus sunt aliunde incapaces, poterunt tamen virtute bullæ Cruciatæ sepeliri in loco sacro, & cum moderata pompa, tempore Interdicti localis, iuxta supradicta D. 2. Q. 3.

4 Ad rationem autem dubitandi in contrarium dico, huiusmodi Infãtes benè dici posse acceptare bullam, eo modo, quo dicuntur acceptare Baptismum in fide parentum an verò eadem sit ratio de amentibus seu phreneticis, dicetur Diff. sequenti.

DIFFICVLTAS II.

An Bulla Cruciata prosit Amentibus & Phreneticis?

Herriq. Trullen. Bardi. Auctor.

5 AFfirmant *Herriq. sum. l. 7. de Indul. C. 20. n. 8. Trullen. l. 1. §. 1. d. 6. n. 1. Bardi p. 1 tr. 2. C. 4. n. 87.* alijque communiter DD. ac meritò; & quidem si isti ante amentiam, & phrenesim sumpserunt bullam, vel alius pro ipsis &c. non apparet, cur hi virtute eiusdem bullæ nequeant sepeliri in loco sacro & cum moderata pompa tempore interdicti localis, vt de pueris vsu rationis carentibus dictum est; neque cur nequeãt absolui à censuris; neque cur nequeat eisdem dari sacramentum Eucharistiæ, & extremæ vnctionis tempore mortis; ac demum neque apparet, cur nequeat similiter istis applicari Indulgentia, si nihil aliud obstet.

6 Dixi, si nihil aliud obstet, nam requiritur, vt tales Amentes, & Phrenetici piè vixerint, atque adeo si præsumitur mortuos esse in statu peccati mortalis, non debent prædicta Sacramenta illis administrari, neque indulgentia applicari, quãuis possint à Censuris absolui, si in vita à contumacia recesserint & in loco sacro sepeliri.

7 Quod siquis pro istis bullam sumat tempore amentiæ, seu phrenesis (dummodò ijs viuẽtibus bulla sumatur) id ipsum dicendum videtur; tunc enim æquiparantur pueris vsu rationis carentibus, de quibus suprà iam dictum est.

8 Dixi, *dummodò ijs viuentibus Bulla sumatur,* eò quia bulla viuorum si pro mortuis sumatur nihil illis proderit, prout suprà probatum est Disp. 2. Q. 3. n. 31. & 32. quarè idem dicẽdum erit de Infantibus supra, alijsque, nam eadem est ratio pro omnibus.

DIFFICVLTAS III.

An existens in peccato mortali frui possit omnibus Cruciaciata priuilegijs?

9 NEgant *Herriq. sum. l. 7. C. 9. n. 6. Riccius in add. ad §. 1. n. 22. Trull. l. 1. §. 1. d. 8. n. 1.* alijque communiter DD. & meritò, nam inter Cruciatæ priuiuilegia habentur variæ Indulgentiæ (vt supra fusè dictum est Disp. 4.) indulgentiæ autem nequeunt lucrifieri ab existente in peccato mortali, quia Indulgentia versatur circa pœnam debitam peccato post remissum reatum culpæ, vt patet, & hic suppono ex materia de Indulgen-

Herriq. Riccius. Trullen. Auctor.

gentijs Disp. ci. Quarè extstens in peccato mortali non poterit frui Cruciatæ Indulgentijs, ergò &c.

10 Ceterùm existens etiam in peccato mortali poterit absolutè frui omnibus alijs Cruciatæ priuilegijs. probatur, quia reliqua Cruciatæ priuilegia nullam dicunt incompossibilitatem cum peccato mortali, neque necessariam connexionẽ cum gratia sanctificante, vt per omnia discurrenti patebit; ergò existens etiam in peccato mortali poterit omnibus Cruciatæ priuilegijs frui, indulgentijs exceptis, prout dictum est. An verò idem dicendum sit de Excommunicatis, suspensis, &c. dicetur infra.

DIFFICVLTAS IV.

An excommunicatus, vel alijs Censuris, seu pœnis ecclesiasticis affectus frui possit Cruciatæ Priuilegijs?

11 PRæsens Difficultas procedit in ordine ad Excommunicatum excommunicatione maiori; in quo quidem sensu, ratio dubitandi pro parte negatiua est, quia Excommunicatus dicitur in iure esse extra Ecclesiam, & consequenter extra cœtum fidelium; atque adeo cùm Cruciatæ priuilegia solis fidelibus concedantur, nõ videntur posse extendi ad excommunicatos.

Rodriqu. Herriq. Riccius. Lud.à cr. Trullen. Bardi.

12 Affirmant tamen *Rodriq. in add. ad* §.1.*n*.10. *Herriq sum.l.*7. *C.*18.*n.*2. *Riccius add. ad* §.1. *nu.* 17. *Lud. à Cruc. D.*1.*C.*1.*d.*4.*n.*2. *Trullen.l.*1.§.1.*d.*8.*n.*2. *Bardi p.* 1.*tr.*2.*C.*4.*n.*56. alijque cõmuniter DD. & meritò, per se loquendo; nam excommunicatio non tollit ab excommunicato fidem Diuinam, atque adeo excommunicatus verè, & in omni rigore est fidelis fide Christiana; proinde si habeat reliqua requisita, non erit quin bullę priuilegijs gaudeat.

Auctor.

13 Ad rationem autem dubitãdi in contrarium Dico, excommunicatum dici esse extra Ecclesiam quoad aliqua, nempe quoad communicationem cũ fidelibus tum in spiritualibus, tum in temporalibus, non tamen simpliciter, & absolutè, eò quia retineat fidem, quæ est forma denominans formaliter fidelem.

14 Hinc dixi *per se loquendo*, hoc est ratione concessionis ipsorum priuilegiorum Cruciatæ, nam per accidens nequit excõmunicatus frui aliquibus Cruciatæ priuilegijs, vt supra de existente in peccato mortali dictum est; excommunicatus enim pertinax (de quo hic loquimur) est in peccato mortali & consequenter erit incapax indulgentiarum, vt dictum est n.9. Similiter neque Cruciata proderit tali excommunicato in ordine ad priuilegia, quæ spectant ad communicationem cum fidelibus, vt est posse assistere sacris tempore interdicti, sepeliri in loco sacro, &c. sed hoc erit per accidens respectù concessionis, vt dictum est.

15 Ceterùm quilibet excommunicatus poterit vi Cruciatæ se cõponere super incertis, & malè ablatis: comedere, oua, & lacticinia diebus prohibitis: commutationem votorum obtinere, alijsq; eiusdem Cruciatæ priui-

priuilegijs frui, quæ nullam dicunt incompatibilitatem cum excommunicatione.

16 Demum quod dictum est de excommunicato, dicendum etiam erit de Suspenso, Interdicto, Deposito, & Degradato in ordine ad Cruciatæ priuilegia, quæ cum istiusmodi censuris, & pœnis non pugnant. Atquè hæc satis sint dicta circa fideles baptizatos, sub quibus quamuis venire solent etiam Regulares, attamen quia Sum. Pontificũ Decreta illos, quoad hoc, ab alijs fidelibus separant, ideo & nos de eisdem separatim agemus sequenti Quæstione 3.

QVÆSTIO III.

De Regularibus.

DIscutiemus hic primò, An Regulares possint vti bulla Cruciatæ in ordine ad absolutionem reseruatorum, quæ est maior Difficultas, quæ sese offert in præsenti; deinde ad reliqua Cruciatę priuilegia descendemus.

DIFFICVLTAS I.

An Regulares possint vi Cruciatæ eligere Confessarium ab Ordinario approbatũ, vt ab eo absoluantur à reseruatis?

1 LOquimur in casu, quo nulla habetur Superioris licentia neque tacita, & multò magis si superior renuat; in quo etiam sensu absolutè Affirmant *Perez. de Lara l. triũ grat. f. 27. Remigius in pratt. confes. tr. 5. C. 5. §. 4. n. 8. Galleg. C. 2. claus. 12. Th. Hurtad. to. 2. tr. 9. C. 10. Iunipar. p. 3. D. 7. q. 5.* C. 3. *Freitas in memoriali; Io. la Cruz de stat. relig. l. 1. C. 6. d. 12.* alijque; quorũ potissima ratio est, quia bulla Cruciatæ vniuersaliter, & absque vlla restrictione conceditur omnibus Christi fidelibus sub quibus, & maxime in fauorabilibus cõpræhenduntur Regulares; ac proinde cùm omnia priuilegia concessa ipsis regularibus abrogentur virtute eiusdem bullæ tanquam eidem bullæ contraria, consequens est, vt dicamus, posse regulares vi bullæ Cruciatæ eligere Confessarium ab Ordinario approbatum, vt ab eo absoluantur etiam à reseruatis, absque vlla proprij Prælati licentia, imò eo inuito, ac apertè renuente. *Perez. Remig. Galleg. Th. Hu. Iunipar. Freitas. Io. la Cruz.*

2 Quodsi istis obijcias Decreta Clementis VIII. & Vrbani etiam VIII. quibus prohibetur Regularib' vsus Cruciatæ quoad electionem Confessarij; Respondent, iam eisdem Pontificibus expirantibus expirasse; quamuis enim, aiunt, viuente Vrbano non poterat bulla suffragari Regularibus, eo tamen mortuo per bullas subsequentes concessas à Successoribus reuocari dicta Decreta vi generalitatis, sub qua nunc conceditur bulla omnibus Christi fidelibus, & consequenter poterunt nunc Regulares vti bulla etiam quoad electionem confessarij, &c. neque supradicta Decreta poterant præiudicare supremæ potestati successorum.

3 At *Villalobos sum. to. 1. tr. 23. claus.* *Villalob.*

clauſ.9.§.2.n.12. alijque admittunt ſolùm poſſe Regulares vi bullæ Cruciatæ eligere Confeſſarium ex approbatis, ac deputatis à proprijs Prælatis, non autem extra. quorum ratio eſt, quia Clemens VIII. in ſua conſtitutione ſolùm videtur prohibere electionem Confeſſarij extra proprium Ordinem; prout ex proœmio petitionis colligitur.

Suarez. Reginal. Portel. Acosta. Lugo. Coriol. Llamas. M.à S.I. Bardi. 4 Abſolutè tamen negant *Suarez to.4.de rel.tr.9.l.2.C.16.nu.3.Reginal.in prax.to.1.l.8.C.3.ſe.3.n.37. Portel. in du. reg. V. Bulla n.1. Acoſta q.107.Lugo de de pœn. D.20.ſe.9. Coriol.de caſ. reſer.p.1.ſe.3.ar.14.Llamas ſum. p.1.C.5.§.8. Martin. à* S. I*oſeph. to.1.l.1.tr.19.de pœn.nu. 3.Bardi p.1.tr.2.C.5.n.9.* alijq; communiter DD. partim falſam partim improbabilem oppoſitam ſententiam appellantes.

Auctor. 5 Et meritò, primò quia in eadem bulla Cruciatæ expreſsè habetur, *per illam non derogari facultates conceſſas Superioribus Ordinum Mendicantium quoad ſuorum Ordinum fratres, nec* (quod maius eſt) *per illam aliquod ipſis præiudicium afferre*. quęsò iam, nonne maximum pręiudicium afferretur Religionum Superioribus, ſi eorũ ſubditi non ſemel, aut bis (vt vi Iubilei raró contingit) ſed toto vitę decurſu, ſpretis religionis quoad reſeruata conſtitutionibus, tã ſanctè pro regulari diſciplina conſtitutis, ſpretaque pręſentium ſuperiorum in hoc ſacramento pœnitentię iuriſdictione, cuicunque Confeſſario etiam extra Ordinem audeant confiteri, ipſis ſuperioribus neſcientibus, imò fortaſſis inuitis, & reclamantibus! quarè ſi Sum. Pontifex expreſsè nolit afferre aliquod pręiudicium Superioribus Regulariũ vi conceſſionis Cruciatę, conſequenter, & euidenter nolit, regulares vti Cruciata abſque proprij Superioris licentia.

6 Hinc (& probatur ſecundò noſtra ſententia auctoritate Pontificia) Vrbanus VIII. in ſua conſtitutione (quam fuſiſſimè ponderat Bardi ci.) non ſolùm vt priuatus Doctor, ſed vt ſupremus Chriſti Vicarius, non ſolùm prohibet Regularibus vſum bullę quoad electionem Confeſſarij, ſed apertè, expreſſiſque verbis ait, nunquam fuiſſe hoc Regularibus conceſsũ, atque adeo etiam independenter ab hac Vrbana conſtitutione non licet Regularibus vſus bullę quoad electionem Confeſſarij, & conſequenter adhuc dato, iſtam conſtitutionem expiraſſe expirante Vrbano, non inde tamen ſequitur, poſt mortem Vrbani licere Regularibus vſum Cruciatæ quoad dictum effectum; vnde infringitur AA. replica poſita n.2.

7 Ad potiſſimam autem AA. rationem in contrarium vltrò do, bullam Cruciatæ concedi omnibus Chriſti fidelibus etiam Regularibus, non quidem his abſolutè, ſed bona pace, ac licẽtia proprij Superioris quoad electionem confeſſarij, ne vllum illis præiudicium afferatur vt dictum eſt.

8 Ceterùm plura, ac varia argumenta ſeu potiùs figmenta excogitarunt AA. contra hanc quę noſtrã veriſſimã ſententiã omnia prætermittere decreui, tũ quia nullius ſunt momẽti, vt videre eſt apud Bardi ci. alioſque

que, tum etiam quia ex dictis facile solui poterunt. Demum verum fateor, nullam vnquam speciem probabilitatis in opposita sententia me agnouisse, semperq; demirasse, quo iure tot, alioqui non inferioris notę viros, illā probabilē dixisse.

9 Nequeunt igitur Regulares vi præsentis bullæ Cruciatæ eligere confessarium, vt ab illo absoluantur saltem à reseruatis, absque licentia proprij superioris; an verò id possint, vt à non reseruatis absoluantur, dicemus Diff. sequenti.

DIFFIVLTAS II.

An Regulares possint absq; licentia Superioris eligere vi Cruciatæ Confessarium ab Ordinario approbatum, vt ab eo absoluantur à peccatis nō reseruatis?

Rodriq. Gallegus Martin. de S Ios. Mendus. Quintan.

10 AFfirmant *Rodriq. in sum. to.3.C.7.DD. Salmaticēses apud ipsum*, *Galleg. c. 12. d. 172. Martin. de S. Ioseph in reg. S. Fran. C.16.n.23. Mendus D. 24. C.18. Quintan. to. 1. de sacr. tr. 3. sing. 18. nu. 9.* nonnullique alij. quorum ratio est, quia Pontificum Decreta prohibentia Regularibus vsū Cruciatæ quoad electionem confessarij, videntur loqui de absolutione à solis reseruatis, ergò &c.

Lugo. Bardi. Leander. Marcia.

11 Negant tamen *Lugo de pœn. D.20. sc.9. à n.194. Bardi p. 1. tr. 2. C.5. n.90. Leander. à Murcia q.2. ad C.7. reg. S. Fran. n.2.* alijq; & meritò, nam non minus præiudicium, imò maius, afferretur Superioribus Religionum, si eorum subditi absque illorū licentia, spreta eorumdem iurisdictione in hoc pœnitentiæ Sacramento, extrà religionem alijs confiterentur peccata non reseruata, quàm si similiter cōfiterentur reseruata; imò, vt dixi, maius præiudicium, eò quia frequentiùs indigemus confessario pro non reseruatis, quàm pro reseruatis, vt patet; ac proinde Sum Pōtifices cùm nolint vllum præiudicium afferre Superioribus Regularium quoad ea, quæ spectant ad eorum Fratres, vt supra dictum est, consequenter dicendum est, non esse intentionis Sum. Pontificū concedentium Cruciatam, vt illa vtantur neque quoad non reseruata.

12 Ad rationem autem A A. in contrarium dico primò, me nō fundare meam opinionem totaliter in Pontificum declarationibus, seu Decretis prohibētibus vsum cruciatę quoad sacramentum pœnitentię, vt videre est, sed in verbis eiusdem bullę, ac veluti per locum intrinsecum, vt patet ex n.5.

13 Dico secundò, dicta Decreta Pontificum ponere aliquando expresse peccata reseruata ob maioritatem rationis; ceterùm sępę sępiùs nullam mentionem faciunt de reseruatis, sed absolutè dicunt quoad electionem confessarij, vel quoad Sacramentū pœnitētiæ, vel quoad absolutionem à peccatis, vt in eisdem Decretis videre est.

14 Nequeunt igitùr Regulares vi bullę Cruciatę eligere confessarium; vt ab eo, absouantur neque à reseruatis, neque à nō reseruatis, absque suorum Prelatorum licentia; quęnam & qualis debeat esse talis licen-

centia, & an tacita sufficiat, dicetur infra.

DIFFICVLTAS III.

An Regulares possint vi Cruciatæ eligere Confessarium ex deputatis à Prælato intra eundem Ordinem saltem, vt ab eo absoluatur à reseruatis?

15 IN quolibet Conuentu, seu Monasterio, seu domo Religiosorum, deputantur aliqui à Prælato ad excipiendas confessiones religiosorum cõmorantium in eodem Conuẽtu, seu Monasterio, &c., non quidem quoad reseruata, sed tantùm quoad peccata non reseruata. Quærimus ergò in præsenti, An Regulares possint vi Cruciatæ eligere aliquem ex deputatis à Prælato ad audiendas confessiones intra eundem Ordinem saltem, vt ab eo absoluantur à reseruatis absque vlla Superioris licentia. dixi, de reseruatis, quia de non reseruatis, nulla est difficultas.

Villalob. 16 Affirmant *Villalob. in sum. to.1.tr.23.clauſ. 9.§.2.num.12.* nonnulliq; alij, prout supra nu.3. prænotatum est; quorum ratio est, primò quia constitutio Clementis ibi. ci. videtur solùm prohibere electionem Cõfessarij extra proprium Ordinem. Secundò quia propriè loquendo respectù subditi non est hęc electio, sed potiùs admissio Confessarij electi, ac deputati à Prelato.

17 Negant tamen omnes ij, qui absolutè negant, posse Regulares vti Cruciatâ in ordine ad electionem Confessarij, supra ci. nu.4. & meritò; primò quia adhuc afferretur maximum preiudicium superioribus Religionum, si Confessarij ab ipsis deputati pro solis peccatis non reseruatis (vt hic suppono) absoluerent etiam à reseruatis contra eorumdem volũtatem; Sum. autem Pontifices nolunt afferre vllum preiudicium Superioribus Religionum quoad ea, quę spectant ad eorum Fratres, vt supra satis dictum est, ergò &c.

18 Secundò quia facultates cõcessę Superioribus Regularium in ordine ad proprios Fratres, & quas in suo robore manere apertè asserunt Pontifices, vtiquè expresſè, & absolutè aiunt, Religiosos in ordine ad electionem Confessarij, debere stare dispositioni suorum Prelatorum: iam non omninò starent dispositioni suorum Prelatorum, si semel absoluerẽtur etiã à reseruatis ab ijs, qui pro solis non reseruatis deputantur.

19 Ad primam autem rationem AA. in contrarium Dico, in Decreto illo Clementis apponi ly *extra proprium Ordinem*, ad magis denotandum, inconueniens, seu detrimentum, quod ex abusu bullę Cruciatę Regulares regulari disciplinę attulerant, atq; allaturi forent, nisi eis talis vsus omninò interdiceretur; ceterùm in eadem constitutione apertè ait dictus Pontifex, religiosos quoad Sacramentum pœnitentię, & electionem Confessarij non habere locum in Cruciata, sed omninò ordinarię dispositioni suorum Prelatorum esse subiectos, nullamq; distinctionem facit (sicuti neque Vrbanus) inter

Carolus Latius in Bull. Cruc.

inter Confessarios extra, aut intra proprium Ordinem.

20 Ad secundam verò Dico esse proprijssimè electionem factã arbitrio subditi, & non Superioris, qui numquam posuit, & deputauit talem Confessarium pro absolutione à reseruatis, absque speciali licentia ipsius Superioris; quem sicuti dedecet effrænatis, prætextatisque subditorum moribus nimis indulgere, ita ipsi cauendum est, ne nimià, indiscretàq; sæuitie impellat aliquando oues sibi commissas, extrà propriam caulam pascua Sacramentorũ quærere, sicque infernalis lupi experiri morsus, dum per inuia improbabilium sententiarum, procul à Pastore, miserè discurrunt; Samaritani enim vulnera, hoc est imperfecti subditi spirituales langores, nõ solo regularis rigoris vino curantur, sed admixto etiam oleo compassionis; Prælatus inquã religiosus ne tam difficilis sit in concedendis licentijs pro absolutione à reseruatis.

DIFFICVLTAS IV.

An regulares saltem cum licentia proprij Prælati, possint vi Cruciatæ absolui à casibus Papæ reseruatis?

21 PRæsens Difficultas ne omninò inutilis reddatur, permittendum est, secundùm multorum DD sententiam, nõ posse Prælatos regulares absoluere subditos à casibus in bulla cœnæ contentis, à quibus absoluere potest Confessarius vi bullæ Cruciatæ legitimè electus. Quærimus ergò in præsẽti, An siquis Regularis incidat in aliquem casum bullę Cœnæ, possit cum licentia sui Prelati bullam sumere, ac vi illius Confessarium eligere, vt ab eo à tali casu absoluatur. & quamuis opposita opinio cognoscens in dictis Superioribus respectù subditorum facultatem absoluendi etiam à dictis casibus, sit etiam probabilis, poterit tamẽ regularis iste vi bullę Cruciatę absolui ob maiorem conscientię securitatem. His positis.

22 *Collector priuil. Mend. V. Cruciata §. 5. cui adhæret Suar. to. 4. de rel. l. 2. C. 16. n. 9.* cum alijs, putat, Religiosos neque cum licentia Superioris posse vti bullà Cruciatę quoad *Confessarij* electionem. ratio autem est, quia Regulares quoad electionem confessarij non includuntur in bulla, vt patet ex Decretis Pontificijs supra allatis; ergò neque poterunt includi à Prelato Regulari: patet, nam inclusio, seu exclusio in bulla Cruciatę totaliter pendet à voluntate Sum. Pontificis; ac proinde nequit Prelatus Regularis licentiam dare subditis, vt vtantur Cruciatà in ordine ad eligendum confessarium; esset enim hoc includere exclusos. *Collect. Suar.*

23 Affirmant tamen *Rodriq. §. 9. n. 25. Lud. à Cruc. D. 1. C. 1. d. 12. & 13. Trullen. l. 1. §. 7. C. 1. d. 1. Bardi p. 1. tr. 2. C. 5. n.* 106. alijque communiter DD. & meritò, nã intãtùm interdicitur Regularibus Cruciatę vsus in ordine ad Confessarij electionem, inquãtùm ex tali vsu maximum afferretur preiudicium eorum Superioribus, vt supra dictum est; iam dum subditus non vtitur Cruciatà nisi ex licentia Superioris, nullum vtiquè preiudicium *Rodriqu. Lud à Cr. Trullen. Bardi. Auctor.*

cium illi affert; proinde nõ est, cur nequeant Regulares vti Cruciatà cum licentia Prelati, ac proprij Superioris.

24 Ad rationem verò AA. in contrarium Dico, Regulares non includi in bulla Cruciatę absolutè, & sicuti includuntur sęculares, seu inquãtùm ex eorum inclusione affertur pręiudicium Superioribus; ac proinde cùm nullum illis pręiudicium afferatur, dùm ex ipsorũ licentia, ac beneplacito, subditi vtuntur Cruciatà, vt patet, non est, cur in illa non includantur, ac eiusdem Cruciatę priuilegijs gaudeant.

25 Adde, ex hoc nullum aliud inconueniens sequi ex illis, ob quę Sum. Põtifices tam acerrimè prohibent Regularibus vsũ liberum Cruciatę, vt est destructio regularis obseruantię, & huiusmodi, prout patet, ergò &c. Ceterùm quisnam Superior possit ad hunc effectum legitimè concedere licentiam, infrà dicetur.

DIFFICVLTAS V.

Quisnam Superior potest dare legitimam licentiam Regularibus ad vtendum Cruciatà etiam in ordine ad eligendũ Cõfessarium?

26 VIdimus in Superiori Difficultate, posse Regulares cum licentia Superioris eligere vi bullę Cruciatę Confessarium ab Ordinario approbatum, vt ab eo absoluantur etiã à reseruatis Sum. Pontifici; videndum nunc consequenter est, quis nam Superior possit dictam licentiam legitimè concedere.

27 Et quidem cõueniunt DD. Superiorem legitimum in hac re esse illum, qui auctoritate ordinaria potest absoluere ipsos Regulares etiam à casibus reseruatis: ita se habet Capitulum, seu Cõgregatio generalis, ac etiam ipse generalis totius Ordinis: Prouincialis respectũ totius prouinciæ cui præsidet: ac omnes alij Prælati locales immediati respectù locorum, quibus præsident, vt sunt Abbates, Præpositi, Priores, Rectores, Guardiani, & huiusmodi, nisi in aliqua Religione de iure speciali talis potestas limitetur Prælatis localibus, cui limitationi tunc standum erit.

28 Petes, An idem dicendum sit de Viceprouincialibus, Vicerectoribus, Viceguardianis, &c. Affirmant *Bardi p.1.tr.2.C.5.n.115.* alijque, quoties non erit absolutè Prouincialis, Rector, Guardianus, &c., secùs autem si officia ista non vacent, sed Prouincialis solùm per aliquod tẽpus recedat à Prouincia, & Prælatus localis à suo Conuentu. ratio quorum est, quia in primo casu dicti Viceprælati habent Iurisdictionem ordinariam, & sic poterũt alijs illam delegare: in secundo verò casu solùm habent iurisdictionem delegatam, atque adeo nequeunt alijs illam delegare, & sic neque validè, aiunt, poterunt dare dictam licentiam. *Bardi.*

29 Absolutè tamen affirmandũ puto, nam in præsenti casu, de quo loquimur, dùm Superior dat subdito licentiam eligendi Confessarium vi Cruciatæ, vtiquè *Auctor.*

què non delegat suam iurisdictionem tali Confessario (esto illam deleget, cùm dat subdito licentiam eligendi confessariū independẽter à Cruciata) nam Confessarius vi Cruciatæ electus accipit immediatè à Sum. Pontifice talem iurisdictionem absoluendi etiam Regulares, posito tamen beneplacito eorū Superiorum, vt sæpè dictū est; ergò Superior Regularis dùm dat talem licentiam, solùm apponit conditionem sine qua talis Confessor nõ posset illum absoluere, nullam autem delegat iurisdictionem.

30 Et confirmatur, nam (vt supra Diff. 4. diximus) potest Regularis cum licentia sui Prælati absolui vi Cruciatæ etiam à casibus Papæ reseruatis, & hoc etiamsi supponamus, non esse in tali Prælato iurisdictionem absoluendi ab istis casibus Papalibus: iam si talis Prælatus dùm dat talem licentiam, suam iurisdictionem delegaret, sanè deberet talis iurisdictio præsupponi Ordinaria in tali Prælato, vt patet; nam omnis iurisdictio delegata supponit in Delegante eandem iurisdictionem Ordinariam; ergò &c.; ex quibus satis patet ad rationem in contrarium; negamus enim Prælatum suam iurisdictionem delegare, dùm dat subdito licentiam eligendi vi bullæ Confessariū, vt ab eo vi eiusdem bullæ absoluatur, sed dicimus, à tali Prælato, in isto casu, solùm apponi conditionem, sine qua non posset talis Confessor illum regularem absoluere, nempè beneplacitum, vt dictum est.

31 Restat ergò nunc videre, an tale Prælati beneplacitum, seu licentia requiratur ad hoc expressè, an verò etiam solùm tacitè sufficiat, pro quo sit:

DIFFICVLTAS VI.

An tacita Prælati licentia sufficiat adhoc, vt Regulares possint vti Cruciatà etiam quoad Cõfessarij electionem?

32 NEgant *Lud. à Cru. D. 1. C. 1. d. 13. n. 1.* in fine, nõnullique alij volentes ad hoc requiri expressam Prælati licẽtiam, prout colligitur, aiunt, ex varijs Pontificum Decretis. *Lud. à cr.*

33 Affirmant tamen *Rodriquez §. 9. num. 25. Herriq. l. 7. sum. C. 22. num. 4.* alijq; communiter DD. si per se tamen, & de iure communi loquamur; & meritò, nam sola tacita Prælati licentia, vel tacitus eius consensus, seu ratihabitio de præsenti, iuxtà supradicta Disp. 5. Q. 1. à num. 28. (ne actum agamus) sufficit in omnibus alijs actibus, in quibus necessariò requiritur illius consensus, etiam quoad valorem absolutionis Sacramentalis, ergò etiam sufficiet in præsenti materia. ratio autem est, quia talis consensus, seu licentia præcedit actum, ergò poterit illum validare. *Rodriqu. Herriq.* *Auctor.*

34 Notandum tamen breuiter signa, seu indicia de hac tacità superioris licentià debere esse talia, vt secundùm hominum prudentum existimationem, causent moralem certitudinẽ de dicto superioris consensu; nam si erunt dubia, non sufficient, quia in dubijs melior est conditio possidentis, possessio

autem

autem hic ſtat pro Superiore.

35 Ad Pontificum autem Decreta, in quibus fundatur oppoſita ſententia dico, ea non loqui generaliter pro omnibus Regularium Ordinibus, prout hactenùs loquuti ſumus, ſed ſolùm pro aliquo Ordine ſpeciali, prout decreuit Gregorius XIII. pro Soc. Ieſu; cuius Religioſi conſequenter nequeunt vti Cruciata, abſque expreſſa legitimi Superioris licentia; verum hoc eſt de iure ſpeciali, vt dictum eſt, non autem de iure communi; idemq; dicendum erit de alijs Ordinibus ſimile priuilegium habentibus niſi ex conſuetudine ſufficiat etiam ſola tacita Superioris licentia non obſtantibus huiuſmodi Pontificum Decretis.

DIFFICVLTAS VII.

An omnes Regulares tàm mendicantes, quā nō mendicantes, etiam Militares nequeant vti Cruciata quoad electionem cōfeſſarij abſq; Prælati licentia?

36 RAtio dubitandi pro parte negatiua eſt; quia in bulla, vt ſupra n. 5. diximus, ſolæ facultates conceſsæ Mendicantibus videntur non derogari, ergò facultates conceſſæ nō Mendicantibus videntur per bullam derogari. Similiter Clemens, & Vrbanus in ſuis conſtitutionibus ci. in quibus acriter interdicunt Regularibus vſum Cruciatæ, de ſolis Fratribus faciunt mentionem, ergò Regulares qui non Fratres, ſed Monachi dicuntur, videntur poſſe vti abſolutè bulla cruciatæ.

37 Affirmant tamen communiter DD. pro noſta ſententia ci. & meritò nam ſecundùm communem, & vſitatum loquendi modum ſub nomine Fratrum veniunt omnes ac ſinguli regulares, & hoc non ſolum in fauorabilib⁹, verū etiā in odioſis; vt patet in omnib⁹ alijs materiis; ſic in *c. cauſſam. de Iudicijs*, Religioſi Albani nūc Monachi, nūc Fratres indiſcriminatim vocātur. eſtò ſtrictiſſimè loquendo ſoli mendicantes dicantur Fratres, ſicuti & latiſſimè loquēdo omnes fideles dicantur Fratres, vt habetur ex *D. Pau. ad Ro.* 12. & 16. Pōtifices tamen loquuntur ſecundùm communem, ac vſitatum loquendi modum. *Auctor.*

38 Similiter quamuis in ipſamet bulla Cruciatæ, ſolæ facultates conceſſæ Mendicantibus quoad eorum Fratres excipiātur, accedentibus tamen dictis conſtitutionibus Clementis & Vrbani, etiam omnes aliæ facultates conceſſæ quibuſcunq; regularium Ordinibus excipiendæ erunt, & conſequenter omnes, ac ſinguli Regulares tàm Mendicantes, quàm non Mendicantes non poterunt vti Cruciata quoad electionem Cōfeſſarij, abſque Prælati licentia, modo iam explicato; & idem dico de Monialibus. ex quibus ſatis patet ad rationes dubitandi in contrarium. Ceterùm an Regulares poſſint vti Cruciata quoad reliqua eius priuilegia abſque Superioris licentia, infrà dicetur.

39 Demùm quod hactenus dictum

ctum est de Religiosis tàm mendicantibus, quàm non mendicantibus, dicendum est etiam de Militaribus, qui verè Religiosi sunt, prout sunt Equites Hierosolymitani, seu Melitenses; verum tamen est (vt benè notat Bardi ci. n. 76.) quod huiusmodi Religiosi, ex consuetudine iam introducta, poterunt vti absolutè bulla Cruciatæ etiam quoad electionem Confessarij, absque vlla alia Superioris licentia, eò quia eorum magnus magister totũ hoc sciat, & non contradicat, quod quidem satis sufficit ad licentiam tacitam, suprà explicatam.

40 Ceterũ ipsi Superiores Regularium sicuti possunt dare alijs licentiam vtendi Cruciata simpliciter, & absolutè sic similiter poterunt ipsimet absque alia licentia vti eadem bulla, nisi aliquid in contrariũ in aliqua Religione; de iure speciali à Sede Apostolica statutum sit, eo modo, quo discurrunt DD. in ordine ad reseruata.

41 Petes, cur Regulares omnes tàm Mendicantes, quàm non Mendicantes, &c. possunt absolutè, & absquè vlla Superioris licentia vti Iubileo etiã quoad Confessarij electionem, non autem vti similiter bulla Cruciatæ, cùm vtriusque eædẽ videantur formæ, seu clausulæ concessionis?

42 Respondeo, maximam inter Iubileum, & Cruciatam inueniri disparitatem, vt vtriusque concessionis verba attentè legẽti patebit, & præsertim quia in Iubileis non excipiuntur in communi suspensione facultates concessæ Superioribus Religionum, sicuti in Cruciata expressè excipiuntur, vt supra dictum est; & hoc ne vllum præiudicium dictis superioribus afferratur; rueret enim omnis eorũ Iurisdictio quoad pœnitentiæ Sacramentum, vt patet; quod sanè nequit contingere in vsu Iubilei, vt etiam constat; sed de hoc fusiùs in tractatu de Iubileo.

43 An verò idem dicendum sit quoad reliqua Cruciatæ priuilegia, excepto illo de electione Confessarij, infra dicetur.

DIFFICVLTAS VIII.

An Regulares possint absq; licentia Prælati frui alijs Cruciatæ priuilegijs, excepto illo de electione Confessarij.

44 Solutio præsentis Difficultatis, quamuis apertè ex dictis colligi possit, ad maiorẽ tamen doctrinæ vbertatem iuuat hic, ac separatim circà alia Cruciatæ priuilegia aliquid breuiter innuere.

45 Et quidem generaliter loquendo, si pro aliqua Religione extet aliqua Pontificia Constitutio prohibens eius professoribus absque Prælati licentia vsum Cruciatæ, non solùm quoad electionem Cõfessarij, sed etiam quoad reliqua priuilegia, tunc talis Religionis Regulares non poterunt absque legitima licentia Prælati vti Cruciatâ, neque quoad electionem Confessarij, neque quoad alia eiusdẽ Cruciatæ priuilegia. sic se habere Religiosos Illustrissimæ Soc. Iesu

Bardi. Iesu testatur *Bardi p.1.tr.2.C.5. n.121.* vi constitutionis Gregorij XIII.editę 3. Maij 1575.

46 Reliquarum verò Religionũ Professores, quibus (vt hucusque videre potui) non interdicitur vsus Cruciatę, nisi quoad electionem confessarij, vtiquè poterũt frui alijs Cruciatę priuilegijs absque vlla alia Superioris licentia, imò ipso superiore renuente.

47 Petes, An idem dicendum sit de Absolutione à censuris etiam Põtifici reseruatis? Proponit hanc difficultatem *Bardi ci. à n.125. vsque ad n.139. inclusiuè*; ac tandem concludit, priuilegium hoc absoluendi à censuris reseruatis, seu qualificatis, se habere quoad Regulares equè ac priuilegium absoluendi à peccatis vi eiusdem Cruciatę; atque adeo secundùm hanc opinionem, nequeunt absolutè Regulares absolui vi cruciata à dictis cẽsuris reseruatis, absquè legitima Superioris licentia. si verò loquamur de absolutione à censuris non reseruatis, tunc ait, esse de illis dicendum, equè ac dictum est de alijs eiusdem Cruciatę priuilegijs, excepto illo de electione Confessarij.

48 Cuius ratio est, quia in constitutione Vrbani ci. expresè habetur, Regulares subiectos esse Sedi Apostolicę quoad sibi reseruata; tolleretur autem talis subiectio, ait, si Regulares vi Cruciatę absoluerẽtur à cẽsuris eidem Pontifici reseruatis, eò quia semel ablatâ censurâ, totaliter desinit reseruatio, atquè adeo possent aperire peccata illa, quibus erat adnexa censura, confessario ordinario, & ab eo sacramentaliter absolui; & sic eluderetur, ac vana redderetur dicta Põtificis cõstitutio.

49 Absolutè tamen affirmandũ puto, nam ex vna parte omnia Breuia Pontificia prohibentia Regularibus vsum Cruciatę, (excepto illo Gregorij pro Soc. Iesu) omnia loquuntur in ordine ad absolutionem à peccatis: ex altera verò parte absolutio à censuris nullam cõnexionem necessariò habet cũ absolutione à peccatis; vnde potest dari etiam extrà Sacramentum pœnitentię, vt supra Disp.7.Q.1.n.5. probatum est; ergò talis prohibitio de non vtenda bulla absquè Prelati licentia quoad absolutionem à peccatis cùm sit odiosa, nequit extendi ad absolutionem à censuris. Auctor.

50 Ad rationem verò AA. in contrarium Nego, ex nostra sententia tolli subiectionem Sedi Apostolicę quoad reseruata; nam talis Regularis dùm absoluitur à tali censura à confessario vi bullę electo, & tanquam à delegato eiusdem Apostolicę Sedis, verè, & in omni rigore Sedi Apostolicę subijcitur, etiã quoad reseruata, non minùs ac si immediatè ab ipso Pontifice à dictis censuris absolueretur. Dixi etiam quoad reseruata, nam reseruatio casuum Papalium cùm tota fundetur, seu radicetur in censuris Papę reseruatis, (vt supra Disp.ci. notatum est) sanè qui subijcitur Papę quoad absolutionem à talibus censuris, subijcitur etiam & per necessariam consequentiam eidem Papę quoad peccata ratione talium censurarũ reseruata; atque adeò quam-

Carolus Latius in Bull. Cruc.

uis ablatis censuris, euadant ipsa peccata non reseruata, nõ hinc tamen sequitur, ea non subijci Papæ, seu Sedi Apostolicæ in causa, & in radice, ratione scilicet censurarum sola Pontificia auctoritate ablatarum; quam quidem subiectionem in causa, seu in radice esse verè, ac proprijssimè subiectionem, patet in omnibus alijs rebus.

51 Noto tamen, absolutionẽ hanc à censuris pro solo conscientiæ foro valere, ac in eorum sententia, qui nobiscum sentiunt, posse absolutionem à censuris dari extra sacramentum pœnitentiæ; aliter se habebit ac absolutio à peccatis; neque valere pro Iesuitis, sed solùm pro aliis Regularibus æquè ac suprà dictum est de alijs Cruciatæ priuilegijs, excepto illo de absolutione à peccatis. idemque proportionaliter dicendum erit de censuris in Religione reseruatis, cũ pro foro externo nullum præiudicium eius Superioribus afferatur.

DIFFICVLTAS IX.

An Nouitij possint vi Cruciatæ eligere Confessarium, vt ab eo absoluantur etiam à reseruatis, absq; vlla Superioris licentia?

Cordub. Llamas. 52 NEgare videntur *Corduba qq. Theol. l. 1. q. 30. Llamas par. 1. meth. C. 5. §. 7.* nonnullique alij. ratio autem est, quia variæ extant Pontificiæ constitutiones, quibus subdũtur Regularium Prælatis in ordine ad Sacramentum pœnitẽtiæ, non solùm professi, sed etiam Nouitij; ergo sicuti Professi vi talium constitutionum nequeunt vti Cruciatà quoad absolutionem à peccatis absq; Superioris licentia (vt hactenùs dictum est) ita neque poterunt, & Nouitij.

53 Affirmant tamen *Rodriq. §. 9. nu. 7. Lud. à Cruc. D. 1. C. 1. d. 14. num. 2. Suar. tom. 4. de rel. tr. 8. l. 2. C. 16. n. 10. Trullen. l. 1. §. 1. d. 7. Herriq. sum. l. 7. C. 22. nu. 7. Palaus to. 3. tr. 16. D. 1. p. 10. n. 9. Diana p. 3. de dub. reg. res. 4. Bardi p. 1. tr. 2. C. 5. nu. 147.* alijque communiter DD. & meritò, nam Nouitij ex vna parte cõpræhenduntur sub nomine fidelium, quibus Cruciata conceditur, vt patet; ex altera verò parte ijdem Nouitij nullo modo includuntur in Decretis, quibus Sum. Pontifices excludunt regulares à priuilegio eligendi Confessarium virtute Bullæ: probatur, quia exceptio regularium à tali priuilegio bullæ, est maximè odiosa, Nouitij autem non veniũt in odiosis sub nomine generico Regularium, prout cõmuniter DD. docent, ergò &c. Rodriqu. Lud. à cr. Suarez. Trullen. Herriq. Palaus. Diana. Bardi. Auctor.

54 Ad rationem autem AA. in contrarium Dico, Nouitios esse sub iurisdictione Prælati Religionis quoad Sacramentũ pœnitentiæ, commutationem votorum, & huiusmodi, ad summum de iure cõmuni, non inde tamen sequitur, Nouitios neque de iure speciali Cruciatæ posse absquè licentia Prælati absolui etiam à reseruatis; nam etiam sæculares subduntur quoad reseruata proprijs Ordinarijs, & tamen adhuc absquè ipsorum licentia pos-

possunt virtute Cruciatę absolui etiam à casibus reseruatis ipsismet Ordinarijs. ex quibus satis patet disparitas inter Professos, ac Nouitios.

55 Petes, An idem dicendum sit de ijs Nouitijs, qui tempore Nouitiatus, ex sola deuotione, priuatim emittunt tria essentialia Religionis vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientię etiam cum consensu Magistri Nouitiorum?

56 Respondeo affirmatiuè, nam tales Nouitij per huiusmodi votorum emissionem sicuti verè non incorporantur Religioni, ita neque veri religiosi efficiuntur, & consequenter neque venire poterunt in odiosis sub nomine Regularium, atque adeo adhuc poterunt absque vlla Pręlati licentia, imo ipso Pręlato inuito, eligere vi bullę confessarium ab Ordinario approbatum, & ab illo etiam à reseruatis absolui, ac si nulla vnquam vota emisissent.

57 Quod autem tales Nouitij per huiusmodi votorum emissionem verè non incorporentur religioni, patet, nam ad veram incorporationem in Religione, & consequenter ad cõstitutionem veri Religiosi, non sufficit vt vouens, se subijciat Religioni, sed essentialiter requiritur, vt Religio acceptet vouentem, quę acceptatio fit per solemnem professionem. & ratio à priori est, quia status religiosi est per modum contractus, (vt communiter docent DD.) ergò nuda promissio ex parte subiecti nihil valet quoad hoc, nisi à Pręlato, qui nomine Religionis, ac Pontificis præsidet, acceptetur: talis *Carolus Latius in Bull. Cruc.* autem acceptatio nequit fieri, nisi cũ debitis requisitis à Sum. Pontificibus decretis, vt tali determinato temporis spatio transacto, &c.

DIFFICVLTAS X.

An Commissarij Generalis Cruciatæ declaratio sufficiat ad hoc, vt Regulares absque Prælati licentia vtantur Bullà etiam quoad electionem Cõfessarij.

58 PRO complemento præsentis Quæstionis, iuuat hic aliquid dicere circa vnam, aut alteram dicti Commissarij Generalis declarationẽ quoad regulares in ordine ad electionem confessarij virtute bullæ Cruciatæ; eò quia plerique ex AA. validè huiusmodi declaratione lætari videntur.

59 Respondeo igitur ad propositam Difficultatem negatiuè. primò quia expressè in supradicta Vrbani constitutione interdicitur auctoritas aliter illam declarandi, seu interpræetandi omnibus, & singulis iudicibus ordinarijs, & delegatis, etiã causarum Palatij Apostolici Auditoribus, & S. R. E. Cardinalibus, etiam de latere Legatis, ac Sedis Apostolicæ Nuncijs, necnon Cruciatæ Commissarijs; ergò etiamsi Cruciatæ Commissarii declarent, posse Regulares vti Cruciata, etiam quoad electionem Confessarij, nulla erit eorũ declaratio, dũ expressè in ea prohibeatur Cruciatę vsus regula-

ribus quoad electionem Confessarij, absque Prælati licentia. Secundò quia Pontificiæ constitutiones Superioribus regularium concessæ quoad eorum Fratres, per publicationem Cruciatæ non suspenduntur, vt dictum est, ergò neque per ipsum Commissarium suspendi poterunt; non enim datur Cõmissario potestas immutandi, quæ in bulla continentur.

60 Ceterùm, vt refert *Bardi ci. n.140* Illustriss. Emanuel de Acuña in Lusitaniæ Regno Commissarius Generalis Cruciatæ, edidit quandam declarationem sub die 28. Aprilis 1643. in qua proponit primò ante omnium oculos detrimẽtum, quod pateretur regularis disciplina, si Regularibus daretur libertas vtendi Cruciata quoad absolutionem à reseruatis; ac deinde auctoritate Apostolica decernit inhærendo Constitutionibus tàm Clementis, quàm Vrbani ci. non posse Regulares vti Cruciatà quoad absolutionem à reseruatis.

61 Atquè hæc satis dicti sint pro Regularibus tàm maribus, quam fœminis, seu Monialibus quoad vsum bullæ Cruciatæ.

QVÆSTIO IV.

De Fidelibus non baptizatis, seu Catechumenis.

HActenùs loquuti sumus de Fidelibus Baptizatis, in præsenti verò Quæstione videndum est, an Fideles non tamen Baptizati, hoc est Catechumeni, gaudeant Cruciatæ priuilegijs æquè ac Fideles baptizati, positis alijs requisitis.

DIFFICVLTAS I.

An Catechumeni possint lucrari Indulgentias, quæ per Cruciatam conceduntur?

1 NEgant *D.Anton.p.3.tit. 21.C.5.§.6.Suar.de pæn. q.53 sec.4.n.8.Bardi p.1.tr.2.C. 4.§.2.* alijque putantes, Catechumenos non esse Indulgentiarum capaces, quorum ratio est, quia forma, sub qua Sum. Pontifex concedit Indulgentias, importat quandam iudiciariam potestatem, seu iurisdictionem: supra autem Catechumenos nullam habet Pontifex iurisdictionem, neq; potestatem, ergò &c. D.Ant. Suar. Bardi.

2 Affirmant tamen *Nauarr.de Iub.notab.31.n.48.& notab.32. n.10.Herriq.l.7.sum.C.20.n.8. Bartol.à S.Faus.de ind.l.2.q.80.* alijque docentes Catechumenos esse absolutè Indulgentiarum capaces. & meritò, nam ex vna parte concessio Indulgẽtiarum est priuilegium omninò fauorabile (vt communiter docent DD. paucis exceptis) ex altera verò parte Catechumini absolutè veniunt sub nomine fidelium, quibus Indulgentiæ conceduntur, ergò si nihil aliud obstet (vt patebit ex solutione rationis in contrarium) poterunt Catechumeni, si existant in gratia, frui Indulgentijs nõ minus, ac Fideles baptizati. Nauarr. Herriq. B.à S.F. Auctor.

Ad

3 Ad rationem autem AA.in contrarium dico primò, quod quamuis Pontifex de iure nullam habeat potestatem, & iurisdictionem supra Catechumenos, poterit tamen illam habere de facto, inquantùm Catechumeni voluntariè ei subijciuntur quantùm possunt; sicuti Religiosi exempti possunt de licētia Prælati religionis subdi voluntariè Episcopis in ordine ad obtinendas aliquas dispensationes, & solutiones, quamuis de iure nullo Episcopo dicti Religiosi subijciantur.

4 Dico secundò, non deesse plures, ac graues DD.(vt videre est supra Disp.4. Q.1.n.30.) qui docent, Indulgentias concedi solùm per modum solutionis, quæ nullam importat iurisdictionem, & quomodo conceduntur pro Defunctis, supra quos nullam habet Pontifex iurisdictionem; vt fusiùs infra dicetur Disp. vlt.

5 Dico tertiò, quod quamuis Indulgentiarum cōcessio supponat, seu connotet in concedente illas ecclesiasticam iurisdictionem, quatenùs Thesauri Ecclesiæ distributio, quæ per concessionem Indulgentiarū fit, non competit ex officio, nisi Sum.Pontifici, & Episcopis, attamen terminatiuè sumitur in sensu accommodo, hoc est, si terminetur ad subditos, tunc erit per modum absolutionis; si verò terminetur ad non subditos, nempè Defunctos, seu non baptizatos, tunc erit per modum solutionis.

6 Positis igitur omnibus alijs requisitis ad lucrādas Cruciatæ indulgentias, poterunt vtiq; Catechumeni illas lucrari, sicuti & reliquas extra ipsā Cruciatā Indulgentias, nō obstante carentia Baptismi. Sub Catechumenorum autem nomine hic intelligimus tàm eos, qui sunt perfectè instructi in rebus Fidei, & Baptismum desiderant, illumque petunt, vnde olim Competentes dicebātur; quàm eos, qui adhuc non sunt in rebus fidei sufficienter instructi, & magis propriè Catechumeni, dicuntur; nam de vtrisque eadem militat ratio.

7 Deniùm confirmari poterit nostra opinio ex eo, quia (vt infra dicemus) Catechumeni, qui ex hac vita cum gratia sanctificante ex Baptismo flaminis decesserunt, & in Purgatorio detinentur, poterunt gaudere Indulgentijs concessis Defunctis, ergò cur non in vita?

DIFFICVLTAS II.

An virtute Cruciatæ possint cōmutari Vota, seu Iuramenta Catechuminorum?

8 NEgant *Sanch.in decal.l.*4.*C.*37.*n.*37.*&* 38.*& Bardi p.*1.*tr.*2.*C.*4.*§.*1. quorum ratio est, quia commutatio Voti, seu Iuramenti soli Deo facti, si per bullam Cruciatæ fiat, necessariò supponere debet in commutante iurisdictionem spiritualem: Ecclesia autē nullam iurisdictionem habet in Catechumenos, cùm adhuc nō se subiecerint mediante baptismo. *Sanch. Bardi.*

9 Affirmāt tamen *Herriq.sum. l.*7.*C* 20.*n.*8. alijque Recentiores. Et meritò, nam ex vna parte Catechumeni in fauorabilibus veniunt sub nomine Fidelium, *Herriq. Auctor.*

lium, quibus Cruciatæ priuilegia conceduntur: ex altera verò parte Cruciatæ priuilegiũ de commutandis Votis, seu Iuramentis soli Deo factis, est omninò fauorabile, ergò si ponantur cetera requisita, poterunt sanè vi Cruciatæ commutari tàm vota, quam iuramenta Catechumenorum; posito tamen, quod & vota, & iuramenta possint extrà Confessionem sacramentalem commutari.

10 Ad rationem autem AA. in contrarium respondeo eodem modo ac supra nu. 3. loquendo de Indulgentijs. dico enim, quod quamuis de iure Catechumeni non subdantur Ecclesiæ, poterunt tamen de facto subijci, prout de facto verè subijciuntur, dum bullam sumunt, ac vi eiusdem bullæ suorum Votorum, seu Iuramentorum commutationem petunt.

DIFFICVLTAS III.

An Cathecumeni possint vi Cruciatæ sepeliri in loco sacro tempore Interdicti?

11 PRæsens Difficultas non habet locum in sentẽtia eorum, qui putant, Cathecumenos non esse capaces absolutè ecclesiasticà sepulturà; sed in sententia eorum, qui probabiliùs docent, Catechumenis, qui decesserunt ex hac vita cũ signis perfectè contritionis, seu cum baptismo flaminis, dandam esse ecclesiasticam sepulturam; qua posita sententia, quærimus in præsenti, An vi Cruciatę possint tempore Interdicti sepeliri Cathecumeni in loco sacro, æquè ac fideles baptizati iuxtà supradicta Disp. 2. Q. 3.

12 Negat *Bardi p. 1. tr. 2. C. 4. §. 4.* cuius ratio est, quia priuilegium hoc Cruciatæ de ecclesiastica sepultura tempore Interdicti est contrà Ius commune, ergò strictè erit intelligendum; atque adeo non extendendum nisi ad solos Fideles baptizatos, non autem ad non baptizatos, seu Catechumenos. ***Bardi.***

13 Affirmandum tamen puto, nam lex pœnalis est restringenda, & per consequens priuilegia, quæ relaxant huiusmodi legem, sunt amplianda; quarè cùm lex prohibens Ecclesiasticam sepulturam sit pœnalis, consequẽter priuilegium Cruciatæ relaxatiuum talis legis nõ erit ita strictè interpretandũ, vt nequeat extendi ad omnes illos, qui sub nomine fidelium veniunt, quales sunt etiam Catechumeni, vt satis dictum est.

14 Ad rationem autem in contrarium dico, eam non valere in legibus purè pœnalibus. Quod si dicas, censuram non habere rationem puræ pœnæ, sed etiam medicinæ: Respondeo, dictam censuram Interdicti habere quidem rationem censuræ, & consequenter etiã medicinæ, & non solius pœnæ respectù Baptizatorum, non autem respectù non baptizatorum; nam non baptizati non sunt capaces censurarum Ecclesiasticarum, vt patet; atque adeo talis censura respectù nõ baptizatorum habebit rationẽ solius pœnę; & per consequens lex relaxans dictam legem respectu Cathecumenorum largè su-

ſumenda eſt, at reſpectù Baptizatorum ſtrictè ſumenda eſt, iuxtà ſupradicta Diſp.1. Q.1.n.8.

DIFFICVLTAS IV.

An Catechumeni poſſint gaudere reliquis Cruciatæ priuilegijs?

15 POſſe Catechumenos virtute Cruciatæ ſe componere ſuper debitis incertis, ſatis probauimus ſupra Diſp.10.Q.1. n.65. Solùm ergò ſupereſt hic videre, an Catechumeni gaudere poſſint reliquis Cruciatæ priuilegijs, æquè ac dictum eſt hactenùs de Indulgentijs, cõmutatione votorum, ſeu iuramentorum, & eccleſiaſtica ſepultura.

16 Et quidem primò certum eſt, non poſſe Catechumenos vi bullæ Cruciatæ eligere confeſſarium, vt ab eo abſoluantur à cenſuris, & caſibus reſeruatis; nam ante actualem Baptiſmi receptionem, nemo eſt capax neque Sacramenti Pœnitentiæ, neque aliorum Sacramentorũ, neque ligari poteſt eccleſiaſticis cenſuris.

17 Certum eſt ſecundò, neque Catechumenis prodeſſe Cruciatæ facultatem comedendi carnes, & lacticinia diebus prohibitis; nam non baptizatus nõ tenetur ad præcepta purè eccleſiaſtica.

18 Certum eſt tertiò, neque prodeſſe Catechumenis eiuſdẽ Cruciatæ facultatem audiendi Sacrum, aſſiſtendi Diuinis Officijs, & recipiendi Euchariſtiã ante actualem receptionem Baptiſmi, vt de ſe patet. Atquè hæc ſatis ſint circa Catechumenos in ordine ad fruendum noſtræ Cruciatæ priuilegijs.

QVÆSTIO V.

De Infidelibus Baptizatis, ſeu Hæreticis, vel Schiſmaticis.

ETHnicos, Turcas, Iudæos, alioſque omninò Infideles non baptizatos, certum eſt, nõ poſſe vllo ex Cruciatæ priuilegijs frui, tum quia ſunt talium priuilegiorum incapaces tum etiam quia initio ipſius bullæ expreſsè ſtatuitur, ſolis Fidelibus ea concedi. ſolùm igitur in præſenti quærendum erit, an ſaltem infideles baptizati, nempè Hæretici, ſeu Schiſmatici poſſint aliquibus Cruciatæ priuilegijs frui. quarè ſit:

DIFFICVLTAS I.

An Apoſtatæ, ſeu Hæretici externi in ſua pertinacia perſeuerãtes, poſſint priuilegijs Cruciatæ gaudere?

1 AFfirmant *Trullen.l.1.§.1. D.8.n.3.* ex eo, quia licèt Apoſtatę, & Hæretici externi non ſint formaliter fideles, cùm habitu fidei careant, benè tamen, ait, dici poterunt virtualiter fideles, quatenùs ſunt Caractere Baptiſmi inſigniti, & conſequenter venire poterunt ſub nomine fidelium quibus Cruciata dirigitur, ac ſimiliter eiuſdẽ Cruciatæ priuile- *Trullen.*

uilegijs frui.

Lud. à cr. *Bardi.* *Auctor.* 2 Negant tamen *Lud. à Cruc. D. 1. C. 1. d. 8. n. 2. Bardi p. 1. tr. 2. C. 4. n. 30.* alijque; & meritò, nam ex vna parte bulla Cruciatæ expressè conceditur Christi fidelibus: ex altera verò parte Hæreticus formalis, & qui in externam Hæresim prorupit, iam absolutè, hoc est tàm pro foro interno, quàm pro foro externo, abiecit Christi fidem, à qua formaliter fideles denominamur, ergò absolutè, nulloque modo dici poterit fidelis, & per consequens neque vllo modo frui poterit præsentis Cruciatæ priuilegijs; & idem dico de Apostata vero, ac formali, nam de materiali, dicetur infrà. quarè si huiusmodi Apostatæ, seu Hæretici lacticinia diebus vetitis comedāt, mortaliter peccabunt, ac similiter si alijs Cruciatæ priuilegijs vtantur, quæ absque peccato fieri nequeunt sine bulla Cruciatæ.

3 Ad rationem verò in contrarium Dico, Caracterem baptismi esse tantùm spirituale signū quo baptizati à non baptizatis discerni possint, non esse tamē formam, à qua denominamur fideles; eò quia de facto stare potest talis Character cum infidelitate. insuper character nō est principium fidei, atq; adeo nequit denominare nequè virtualiter fidelē. An verò idē dicēdum sit in casu, quo talis Hæreticus, seu Apostata suum abiuret errorem, dicetur infrà.



DIFFICVLTAS II.

An supradicti Hæretici, si suum abiurent errorem, possint priuilegijs Cruciatæ gaudere?

4 SI Hæreticus ita abiuret suum errorem in Fide, vt dignus reddatur infusione habitus Fidei supernaturalis, tunc in tali casu sicuti per dictū habitum Fidei, fidelis verè, ac propria denominatur, sic cōsequenter poterit Cruciatà gaudere, vtpote omnibus Fidelibus concessa.

5 Præsēs igitur Difficultas procedit in casu, quo Hæreticus abiurat quidem suum errorem in Fide, credatque omnia Fidei mysteria, non tamen habeat perfectam cōtritionem, sed tā-tùm attritionem; atque adeo habeat solam fidem actualem, non autem fidem habitualem; quod contingere posse, asserit probabilior DD. sententia. His igitur positis.

6 Quærimus in præsenti, An Hæreticus suum abiurans errorem, si careat habitu Fidei, habeat tamen actum fidei supernaturalem, possit Cruciatæ priuilegijs gaudere?

7 Negat quidem recentior, quē tacito nomine laudat Bardi infrà ci. cuius ratio est, quia (ait) vera forma denominans fidelem est Fides habitualis, non actualis. quarè secundùm hanc opinionem, Hęreticus abiurās suum errorem, nisi habeat perfectam contritionem, per quā infundantur cum gratia sanctificante Habitus supernaturales fidei, Spei, & Charitatis, vel per dilec-

dilectionem Dei super omnia, aut demum per Sacramentum pœnitentię, non poterit Cruciatę priuilegijs gaudere.

Bardi. Auctor. 8 Affirmat tamen *Bardi p. 1. tr. 2. C. 4. n. 45.* & meritò, nam actus ille proueniens ex auxilio supernaturali, est actus verę Fidei, ergò est aptus ad denominandum hominem credentem, & per consequens fidelem; & quia est actus fidei Christianę, vtiquè denominabit hominem, in quo est, Christi fidelem; & non solùm dum actù afficit hominem, sed etiã si pretereat; eo quia dùm semel extitit, & non retractetur, censetur moraliter permanere, & consequenter adhuc hominẽ denominare fidelem; eo modo, quo actus peccaminosus denominat hominem peccatorem non solùm dùm actù est, sed etiam postquam desijt, & non sufficienter retractatur; ergò &c. Adde, actum, & habitum se habere vt magis, & minùs, ergò si habitus fidei denominat hominem fidelem, cur & non actus Fidei?

9 Ad rationem verò incontrarium, satis patet ex dictis; nego enim hominem denominari fidelem per solum habitum fidei, sed dico etiam denominari fidelem per ipsum actum fidei, quamuis talis habitus denominet fidelem vt quid physicè permanens positiuũ, actus vero vt quid moraliter permanens positiuum, vt iam dictum est. quarè tàm habens habitum fidei, quàm habens solum actũ fidei poterunt Cruciatę priuilegijs gaudere, si aderunt reliqua requisita.

10 Quę hactenùs dicta sunt de Hęreticis, intelligenda etiam erunt de Apostatis formalibus, nam de materialibus, dicetur infrà, sicuti et de solis internis, ac mentalibus.

DIFFICVLTAS III.

An Hæreticus, qui sola mente retinet hæresim, possit Cruciatæ priuilegijs gaudere?

11 Affirmant *Lud. à Cruc. D. 1. C. 1. d 8. nu. 3. Trullen. l. 1. §. 1. d. 8. n. 3.* primò quia sub nomine Hęreticorum non veniunt Hęretici mentales, vnde dùm ab Ecclesia excommunicantur Hęretici, sanè non excommunicantur Hęretici mẽtales. Secundò quia de facto heresis mentalis potest vi bullę Cruciatę absolui, ergò hęreticus mentalis gaudere potest Cruciatę priuilegijs. Lud. à cr. Trullen.

12 Negant tamen *Bardi p. 1. tr. 2. C. 4. n. 36.* alijque, et meritò, nam hęreticus adhuc purè mẽtalis, quamuis secundùm hominum existimationem reputetur fidelis, attamen secundũ rei veritatem, cùm careat formà, qua denominamur fideles, nempè tam habitu, quàm actu fidei supernaturalis, nequit reuera dici absolutè fidelis: iam Cruciata dum cõceditur Christi fidelibus, vtiquè conceditur ijs, qui reuera, et secundùm rei veritatem sunt fideles, non autem ijs, qui solùm apparenter sunt fideles; vt si à Pontifice cõcederetur aliquod priuilegium contritis, vtiq; tale priuilegiũ non afficeret eos, qui reuera nõ essent contriti, etiã si apparẽter Bardi. Auctor.

eſſent admodum contriti; ſic & in caſu noſtro; atque adeo niſi quis ſit reuera, & coram Deo fidelis, non poterit Cruciatæ priuilegijs gaudere.

13 Ad primam autem rationem in contrarium Dico, eſſe ſummam diſparitatem inter pœnas, & gratias.

14 Ad Secundam Dico, quòd dũ vi Cruciatæ abſoluitur Hæreſis purè mentalis, ſupponitur in pœnitente abiuratio, ſeu retractatio errorum contra fidẽ, aliter non eſſet capax abſolutionis ſacramentalis (vt patet) & per cõſequens ſupponitur etiã in eodem pœnitente habitus, vel ſaltem actus Fidei ſupernaturalis, & conſequenter capacitas fruendi Cruciatæ priuilegijs, iuxtà dicta in ſuperiori Difficultate; nos autem hic loquimur de tali Hæretico manente in ſua pertinacia; & idem dico de Apoſtata, qui ſolamente ſuam retinet Apoſtaſiam.

15 Ex dictis ſequitur, Hæreticos, purè externos, ſeu materiales poſſe Cruciatæ priuilegijs gaudere; nam quamuis in foro externo habeantur pro infidelibus, & vt tales puniantur, attamen cùm reuera adhuc retineant habitum fidei, quo denominantur verè fideles, vtiquè poterunt gaudere omnibus priuilegijs, quæ Chriſti fidelibus conceduntur, ſaltem pro foro conſcientiæ, nam in foro externo punirentur, ſi inuenirentur comedentes cibos prohibitos &c. Et idem ſimiliter dico de Apoſtatis à Fide merè materialibus.

DIFFICVLTAS IV.

An Schiſmatici poſſint gaudere Cruciatæ priuilegijs?

19 DE Schiſmaticis, qui ſimul Hæretici ſunt, ſeu Apoſtatæ, idem dicendum eſt, ac hactenùs dictum eſt in ſuperioribus Difficultatibus de ipſis Hæreticis, & Apoſtatis tàm materialibus, quàm formalibus tum merè externis, tum etiam internis. Solùm igitùr in præſenti dicendum erit de purè Schiſmatibus, hoc eſt de ijs, qui quamuis Fidem Diuinam retineant, ſe tamen ſubtrahunt ab obedientia Sum. Pontificis.

17 De puris ergò Schiſmaticis loquendo, certum omninò eſt, non poſſe eos, dùm in ſua pertinacia perſeuerant, gaudere bulla Cruciatæ quoad ea, quæ concernunt ad Sacramentum pœnitentiæ, & abſolutionem à reſeruatis, quia ſic non ſunt capaces abſolutionis Sacramentalis, neque indulgentiarum, vtpote ſtatum gratiæ requirentium. neque gaudere poterunt priuilegijs pro tempore interdicti conceſſis circa Diuina Officia, ſumptionem Euchariſtiæ &c. nam ratione excommunicationis ſunt impediti, ne huiuſmodi priuilegijs vtantur.

18 Poterunt tamen veſci lacticinijs diebus vetitis; componi circa debita incerta: ac demum cõmutationem votorum, ac iuramentorũ; obtinere poſita tamen noſtra ſententia, quod talis commutatio fieri poſſit extra Sacramentum pœnitentiæ; ſecus autem in oppoſita

ſita ſententia, vt ex dictis patet. ratio autẽ eſt, quia puri Schiſmatici habent habitum fidei ſupernaturalis, ergò ſunt verè ac propriiſſimè fideles, & ſic nequeunt priuari priuilegijs, quæ abſolutè omnibus fidelibus conceduntur, niſi ex aliquo alio capite id repugnet.

QVÆSTIO VI.

De Exteris.

NOmine exterorum intelligimus in præſenti Quæſtione omnes illos, qui non habitant in locis, in quibus bulla Cruciatæ publicatur. de his igitùr hic dicendum eſt, an poſſint dictæ Cruciatæ priuilegijs gaudere.

DIFFICVLTAS I.

An Exterus, qui per tranſitum inuenitur in loco, vbi eſt Cruciata, poſſit eam vtiliter ſumere?

1 AFfirmant *Herriq. l.7. de Indul. C. 20. n. 6. Trull. l.1. §.1. d.5. n.1. Acoſta q.16. Bardi p.1. tr.2. C.3 n.49.* alijque cõmuniter DD. & meritò, nam in ipſamet bulla dum deſignãtur loca, & perſonæ, quæ poſſunt gaudere eius priuilegijs, expreſsè dicitur concedi in Regnis Hiſpaniarum, Siciliæ, Sardiniæ &c. conſiſtentibus, & ad illa declinantibus.

Herriq. Trullen. Acoſta. Bardi. Auctor.

2 Iam qui reperitur in hoc Sicilię regno v.g. etiã per breue tẽpus vel recreationis cauſa, vel expeditionis alicuius negotij, vel quid ſimile, verè, & in omni rigore dicitur in hoc Sicilię regnum declinaſſe, ergò poterit vtiliter bullam Cruciatę ſumere, eiuſque priuilegijs gaudere ſi voluerit, ſaltem dũ in eodem regno reperitur; nam ſi ſimiliter poſſit illius priuilegijs gaudere in locis non priuilegiatis, dicetur infrà Diffic 4. Et hoc etiamſi in Summarijs reperiatur aliquod verbum ſignificans commorationem; ſtandum enim omninò eſt bullę magnę plumbeę.

Carolus Latius in Bull. Cruc.

DIFFICVLTAS II.

An Exterus attingens ſolum Portũ alicuius Regni prilegiati, poſſit vtiliter Bullam ſumere, etiamſi terram non attingat?

3 NEgat quidam recentior, quem tacito nomine laudat Bardi infrà ci. cuius ratio eſt, quia quando quis eſt in portu, ait, iam incipit eſſe extra regnum; idque ſic probat, quia de facto, qui iuriſdictionem in regno exercet, rigoroſè loquẽdo, nequit illam in portu exercere.

4 Affirmat tamen *Bardi p.1. tr. 2. C. 3. n.53.* & meritò, nam & de Iure Canonico, & de Iure Ciuili, Portus eſt pars ciuitatis proximioris; vnde conſequenter delicta commiſſa in portu puniuntur ab eo, qui proximiorẽ ciuitatẽ gubernat, niſi obſtet aliqua conſuetudo, vel alia ſpecialis conſtitutio in contrariũ; ita *Bartolus in l. Inſulæ ff. de iudic. & in l. Cæſar ff. de publicanis:* idem *Bardi.*

idem Bartolus apertè ait: portum Insulæ esse Insulam; atque adeo, qui attingit Siciliæ portum, verè ipsam Siciliam attingere dicendus est, & per consequens vtiliter bullam sumere poterit, illiusque priuilegijs frui.

5 Ex dictis satis patet, rationem in contrarium ex nullo capite subsistere posse & hoc tàm in fauorabilibus, quàm in odiosis.

DIFFICVLTAS III.

An exterus, si solo animo sumendi bullam petat Siciliam v.g. statim inde recessurus, possit ipsius bullæ priuilegijs gaudere?

Trullen. Gallegus 6 NEgant *Trullen.l.1.§.1.d.5.n.2.& Galleg.C. 1.cl.1.d.4.* quorum ratio est, quia is in tali casu in fraudem eiusdem bullæ operatur: fraus autem nemini patrocinari debet ex *C.Sedes, & c.ex tenore de rescript.*

Bardi. Mendus. Auctor. 7 Affirmant tamen *Bardi p. 1. tr.2.C.3.n.57.Mendo D.2. C. 3. n.14.* alijq; & meritò, nam is in tali casu optimè ponit omnes conditiones à Sum. Pontifice requisitas pro fruendis Cruciatæ priuilegijs; verè enim declinat ad locum, in quo bulla Cruciatæ viget; dat eleemosynam taxatam; nullumque aliud impedimẽtum habet ad hoc vt bulla frui possit, ergò &c.

8 Ad rationem autem AA. in contrarium nego, eum in tali casu vti fraude, vel dolo, sed dico absolutè, illum vti iure suo; sicuti neq; vteretur fraude, aut dolo siquis huius regni, vbi Tridentinũ viget, aliud regnum petat, vbi Tridentinũ non viget, hoc solo animo, vt absquè Parocho matrimonium contrahat, vnde consequenter validè huiusmodi matrimoniũ ibi contraheret, vt omnes fatentur, ergò similiter dicendũ erit in casu nostro.

9 Siquis igitùr Italus v.g. petat Siciliã solo animo sumendi bullam Cruciatæ, poterit validè illam sumere, eiusque priuilegijs frui, non solùm pro eo tẽpore, quo in Sicilia reperitur, sed etiam dum ad loca non priuilegiata reuertitur (modo tamen in sequenti *Diff.* explicãdo) pro toto eo tempore, quo ipsa bulla durat in loco, vbi illam sumpsit, iuxta supradicta Disp.1.tota Q.3.

DIFFICVLTAS IV.

An Exterus sumens Bullam in loco priuilegiato, possit ea vti etiam in alijs locis non priuilegiatis?

10 SVmpsit Titius bullam in loco priuilegiato, v. g. in hoc regno Siciliæ, & deinde secessit in locum non priuilegiatum, v.g. in Italiam: quærimus in tali casu, An dictus Titius possit vti tali bulla in eo loco nõ priuilegiato æquè, ac si esset in loco priuilegiato?

11 Et quidem si excipiatur priuilegium comedẽdi cibos prohibitos, affirmant communiter DD & meritò, nam bullæ Cruciatæ priuilegia quamuis sint localia quoad receptionem (prout supra dictum est Disp.1.Q.1. à n.13.)

à n. 13.) attamen sequuntur naturã priuilegij personalis quoad sui continuationem; atque adeo semel ac dicta bulla incipit adhærere personæ, illam sẽper sequitur iuxtà naturam priuilegiorum personalium.

12 Si verò loquamur de priuilegio comedendi cibos prohibitos, affirmat similiter probabiliter *P. Piccinus apud Dianam p. 4. tr. 4. ref. 190. & p. 5. tr. 14. ref. 20.* ex eo, quia putat, exceptionem in bulla appositam esse de consilio ad euitandum scandalum, ac proinde si remoueatur scandalum, poterunt etiam & cibi prohibiti vi bullæ comedi in regnis adhùc non priuilegiatis.

P. Picin.

13 Negant tamen *Rodriq. §. 1. d. 3. & ibi in add. Riccius nu. 35. Herriq. sum. l. 7. de Indulg.* C. 20. *num. 6. Lud. à Cru. D. 1. C. 1. d. 3. nu. 2. Diana p. 1. tr. 11. ref. 1. Bardi p. 1. tr. 2. C. 3. n. 62.* alijque cõmuniter DD. & meritò, nam in Bulla Plumbea originali, secundùm quam regulanda sunt summaria, sic habetur: *Item, vt dicto anno durante in omnibus & singulis Regnis, Insulis, locis, Terris, Oppidis, & Dominijs prædictis (& non extra illa) carnibus de consilio vtriusque medici temporibus ieiuniorum totius anni etiam quadragesimalibus vesci, ac pro eorum libito ouis, ac lacticinijs, &c.* apertè igitur ea verba, *& nõ extra illa*, limitant, & coarctãt tale bullæ priuilegium ad sola loca priuilegiata.

Rodriqu. Riccius. Herriq. Lud. à cr. Diana. Bardi. Auctor.

14 Extrà igitur loca priuilegiata (de quibus infra) possumus vti bullà Cruciatę in ordine ad omnia, & singula eius priuilegia, non autem quoad comestionem ciborum prohibitorum; neque opposita sententia videtur habere aliquã speciem probabilitatis.

DIFFICVLTAS V.

An vtiliter bullam sumat, qui tantùm ciuiliter commoratur in loco per eandem bullam priuilegiato?

15 FVsè circa hanc Difficultatem *Bardi p. 1. tr. 2. C. 3. à n. 31.* affirmatque tandem in ordine ad priuilegia fauorabilia, negat tamen in ordine ad priuilegia omninò odiosa; iuxtà supradicta Disp. 1. Q. 1. diff. 2. Cuius ratio est, quia dicta ciuilis commoratio iuuat de iure in fauorabilibus, non autem in odiosis; absolutè tamen negat, loquendo de accessu ciuili.

16 Pro cuius rei intelligentia sciendum est, quòd cùm quis physicè, seu personaliter inuenitur hic, tunc dicitur esse, seu habitare hic propriè: cum verò abest personaliter ab hoc loco, habet tamen hic domicilium, seu quasi domicilium, ad quod post breue tempus est reuersurus, tunc dicitur (quamuis corpore absit) hic commorari tãtùm ciuiliter; quatenus suis ciuile fingit, propter commune bonum, sic non interrumpi mansionem, seu commorationem, atque adeo adhuc tunc talem adesse, non quidem propriè, seu personaliter, ac realiter, sed tantùm ciuiliter, seu per fictionem iuris ciuilis; His positis.

17 Quærimus in præsenti, An Titius habens domicilium, suamque familiam v.g. Panormi, si proficiscatur Neapolim v.g.

v.g. breui tamen Panormum reuersurus, ac dum est Neapoli, publicetur Panormi bulla Cruciatæ, Caiusque nomine ipsius Titij bullã sumat, Titioque Neapolim eam mittat; dicendum, inquam, in tali casu, An Titius possit ea bulla vti dũ Neapoli moratur.

18 Absolutè negandum puto, nam si ad hoc sufficeret commoratio ciuiliter, sufficeret etiam accessus ad locum priuilegiatum tantùm ciuiliter: sed hoc secundum non sufficit neque per ipsum Bardi, vt dixi, ergò neque primum; cùm non sit maior ratio de vno, quàm de alio. neque dicas non dari accessum tantùm ciuiliter, nam dùm quis totam suam familiam mittit Panormum v.g. ibique habitationẽ figit, breui ipsemet ad eumdem locum accessurus, dici similiter poterit ciuiliter tantùm ibi accessisse.

19 Adde, non ita facilè posse assignari tempus hoc conseruatiuum in præsenti materia commorationis, seu mansionis supradictæ, in quo quidem assignando valdè laborat Bardi ci. Nemo igitùr poterit Cruciatæ priuilegijs frui, nisi personaliter in locis, in quibus bulla Cruciatæ publicatur, habitet: vel saltem ad eadem loca etiam personaliter accedat, seu declinet, vt supradictum est. an verò, & quomodo vnus pro alio possit vtiliter bullam sumere, dicetur infra Disp. 12. Q. 1. Solùm itaque pro complemento præsentis Disputationis restat assignare in particulari loca, quibus præsens bulla Cruciatæ à Sum. Pontificibus conceditur.

QVÆSTIO VII.

De locis, quibus Bulla Cruciatæ conceditur.

ASsignatis iam Personis, quibus bulla Cruciatæ à Sum. Pontificibus conceditur, dicendum est in præsenti de locis, quibus eadem bulla hoc temporis conceditur.

DIFFICVLTAS I.

Quænam sint in particulari loca, quibus Bulla Cruciatæ conceditur?

1 LOca, quibus olim bulla Cruciatæ concedebatur, quamuis nõ fuerint semper eadẽ, vt ex Historijs satis cõstat; hodie tamẽ expressè illa cõceditur Regnis Hispaniarum, & Insulis annexis, seu adiacentibus dictis regnis: similiter Regno Sardiniæ, ac Siciliæ vltrà Pharum: necnon locis, Oppidis, & dominijs Indiarum terræ firmæ, ac Maris Oceani, quæ Philippo Regi, siue immediatè, siue mediatè sunt subiecta, quæ magis distinctè videri poterunt apud *Perez de Lara in comp. trium grat. l. 1. fol. 103. & Trullen. l. 1. §. 1. d. 1.* *Perez.* *Trullen.*

2 Dubitatur tamen, An bulla Cruciatæ, prout hodie conceditur, extendatur etiam ad Insulas quasdam circa Siciliam iacentes, nempè Pantellariam, Leuãtum, Maretimum, Fauognanam, quæ olim dicebantur Cosyra, seu Corsura, Probantia,

tia, Sacra, Eguſa; ſimiliter ad Inſulas Aeolias, ſeu Liparias, ſeu Vulcanias,& huiuſmodi.

5 Ratio autem dubitandi, & maxima, pro parte negatiua eſt, quia ad has Inſulas non transmittuntur de facto bullæ Cruciatæ à Commiſſario, ergò ſignum eſt, bullam Cruciatæ non extendi ad iſtas inſulas. Adde, Sum. Pontificem, dùm ait, bullam concedi Regno Siciliæ, nullam mentionem facere de iſtis inſulis adiacentibus ipſi Siciliæ, prout facit dùm loquitur de Regnis Hiſpaniarum, addens: *& Inſulis adiacentibus*; ſignum ergò eſt, nolle Pontificem extēdere Cruciatam ad huiuſmodi inſulas.

4 Affirmat tamen *Bardi p.1. tr. 2.C.2. à n.13.* & meritò, nam dùm Sum. Pontifex concedit Cruciatam Siciliæ, non ait eam concedi Inſulæ Siciliæ, ſed Regno Siciliæ: iam Regnum Siciliæ importat omnia ea loca, quę de facto ſtant ſub politico regimine, ſeu Iuriſdictione vnius Capitis, immediati nempè Proregis; huiuſmodi autem loca conſtintia vnum Regnum per relationem ad vnum Caput, sūt tàm ipſa Inſula Siciliæ, quàm etiam dictæ Inſulæ adiacentes, cùm omnes eæ Inſulæ ſtent ſub dicto politico regimine, ſeu Iuriſdictione vnius Capitis, vt dictum eſt; quarè dum conceditur Cruciata Regno Siciliæ, intelligitur etiam conceſſa Inſulis ipſi Siciliæ adiacentibus. *Bardi.* *Auctor.*

5 Excipienda tamen eſt Inſula Melitæ, quæ licèt ſit feudataria Noſtri Regis Catholici, ac ſub eius protectione, attamen non eſt pars Regni Siciliæ, eò quia ſtat ſub diuerſo omninò regimine etiam politico, ac diuerſa Iuriſdictione, vt patet; atque adeo nequit gaudere bulla Cruciatę ex eo pręcisè, quòd Regno Sicilię ea concedatur.

6 Ad rationem autem dubitādi in contrarium Dico, praxim non ita ſemper fuiſſe, nam annis elapſis (vt teſtatur Abbas Pirri apud Bardi ci.) in dicta Inſula Liparis promulgabatur bulla Cruciatę: quòd ſi deinceps talis Cruciatę promulgatio ibi ceſſauit, hoc ſanè euenit, quia fuit dicta Inſula aggregata Regno Neapolis, vt videre eſt apud eundem *Pirri l. 3. Hiſt. not.8. an. 21.* vnde vt non ampliùs compars comflans Regnum Siciliȩ, nō potuit ampliùs Cruciata gaudere; & quamuis deinde iterùm, vſquè ad hęc noſtra tempora, effecta ſit pars Regni Siciliȩ, iuxtà litteras Regis Catholici datas in Pardo die 22. Nouemb. an. 1609. preualuit tamen conſuetudo non ampliùs promulgandi in dictis Inſulis Cruciatam. *Pirri.*

7 Ad Confirmationem verò patet ex dictis diſparitas, nam Inſulę illę adiacentes Regnis Hiſpaniarum, cùm ſint ſub diſtincta Iuriſdictione, non conſtituunt vnum Regnum cum dictis Hiſpanijs, atque adeo niſi Sum. Pontifex de ijs Inſulis diſtinctam mentionem feciſſet nequiſſent Cruciata gaudere. at hę Inſulę, dum conſtituunt vnū Regnum cum Inſula Siciliȩ ratione vnitatis dominij immediati (vt dictum eſt) ſanè abſque eo, quòd de illis fiat ſpecialis, ac diſtincta mentio, gaudent bulla Cruciatę. atque adeo cùm iſtis minoribus inſulis concedatur Cruciata non ratione ſui, ſed ratione partis principalis, nempè Inſulę Siciliȩ, cum qua con-

constituunt, ac constant vnum Regnum, consequenter si casù cum Sicilia non constituant vnum Regnum, non sit mirum, si ampliùs tunc non gaudeant bulla Cruciatę, vt etiam dictum est.

8 Atquè hęc satis sint circa loca, quę bulla cruciatę gaudent, prout hodie dicta bulla à Sum. Pontifice conceditur. solùm autem pro complemento præsentis Quęstionis videre restat, An talia loca necessariò sub dominio Regis Catholici esse debent ad hoc, vt hac bulla gaudeant.

DIFFICVLTAS II.

An Loca, in quibus publicatur, & sumitur Bulla Cruciata, debeant necessariò subijci Regi Catholico?

9 EX supradictis tota Quęstione 6. patet, personas non necessariò debere subijci Regi Catholico ad hoc, vt Cruciatę fruantur priuilegijs; dùm quilibet Exterus siue sit Germanus, siue Gallus, siue Polonus; &c. nullo modo subiecti Regi Catholico, sed ex eo precisè, quòd attingant aliquem locum per bullam priuilegiatū, poterunt in tali loco priuilegiato vtiliter bullam sumere, eiusque priuilegijs frui, modo iam explicato, Quęst. ci. quarè personę adhùc nō subiectę Regi Catholico poterunt Cruciatę priuilegijs gaudere iuxtà modum iam explicatum.

10 Difficultas ergò est solùm circà loca, An scilicet debeant esse necessariò sub dominio Regis Catholici loca, in quibus publicatur, & sumitur bulla hęc Cruciatę.

11 Et quidem affirmat *Bardi p. 1. tr. 2. C. 2. n. 23.* ac meritò, nam vt apertè colligitur ex ipsius bullę contextu, bulla hęc Cruciatę conceditur Regi Catholico vt Domino locorum, quibus ipsa Cruciata conceditur; & correlatiuè ipsis locis (de quibus suprà dictum est) vt subiectis dicto Serenissimo Regi; & sic bulla Cruciatę pro eo tēpore solùm poterit publicari in supradictis locis, ac Regnis, quo erunt sub Dominio dicti Regis, aliter & inutiliter in illis publicabitur, & inutiliter etiā, ac consequenter sumetur. *Bardi. Auctor.*

12 Hinc si Rex Catholicus abdicaret à se, & à suo Dominio mediato, & immediato aliquod ex dictis Regnis, tunc tale Regnum; quousque erit sub absoluto alterius dominio, non poterit Cruciatę publicatione lętari; poterunt tamen bullę antecedenter ad talem abdicationem sumptę in eo Regno, vtiquè vtiles esse (excepto priuilegio circa cibos prohibitos) vsquè ad finem anni eius durationis, iuxtà supradicta Disp. 1. Q. 3. per totam, & presertim Diff. 8.

13 Id ipsum esset dicendum, si aliquod ex dictis regnis se eximeret absolutè à Dominio dicti Regis, tàm mediato, quàm immediato. dixi, si absolutè eximeret se à Dominio; nam si aliquod regnum fuerit iniustè inuasum, vel iniustè se eximeret ab obedientia sui Regis, tunc quamuis Rex non haberet illius Regni actualem possessionem, attamen cùm adhuc Rex haberet verum ad illud Regnū dominium, vtique adhuc etiā poterit

poterit in tali regno bulla Cruciatæ publicari; & ratio eſt, quia habetur conditio neceſſariò requiſita ad hoc, vt in illo poſſit vtiliter & publicari, & ſumi bulla Cruciatæ, prout patet ex dictis.

14 Atque hæc ſatis ſint circa Perſonas, ac Loca, quæ Cruciatæ priuilegijs gaudent. Supereſt ergò ſolùm dicere de Conditionibus, ſub quibus omnia, ac ſingula ſupradicta Cruciatæ priuilegia conceduntur, quod in ſequenti Diſputatione 12. Deo dante, præſtabimus.



DISPVTATIO DVODECIMA

DE CONDITIONIBVS, SVB QVIBVS CRVCIATÆ PRIVILEGIA CONCEDVNTVR.

Tres ſunt præcipuæ, ac veluti generales Conditiones, ſub quibus Cruciatæ priuilegia conceduntur, videlicet Suſceptio, Eleemoſynæ taxatæ ſolutio, ac eiuſdem Bullæ iam ſuſceptæ Conſeruatio, de quibus per ſequentes Quæſtiones dicemus.

QVÆSTIO I.

De Suſceptione Bullæ Cruciatæ.

NOn loquimur hic de ijs, qui perſonaliter eunt ad Sacrã Expeditionem, vel alios ad illam mittunt, nam ij non indigent bulla ad hoc, vt omnibus, & maioribus, illius priuilegijs gaudeant; loquimur ergò de ijs qui neque eunt, neque alios ad ſacram expeditionem mittunt, qui quomodò omninò præſenti bulla indigeant ad hoc, vt illius priuilegijs, ac gratijs fruantur, ex ſequentibus patebit.

DIFFICVLTAS I.

An ſola intentio, ſeu propoſitum ſumendi Bullam ſufficiat ad eius priuilegia obtinenda?

1 COnueniũt DD. ſolã intẽtionẽ, ſeu ſolũ propoſitũ ſumendi bullam, abſolutè non ſufficere ad ipſius valorem, niſi reuera actu recipiatur, ſiue ex negligentia, ſiue ex impotẽtia non recipiatur; & meritò, nam ſic expreſsè *ſtatuitur in ipſamet bulla. Adde*, priuilegiũ nunquam ſuum ſortiri effectum *niſi reuera*, & humano modo acceptetur ab ipſo priuilegiato; ſola autem intentio, ſeu nudum propoſitum acceptandi non eſt acceptio, vt patet.

2 Dubitatur autem, An ſiquis reuera, ac de facto ſoluat conſuetam eleemoſynam pro ſuſcipienda bulla Cruciatæ, cum intentione efficaci ſumendi dictã bullam, Depoſitarius verò ſiue ex errore, ſiue ex malitia, non tradat illi veram bullam, ſed vel aliam conſimilem, vel bullam veterem: quærimus hic, & in tali caſu, An is Cruciatæ priuilegijs gaudeat?

3 Et quidem ratio dubitandi pro parte negatiua eſt, quia iſte talis ex vna parte reuera caret bulla: ex altera verò parte ipſa actualis, ſeu materialis receptio ipſius bullę eſt neceſſaria ad lucranda eiuſdẽ bullæ priuilegia; atq; adeo is in tali caſu nõ poterit Cruciatæ priuilegijs gaudere.

Af-

Trullen. Bardi. 4 Affirmant tamen absolutè Trullen.l.1.§.1.d.2.& Bardi p. p.2.tr.8.C.1.n.21. ex eo, quia Cruciatæ priuilegia, cùm sint onerosa, nempè Do, vt Des, eo ipso quòd à Fideli adimpletur, quod ex parte sua adimplendũ est, nempè elargiri statutã eleemosynam pro bulla capienda, statim concedenda sunt à Sum. Pontifice eiusdem bullæ priuilegia: quarè præsumendum est in casu posito, velle Pontificem indulgere illi omnia bullæ priuilegia.

5 Sed contra est, nam dare consuetam eleemosynam cum efficaci intentione accipiendi bullam, non est adæquata conditio pro fruendis bullæ priuilegijs; deficit enim ipsa actualis receptio, quæ est vna ex cõditionibus ad hoc necessariò requisitis; alioqui multò magis gauderet bulla; qui cum efficaci intentione sumendi bullam solueret statutã eleemosynam, reciperet tamen bullam furto sublatam (quod esse falsum, dicetur infra Q.2. à n.12.) quòd autem recipiatur à vero Depositario, seu ficto, est omninò per accidens.

Auctor. 6 Cum distinctione igitur in casu posito procedendum puto; & quidem si Depositarius, qui errat, seu fraudat, habet apud se bullas adhùc distribuẽdas, saltem aliquam, tunc is, qui eleemosynam elargitus est cum efficaci intentione recipiendi veram bullam, vtique Cruciata gauderet; probatur à pari, nam siquis daret Depositario bullarum statutam eleemosynam pro recipiẽda bulla, ipsam tamen bullam materialiter non suscipiat, imò neque tangat, sed apud ipsum Depositarium illam conseruãdam relinquat; sanè is gauderet tali bulla; ratio est, quia sufficit moralis, seu ciuilis receptio, hoc est, vt bulla vi solutæ eleemosynæ transeat sub potestate ac Dominium largientis pecuniam, etiamsi apud tertiam personam semper conseruetur; ita se habet is, qui à Depositario fraudatus est, ergò &c. & meliùs infra Q.4. à n.8.

7 Probatur antecedens, nam is vi solutæ eleemosynæ verum Dominium acquisiuit in vnã, quamuis vagè, ex bullis, quæ apud Depositarium conseruãtur æquè ac, qui emit tritici mensurã ex magno tritici aceruo; ergò quarè si omnes illæ bullæ, quæ sunt apud talem Depositarium distribuantur, vltima illarum esse istius intelligatur; atque adeo siquis alius hãc vltimam bullam susciperet, reuera eius priuilegijs non gauderet; estò propter bonam fidem in illorum vsu non peccaret; esset enim, ac siquis ei venderet bullam alterius furto sublatam; de quo infrà Q.2. Diff.6.

8 Hinc è contrà, si nulla prorsus bulla apud talem Depositarium inueniatur tunc, cùm error, seu fraus contingit, in tali casu minimè bullæ priuilegijs poterit gaudere, qui fraudatus est; probatur, quia is nullum Dominium acquirit neque in re neque ad rem in aliqua bulla, atque adeo nullo modo dici poterit bullam accipere, quod est conditio necessaria ad bullæ validitatem, vt supra dictũ est.

9 Ad rationem autem AA. in contrarium Dico, eam esse piè excogitatam, non in rei veritate

tate fundatam, vt ex dictis patet.

DIFFICVLTAS II.

An vnus possit vtiliter suscipere Bullam pro alio absente, commorãte tamen in loco similiter per Bullã priuilegiato?

Lud. à Cr. Herriq. Trullen. Auctor.

10 AFfirmant *Lud. à Cruc. D. 1. C. 1. d. 1. Herriq. sum. l. 7. de Indul. C. 20. n. 6. Trullen. l. 1. §. 1. d. 3.* alijque communiter DD. & meritò, primò quia ita praxis ostendit: Pater enim accipit bullam pro filio siue præsente, siue etiam absente, & amicus pro amico, &c. Secundo quia actio ista sumendi bullam, non debet esse adeo personalis, vt nequeat per alium fieri; valetque in hoc regula illa 72. Iuris in 6. Qui per alium facit, perinde est, ac si per seipsum faciat; quæ sanè valet, dum in ipsamet bulla non exigitur quoad hoc actio omninò personalis, & immediata, prout patebit legenti textum.

11 Titius igitur residẽs hic Panormi v.g. validè sumere poterit hic bullam pro Caio residẽte v.g. Messanæ, dummodò tamen Caius acceptet, sibique applicet bullam sumptam à Titio, aliter Cruciatæ gratias nõ lucrabitur; probatur, nam donatio, & beneficium, antequã acceptentur, non sunt efficacia igitur neque bulla antequam acceptetur, seu sibi applicetur; est enim par ratio: ita DD. ci. An verò bulla pro vno sumpta possit alteri applicari, dicetur Diff. sequenti.

DIFFICVLTAS III.

An Bulla sumpta pro Titio, possit vtiliter applicari Caio?

12 SVmpsit Petrus v.g. bullam pro Titio, at Titius nolit illam acceptare, neque sibi applicare; quærimus hic, An Petrus possit vtiliter applicare Caio bullam illam, quam pro Titio sumpserat?

13 Negant *Diana p. 1. tr. 11. ref. 95. & p. 11. tr. 2. ref. 47. Galleg. C. 14. clau. 14. d. 178. & Vega sum. to. 1. C. 43. cas. 6.* posito, quod Petrus applicauerit iam eam bullam Titio; ceterùm si Petrus nulli illam applicauerit vtique poterit, aiunt, cui voluerit bullam à se sumptam applicare. Diana. Galleg. Vega.

14 Absolutè tamen affirmant *Rodriq. §. 10. Lud. à Cruc. D. 1. C. 1. d. 1. n. 3. Mendo D. 21. C. 2. n. 16.* & alij; ac meritò, nam omnis donatio (vt supra diximus) antequam acceptetur à Donatario, nulla est; includit enim imbibitam conditionem, si ab alio acceptetur; quarè Titius statim ac nequit acceptare bullã sumptam pro se à Petro, eo ipso Petrus remanet absolutus dominus talis bullæ, ac si nunquam dicto Titio applicasset, atque adeo poterit absolutè cui voluerit illam applicare, vel gratis, vel etiam accepta stipe. Rodriq. Lud. à Cr. Mendo. Auctor.

15 Adde; quòd etiamsi Titius talem bullam pro se sumptam acceptet, posse eum, antequam illam sibi ipsi applicet, alteri, cui voluerit, applicare; nam applicatio est vltimum complementum ad lucrandas gratias Cruciatæ (vt supra dictum est)

eſt) ergò antequam bulla applicetur, eſt in pendente, & ſic poterit vlteriùs determinari; eritque ac ſi Titius acceptaret à Petro duo realia ad ſumendam bullam, ſiue pro ſe ipſo, ſiue pro alio, cui magis voluerit.

DIFFICVLTAS IV.

An quis poſſit vti priuilegijs bullæ ex eo, quòd ſciat, alium pro ipſo ſingulis annis eam accipere, antequã certior fiat de bulla ſuo nomine accepta?

Diana. Mendo. Remig. 16 Affirmant *Diana p. 11. tr. 8. reſ. 14. Mendo D. 2. C. 1. n. 3. Remig. prat. conf. tr. 7. C. 1. §. 8. n. 1.* alijque; atque adeo per iſtos Auctores, poterit hoc anno v. g. Titius vti priuilegijs bullæ, abſque eo quòd bullam neque ſumat, neque certior factus ſit, alium pro ſe bullam ſumpſiſſe, ſed ex eo præcisè, quòd eius parens, vel amicus ſoleat ſingulis annis pro ipſo bullam ſumere. ratio quorum eſt, quia in tali caſu, aiunt, Titius habet certitudinem moralem, eſſe iam pro ſe bullam ſumptam, ac proinde ſufficientem ad hoc, vt Titius poſſit vi illius abſolui à reſeruatis, &c. Idemque aſſerunt in caſu, quo quis promittat Titio, ſe pro illo accepturum eſſe bullam, etiam antequam certior factus ſit, bullam eſſe iam de facto ſumptam.

Galleg. Trullen. Auctor. 17 Negant tamen *Galleg. C. 14. clauſ. 14 d. 180. Trullen. l. 1. §. 1. d. 3.* alijque; & meritò; negamus enim inueniri certitudinem moralem in tali caſu, ſed dicimus illam eſſe meram coniecturam, ſeu præſumptionem de ſumpta bulla, & non aptam ad tollendam dubietatem; atq; adeo cùm poſſeſſio quoad omnia Cruciatæ priuilegia ſtet pro Eccleſia, vtiquè nequit fidelis talibus Cruciatæ priuilegijs vti, niſi vlterius probet, bullam Cruciatæ iam ſuo nomine eſſe ſumptam.

18 Neque dicas, poſſe me vti priuilegijs Cruciatę ex eo pręcisè, quòd ſeruus dicat, ſe accepiſſe pro me bullam; nam vel ſeruus eſt omni exceptione maior, & ſic tollit dubietatem; atque adeo cùm ſim certus, licèt neque phyſicè, neque metaphyſicè, ea tamen certitudine, quæ à prudentibus exiſtimatur ſufficiens ad tollendam, humano modo, omnem dubietatem, vtiquè concedo, me poſſe tunc vti Cruciatâ; at eſt longè diſpar ratio inter vtrumque caſum, vt patet. Quòd ſi ſeruus abſolutè non erit fide dignus, tunc nego, me poſſe vti Cruciatâ ex eo præcisè, quod talis ſeruus aſſerat, acceptam iam eſſe pro me bullam; patet ex dictis, nam in tali caſu ſum in dubio, & ſic melior eſt conditio poſſidentis: hîc autem poſſidet eccleſia (vt dictũ eſt) ergò mihi incumbit vlteriùs probare, bullam eſſe pro me ſumptam, ſi velim eius priuilegijs vti.

19 Confirmari poteſt noſtra opinio ex eo, quòd in iudicijs non ſtatim iudicatur hic, & nunc Titium furatum eſſe veſtem Caij v. g., etiamſi Titius ſolitus ſit furari; eſtò habeatur cõiectura, ac valida præſumptio; ergò etiamſi meus parens; ſeu

seu amicus solitus sit pro me sumere bullam, non ideo possum ea vti, nisi ipse parens, vel amicus, seu alius eorum nomine saltem mihi nunciet, esse iam meo nomine bullam Cruciatæ sumptam. Ex quibus satis patet ad rationem AA. in contrarium.

DIFFICVLTAS V.

An quis possit vtiliter Bullam sumere pro alio commorante in loco non per bullam priuilegiato?

20 Titius manens in Regno Siciliæ v.g. in quo bulla Cruciatæ publicatur, sumpsit bullam pro Caio commorante in Regno Neapolis, eamque illùc illi mittit: Quærimus in tali casu, An Caius possit vti tali bulla à Titio sibi missa?

Gomez. 21 Affirmant *Gomez apud Riccium infrà ci.* alijque Recentiores. quorum ratio est, quia præcipuus finis concessionis Cruciatæ est præstare subsidiũ Regi Catholico per pecuniam, quam fideles erogant titulo eleemosynæ talem bullam accipientes: iam talis finis habetur, etiamsi recipiens illam sit extra regna per eamdem bullã priuilegiata, ergò &c.

Lud. à Cru. Riccius. Villalob. Bardi. Auctor. 22 Negant tamen *Lud. à Cruc. D.1.C.1.d.3.n 4. Riccius in add. ad §.1.n.2. Villalob. clau.1 n.4. Bardi p.1.tr.2.C.3.n.16.* alijq; communiter DD. & meritò, nam bullæ Cruciatæ vsus expresse conceditur fidelibus sub conditione consistentiæ in locis, in quibus bulla publicatur, vel saltem ratione accessus ad eadem loca priuilegiata: iam in casu posito Caius, dùm pro ipso sumitur bulla, non inuenitur in locis priuilegiatis neq; per consistentiam, neque per accessum, (vt suppono) ergò nequit priuilegijs Cruciatæ frui.

23 Ad rationem verò AA. in cõtrarium Dico, finem præcipuũ concessionis Cruciatæ esse quidem subsidium Regis Catholici, non tamen vt sic, sed vt præstandum à fidelibus vel consistentibus, vel accedentibus personaliter ad loca per eandem bullam priuilegiata; cuius ratio est sola Sum. Pontificis voluntas, prout in reliquis priuilegijs discurrimus: Sum. autem Pontificis voluntatem esse istã, quam nos dicimus, satis patet ex hactenùs dictis.

24 Petes, An in casu posito, si Caius declinet deinde ad loca per Cruciatam priuilegiata, possit vti dicta bulla, inutiliter antea pro eo sumpta, vt dictum est?

25 Affirmant *Trullen. l.1.§.1. d. 3.n.3. & Bardi ci.n.28.* ac meritò; nam in tali casu videntur concurrere omnes conditiones necessariò requisitę ad hoc, vt bulla hæc prosit, vt est acceptatio bullæ, & in loco vbi ea publicatur: solutio eleemosynę iam taxatæ, vt suppono: ac rursus qui ea vtitur est in loco similiter priuilegiato, igitùr nõ est, cur is tali bulla non possit gaudere. Trullen. Bardi. Auctor.

26 Neque obstat, quòd ante accessum ad loca priuilegiata non potuerit Caius vti tali bulla; nã talis vsus tunc erat impeditus, ac in suspenso ratione defectus huius vltimæ conditionis; sicuti qui accipit delegationem, seu potestatem pro Sicilia extra illam, nequit vti tali delegatione, seu potestate, nisi vsquè dùm ipsam

ipsam Siciliam tangat.

DIFFICVLTAS VI.

An sumens bullam debeat necessariò in illa suum nomen inscribere, vt illius priuilegijs gaudeat?

27 RAtio dubitandi pro parte affirmatiua est, primo quia in eadē bulla sic præcipitur: *Vniuscuiusque nomen proprium debet in suscepto bulla Summario inscribi*; ac sub eodem tenore, sub quo dicitur, esse recipiēdam ipsam bullam; cùm igitùr susceptio bullæ sit omninò necessaria ad hoc, vt quis illius priuilegijs gaudeat, consequenter erit ad hoc similiter necessaria inscriptio in eadem bulla suscepta nominis proprij suscipientis. Secundò quia, idipsum præcipitur in instructione Commissarij Generalis, vt testatur *Perez de Lara l. trium grat fol. 222.*

Perez.

28 Negant tamen *Rodriq. §. 12. n. 16. Lud. à Cruc. D. 1. C. 1. d. 1. n. 4. Herriq. l. 7. C. 20. n. 5. Trull. l. 1. § 1. d. 4. n. 3. Villalob. tr. 27. clauf. 12 n. 23 Bardi p. 2. tr. 7. C. 2. n. 3.* & communiter DD. ac meritò; primò quia in bulla latina non fit mentio de tali inscriptione, neque in Summario ea sub tanto rigore præcipitur. Secundò, quia licèt ex quadam cōuenientia dicta nominis inscriptio apponi debeat in bulla, quæ sumitur (vt dicetur) attamen non videtur tanti momenti finis, vt ex defectu huius solius inscriptionis, tot bullæ priuilegia inutilia reddantur, saltem in foro conscientiæ. Tertio, quia sæpè Depositarij de facto tot bullas, quot quis voluerit, consignare solent absque vlla nominum inscriptione.

Rodriq. Lud. à cr. Herriq. Trullen. Villalob. Bardi. Auctor.

29 Ceterùm, ad euitanda aliqua incommoda, satis conuenienter dicta inscriptio erit apponenda; primo quia, nequis alterius Bullam in suum commodum vsurpet, saltem pro foro externo. Secundo quia, si sumens bullam ex hac vita decedat absque loquela, poterit sic in aliquo illi prodesse bulla suo nomine inscripta, præsertim tempore Interdicti, &c. vnde talis inscriptio benè præcipitur tàm in bullæ summario, quàm in instructionē Commissarii.

30 Ad rationes verò dubitandi patet ex dictis; ex quibus etiā patet, neq; necesse esse inscribere in illa nomen proprium, sed sufficere appellatiuum, vt v. g. Archiepiscopus Panormitanus, Dux Montisalti, &c. quantùm videlicet sufficiat, vt innotescat persona, quæ talem bullam sumpsit. imò siquis nolit suum proprium nomen in bulla apponere, poterit pro proprio aliud nomen fictum inscribere.

31 Demùm si Titius sumat bullam pro Caio, Caijque nomen etiam in illa inscribat, vtiquè si Caius nolit illam acceptare, poterit Titius delere in illa nomen Caij, & alterius nomen in eadem apponere, cui scilicet voluerit ipse Titius applicare, iuxtà supradicta in Difficultate 3.

DIF-

DIFFICVLTAS VII.

An Bulla necessariò debeat esse scripta, vel impressa, ac cum sigillo Commissarij Generalis, eiusque nomine munita?

32 Loquendo de Priuilegijs in cōmuni, conueniunt DD. non esse necessarium, vt priuilegia in inscriptis concedantur ad hoc, vt vim habeant in foro conscientiæ, sed statim ac ea, siue per verbum, siue per aliquod externum signum cōceduntur, incipere habere valorem: & meritò, primò quia ex *Clementina Dudum, de sepulturis*, omnia priuilegia diuiduntur in ea, quæ sunt verbo, & ea quæ sunt scripto concessa; & idem dicitur in *C. Institutionis 25. quæst. 2.* Probatur secundò ratione, quia totus valor priuilegij totaliter, & adæquatè pendet à voluntate Principis illud concedentis; atque adeo, nisi Princeps concedens priuilegium, illius valorē restringat ad scripturam, vtiquè priuilegiatus frui poterit tali priuilegio absque scriptura; nisi aliud in contrarium, etiam pro ipso foro conscientiæ, ab eodem Principe expressè statuatur.

33 Ceterùm in ordine ad forū externum, conueniunt similiter DD. necessariò requiri scripturam ad hoc, vt priuilegia in tali foro vim habeant, saltem regulariter loquendo. Et meritò, nam priuilegiatus tenetur publico, & authentico instrumento ostendere in tali foro gratiam à Principe sibi concessam; in quo quidem sensu intelligenda erunt Iura cùm dicunt, ad valorem priuilegij requiri scripturam.

34 Deueniendo autem ad Cruciatæ priuilegia, Dico, quòd licèt, præscindendo à quacunque dispositione in particulari, dicta Cruciatæ priuilegia secundùm ius commune (vt ex dictis patet) non indigeant scripto ad sui valorem, attamen stante dispositione facta in ipsamet bulla, nequeunt qui taxatam pecuniam erogabunt, gaudere gratijs, in eadem bulla contentis, nisi ipsam scripturā accipiant typis excusam, seu impressam, ac sigillo, & nomine ipsius Commissarij Generalis munitam; in qua quidem scriptura enumerentur gratiæ, & priuilegia, quæ illam recipientibus conceduntur: sic in ipsamet bulla expressè habetur his verbis: *Dichiariamo, che quelli, che la piglieranno, habbiano da riceuere, & conseruarsi questo Sommario, e Bolla, che è stampata, sigillata, e firmata di nostro nome, e sigillo, perche d'altra maniera non guadagnano detta Bolla, ne le gratie di quella.*

35 Quod iure factum est, tùm ne ipse priuilegiatus erret circa gratias sibi concessas, tùm etiā vt authenticè ostendere possit, qua potestate vtatur dictis gratijs; & quod magis est, vt quoad fieri possit, tollantur Depositariorū fraudes; quamuis contrà istos aliquam fraudē in bullarū distributione cōmittentes imponatur pœna maioris Excōmunicationis latæ sententiæ, ac triginta ducatorum pro quibusuis singulis bullis fraudulēter distributis; cuius pecuniarum

rum summæ vna tertia pars applicanda erit in subsidium sacræ expeditionis: altera verò pars, denunciatori: altera Iudici sententiam ferenti assignatur; ac demum ad omnia Cruciatæ officia inhabiles redduntur, vt videre est apud Perez de Lara ci.

DIFFICVLTAS VIII.

An possit dari casus obligans ad sumendam Bullam Cruciatæ?

36 CONueniunt DD. nulla esse necessitatem per se, & ordinariè loquendo, sumendi bullam Cruciatæ, nisi facta suppositione, quod quis velit illius priuilegijs gaudere, in quo sensu hactenùs loquuti sumus. Solùm igitùr hic quærimus, An in aliquo casu saltem per accidens & extraordinario, possit quis sub mortali obligari ad sumendam bullam Cruciatæ.

37 Et quidem in duplici casu videtur habere locum Difficultas: primus est, si quis in articulo mortis constitutus haberet peccata reseruata, & Sacerdos præsens, licèt approbatus, careret tamen iurisdictione circa reseruata, adesset tamen commoditas sumendi bullam Cruciatæ, vi cuius Infirmus posset absque vlla difficultate etiam à reseruatis absolui.

38 Secundus casus est, quandò in aliquo paruo Oppido non esset nisi Parochus, & alius simplex Sacerdos approbatus quidem, non autem quoad reseruata: pœnitens verò habens reseruata, habeat similiter sufficientem causam non aperiendi suo Parocho aliquod reseruatum; ex altera verò parte vrgeat præceptum sumẽdi Eucharistiam, & simul habeatur commoditas sumendi bullam. In vtroq; igitùr casu quærimus hic, an adsit obligatio sumendi bullam Cruciatæ, vt sic vi illius absoluantur etiam reseruata, adhùc directè.

39 Et quidem affirmant aliqui, saltem pro secundo casu quorum ratio est, quia quotiès vrget præceptum communicandi, totiès etiam vrget & præceptum aperiendi sacramentaliter peccata; neque quomodocunque, sed meliori modo, quo moraliter potest; iam in vtroque casu melior, imò facilior modus est sumere bullam, vi cuius Confessarius directè pœnitentem absoluat.

40 Absolutè tamen negãt *Herriq. l. 7. c. 13. n. 1. Trullen. l. 1. §. 1. d. 2. n. 2. & Bardi p. 2. tr. 8. c. 1. n. 17.* ac meritò; & quidem quoad primum patet, nam ex *Triden. sess. 14. c. 7.* in articulo mortis quilibet Sacerdos, etiã simplicissimus, habet ab Ecclesia plenissimam potestatem, ac iurisdictionẽ absoluendi quæcunque peccata quomodocũque reseruata, præsertim si absit quicunque alius Confessarius, qui iurisdictionem habeat etiam supra reseruata; ergò infirmus nullam necessitatem habet sumendi bullam ex hoc præcisè, vt eius vi à reseruatis directè absoluatur: quod enim de iure communi habetur, frustra per priuilegium inquiritur. *Herriq. Trullen. Bardi. Auctor.*

41 Quoad secundum casum etiam probatur, nam in tali casu pœnitens suæ obligationi

optimè satisfaciet, si omnia sua peccata adaperiat Confessario non habenti iurisdictionem circa reseruata, cum onere tamen se præsentandi quam primùm coram proprio Superiore; vel si Parocho malit sua peccata adaperire, poterit illud reseruatum; de quo adest rationabilis causa tacendi, tacere, prout cõmuniter DD. docent; & consequenter si optimè de iure cõmuni suo quisque oneri poterit satisfacere, non est, cur ad priuilegia recurrere cogatur.

42 Ad rationem verò dubitandi in contrariũ dico, esto obligemur meliori modo nostræ saluti consulere, sed semper sistendo in iure communi. Stet igitur nullam vnquã esse obligationem sumendi bullam, nisi ex suppositione quòd quis velit talis bullæ priuilegijs gaudere, vt dictum est.

DIFFICVLTAS IX.

Au Pauperes, qui ob summam paupertatem nequeunt sumere Bullam, possint illius gaudere priuilegijs?

Auctor. 43 NEgant cõmuniter DD. & meritò, nam cùm expresse in ipsamet bulla statuatur absolutè, & vniuersaliter neminem posse participem esse gratijs in dicta bulla contentis, nisi eadem bulla recipiatur, vt hactenùs etiam dictum (semper tamen exceptis ijs Personis, quæ vel personaliter ad Sacram Expeditionem eunt, vel alios ad illam mittunt iuxtà supradicta) consequens est, vt neque dicti Pauperes possint bullæ gratijs frui, nisi etiam cum effectu illam recipiant.

44 Quærere tamen quis hic vlterius posset, An Commissarius teneatur dare gratis huiusmodi pauperibus bullam, ne absq; eorum culpa, sed ob solam paupertatem priuentur tot Cruciatæ priuilegijs? Et quidem affirmat *Herriq. l. 7. C. 20.* vbi sic habet: *In Bulla magna originali monet Papa, ne exigant stipem à paupere; cui proinde Commissarius gratis dare debet.* Herriq.

45 Negant tamen *Riccius in add. ad §. 8. Bardi p. 2. tr. 2. C. 1. n. 52.* & communiter DD. ac meritò, nam ex vna parte, verba illa Pontificia allata ab Herriquez, non habentur in bulla, saltem quæ nunc promulgatur, atque adeo illius opinio, quamuis pia, nullo tamen nititur fundamento: ex altera verò parte nemo frui poterit priuilegijs bullæ absque bulla, ergò &c. An verò tales pauperes lucrentur saltem alias Indulgentias extrà bullam, dicetur Difficultate sequenti. Riccius. Bardi. Auctor.

DIFFICVLTAS X.

An Pauperes, qui ob summam paupertatem nequeũt sumere bullam, possint lucrari saltem Indulgentias extrà ipsam Bullam?

46 RAtio dubitandi pro parte negatiua est, & quidẽ maxima, quia in omni indulgẽtiarũ cõcessione sẽper apponitur tãquã cõditio sinequa nõ, & necessaria ad omnes indulgẽtias lucran-

lucrandas: *si Cruciatam susceperint*, iuxtà etiam supradicta Disp. 9. Q. 1. atque adeo nemo poterit absquè bulla lucrari Indulgentias, non solùm quæ in ipsa bulla continentur; sed neque quæ extra ipsam bullam conceduntur.

Bardi. Auctor. 47 Affirmant tamen *Bardi p. 2. tr. 1. C. 1. n. 54.* alijque, & meritò: valde enim inhumanum videtur priuare dictos pauperes omni prorsus Indulgentiarum genere, absque vlla ipsorũ culpa, sed ex eo solùm, quòd nequeant eleemosynam pro bulla erogare, ac supra paupertatis afflictionem, hanc etiam maiorem in spiritualibus superaddere afflictionem; satisque rationi dissonum est, vt tàm amplum Cruciatæ donum, in damnum spirituale miserabiliũ redundet, eosque longè peioris conditionis reddat, quàm sint alij mendici in alijs regnis non priuilegiatis per Cruciatam.

48 Adde, ex hoc nequaquam sequi posse aliquod inconueniens: nam siquis verè mendicus non est, sed reuera potest eleemosynam taxatam pro bulla erogare, sanè is tunc nullam Indulgentiam lucrari poterit, nisi reuera ipsam bullam suscipiat.

DIFFICVLTAS XI.

An Prælati Regulares possint prohibere subditis, ne sumant bullam Cruciatæ, aut illius vsum limitare?

49 DE Regularibus satis egimus supra Disp. 11. Q. 3. *Carolus Latius in Bull. Cruc.* per totam; ex quibus benè colligi poterit, quid circa præsentem Difficultatem dicendum erit; claritatis tamen gratià iuuat etiam hic, iuxtà DD. placita, illam distinctiùs exagitare.

50 Et quidem *Acosta q. 106. Villalob. tom. 1. sum. tr. 27. claus. 12. n. 29. & Diana p. 1. tr. 11. res. 99.* absolutè asserunt, Prælatos grauiter peccare prohibendo, ne subditi bullam Cruciatæ sumant. imò etiam addunt, quòd si Commissario Generali constiterit, nullos alicuius familiæ religiosos suscipere hanc bullam, deberet in tali casu super hoc diligenter inquirere, & apostolica auctoritate procedere contra talis familiæ Prælatos, vsum Cruciatæ omninò prohibentes. *Acosta. Villalob. Diana.*

51 Medià tamen vià hic incedendum puto: & quidem si loquamur de Prelatis illarum Religionum, quarum professi nequeunt vllo Cruciatæ priuilegio vti, absque expressà proprij Prælati licentià, quales sunt Iesuitę, non apparet profectò, vnde illorum Prelati peccarent, & presertim grauiter, si absolutè omnibus, ac singulis ipsorum subditis prohiberent vsum Cruciatę, absque expressa eorumdem licentia; facerent enim hoc ex vi ipsorum priuilegiorũ, & consequenter Apostolicà auctoritate. ceterùm in dicta Religione Soc. Iesu, vt notat *Valerus in diff. vtriusq; fori V. Bul. Cru. dif. 1. n. 2.* non prohibetur vsus Cruciatę, nisi quoad facultatẽ eligendi Confessarium. *Auctor. Valeri*

52 Si verò loquamur de Prelatis reliquarum Religionũ quarum professi possunt absolutè vti

vti Cruciatæ priuilegijs, vno solo excepto, nempè priuilegio eligendi Confessarium, (iuxtà supradicta lo. ci.) vtiq; concedo, grauiter peccare Prælatos talium Religionum, si absolutè, ac generaliter vsũ Cruciatæ suis subditis prohiberent; facerent enim contra liberalem voluntatem Sum. Pontificis in re graui, & insuper diminueretur magna ex parte subsidium Regis Catholici contra Infideles; ceterùm si solùm prohiberent ipsorum subditis bullã Cruciatæ quoad solam facultatem eligendi Cõfessarium, nullo modo peccarent, imò satis benè facerent; nihil enim aliud facerent, nisi Sum. Pontificis intentionem quoad vsum Cruciatæ explicare, iuxtà supradicta.

53 Atque hæc satis sint circa susceptionem bullæ; accedendum nunc ergò est ad alias cõditiones necessariò requisitas, ad eiusdem bullæ iam susceptę valorem.

QVÆSTIO II.

De Qualitate Eleemosynæ erogandæ pro præsentis Bullæ receptione.

IN §. IX. habetur secunda conditio, nempe eleemosyna, sub qua Cruciatæ priuilegia conceduntur; de hac igitùr eleemosyna dicendum est, Qualis, ac Quanta esse debeat: & quidem in præsenti de eius qualitate, in sequenti verò Questione de eiusdem Quantitate dicemus.

DIFFICVLTAS I.

An liceat contribuere pecuniam pro præsentis Bullæ receptione?

1 RAtio dubitandi pro parte negatiua est, quia da re aliquid tẽporale pro re spirituali, vel saltem coniuncta cum re spirituali, siue sit emptio, siue venditio, siue locatio, siue permutatio, eo ipso quod nõ est gratuita, est Simonia contrà Ius etiam Diuinum, vt omnes DD. concedunt; cùm igitur bulla Cruciatæ ex vna parte sit quid spirituale, vel saltem quid necessariò annexum cum re spirituali, ratione Indulgentiarum, quas continet: ex altera verò parte bulla ipsa nõ detur gratis, sed cum expresso pacto antecedẽti, atque onere soluendi certam aliquam pecuniam, consequenter videtur, quod tàm illã dans, quàm illam recipiens committat Simoniam realem & sic non liceat cõtribuere pecuniam pro recipienda dicta bulla.

2 Neque valet reccurrere ad dispensationem Sum. Pontificis, nam quamuis Sum. Pontifex possit dispensare Simoniæ quæ est contra Ius humanum, & etiam Canonicum, cuiusmodi est permutatio rei spiritualis, cum alia re spirituali, v.g. vt vnum Ecclesiasticum Beneficium permutetur cum alio Beneficio similiter ecclesiastico; nequit tamen Sum. Pontifex dispensare in Simonia, quæ est contra Ius Diuinum, qualis est quælibet non gratuita permuta-

mutatio rei spiritualis cum re temporali, vt dictum est.

3 Cum toto tamen hoc conueniunt communiter DD. nullam hic prorsus inueniri Simoniam, neque contra Ius Diuinum, neque contra ius humanum, seu positiuum. Et meritò, nam vt benè docet *S. Th. in 4. D. 20. Q. 1. ar. 3. q. 3.* (loquens de Indulgentijs, quæ aliquando conceduntur sub onere soluendi aliquam eleemosynam) quamuis temporale per se spectatum nequeat absquè Simonia permutari cum re spirituali, attamen idem temporale vt ordinatum ad finem spiritualem, licitè poterit permutari cum re spirituali, & præsertim quando ita à Sum. Pontifice disponeretur. *Auctor. S. Thom.*

4 Iam verò bulla Cruciatæ nõ conceditur à Pontifice pro pecunia vt sic, & tanquam pro pretio, sed pro pecunia iam ab eodem Sum. Pontifice ordinata ad finem spiritualem, nempè in bonum S. Ecclesiæ, quatenùs his eleemosynis ex Cruciata collectis subuenitur Regi Catholico cõtra infideles, aliosque Catholicæ fidei hostes, ne eiusdem Ecclesiæ pacem illi pertubent, & consequẽter nulla hic interuenit Simonia contra ius Diuinum, eò quia (vt dictum est) pecunia, quæ erogatur pro hac bulla, ratione finis spiritualis, ad quem ordinatur, veluti spiritualizatur; multòq; minùs interuenit Simonia contra ius humanum, & positiuũ vt patet; interuenit enim Sum. Pontificis dispensatio; ex quibus satis patet ad rationem dubitandi in contrarium.

5 Erogare igitur pecuniam pro Cruciata capienda, non solùm licet, verùm etiam est actio absolutè valde sancta, ac pia, cùm valde pium, ac satis gloriosum sit ordinare temporalia ad bona spiritualia, æternaque capessenda.

DIFFICVLTAS II.

An Bulla validè sumatur ex pecunijs turpi lucro acquisitis, vt meretricio, assassinio, lenocinio, vsura, & huiusmodi?

6 NEgare absolutè videtur *Rodriq. §. 1. add. d. 7.* primò quia *Deut. 23. habetur: Non offeres mercedem prostibuli in domo Domini Dei tui.* Secundò quia Eleemosyna hæc, pro bulla sumenda, debet esse ex bonis à Deo collatis (vt expressè in eadem bulla dicitur) huiusmodi autem non videtur esse pecunia ex peccato prouenìens, quatenùs contra Dei voluntatem fuerit acquisita. *Rodriq.*

7 Affirmant tamen *Riccius in add. ad §. 7. n. 2. Acosta q. 12. Lud. à Cruc. D. 1. C. 1. d. 7. n. 4. Trull. l. 1. §. 3. d. 1. n. 10. Bardi p. 2. tr. 1. C. 1. n. 27.* alijque communiter DD. & meritò, quia meretrix verum dominium acquirit in huiusmodi pecunijs, vt constat ex *L. Item si ob stuprum, ff. de Condit. ob turp. caus.* & omnes concedunt, ergò nihil obstat, quin possit ex dictis pecunijs bullã fructuosè recipere, sicuti similiter poterit pauperibus subuenire, aut alijs pijs operibus, cũ suo maximo spirituali profectu, applicare. *Riccius. Acosta. Lud. à cr. Trullen. Bardi. Auctor.*

8 Idem dicẽdum est de Assassinis

sinis, Lenonibus, & similibus, dummodo dominium pecuniæ transeat in delinquentem. hinc Vsurarius, cùm nullum dominium acquirat in pecuniam vsura acquisitam, consequenter inualidè, & inutiliter sumeret tali pecunia bullam (dummodò tamen non habeat, vnde aliundè restituere possit) vt meliùs ex Difficultate sequenti constabit, vbi de fure agemus.

9 Ad primam autem rationem in contrarium Dico cum *Soto l. 9. de Iust. q. 3. ar. 5.* in Veteri lege offerre mercedem prostibuli prohibitum fuisse de Iure positiuo, quod Christi morte iam expirauit, sicuti & reliquæ illius legis ceremoniæ. *Sotus.*

10 Ad Secundam verò dico, pecuniam à meretrice, ac ab alijs similibus personis pro bulla erogatam, absolutè esse ex bonis collatis à Deo, cui quamuis displiceat peccatum, placet tamen solutio mercedis, vtpotè actus iustitiæ.

DIFFICVLTAS III.

An Bulla validè sumatur pecunijs furtiuis?

11 ABsolutè negant *Trullen. l. 1. §. 3 d. 1. Lud. à Cruc. D. 1. C. 1. d. 7. Acosta q. 12. Vega cas. 5. Nuñus in 3. p. 10. 2. Diana p. 1. tr. 11. res. 101.* alijque communiter DD. quorum ratio est, quia in eadem bulla apertè dicitur, dictam eleemosynam solui debere ex bonis à Deo collatis ipsi suscipienti: pecunia autem furtiua non est ex bonis à Deo collatis respectù furantis. *Trullen. Lud. à Cr. Acosta. Vega. Nuñus. Diana.*

12 At *Bardi p. 2. tr. 1. C. 1. nu. 17.* ita distinguit: Si fur præter pecuniam furtiuam nihil aliud habet, itaut sumendo bullam, reddatur vndequaquè impotēs ad faciendam restitutionem, vtiq; in tali casu nihil proderit bulla, vt satis probat ratio supra allata, quousquè ipse Dominus pecuniæ significet furi iam se ratum habere tale furtum, vel restitutio aliundè fiat; extra quā ratihabitionem, seu compensationem concedunt cōsequenter DD. posse dictum Dominū pecuniæ vti iure suo, nempe auferre à Fure bullā sumptam suis pecunijs, & eiusdem bullæ priuilegijs frui. *Bardi.*

13 Si verò fur fuerit aliundè potens ad restituendum, saltem post aliquod tempus, tunc validè bullam sumeret, & illius priuilegijs consequenter gauderet. & meritò, nā pecunia cū sit de illis bonis, quæ non in indiuiduo, sed in specie restituere teneamur, vt est Vinū, Oleum, Triticum, & huiusmodi, consequenter idem erit restituere eamdem numerò pecuniam, ac diuersam, dummodò sit eiusdem valoris, &c. atq; adeo idem erit (formaliter loquendo) sumere bullam pecuniā furtiuā, ac alia sub proprio dominio contentā, & præsertim si fur ita permisceat pecuniam furtiuam cum propria, vt vna nequeat ab altera discerni. quarè in tali casu licèt bulla, materialiter loquendo, sit ex furto, seu ex alterius bonis, attamen æquiualenter, seu formaliter benè dici poterit ex bonis ipsi furi à Deo collatis; dummodò fur lucraturus Indulgentias bullæ pecuniā furtiuā susceptæ, habeat expressam voluntatem restituendi suo tēpore de reliquis suis bonis. *Author.*

14 Si-

14 Similiter est dicendum, si fur per modum mutui, hoc est cũ animo postea restituendi surripiat pecuniam, qua bullam sumat, nam mutuum cùm sit species contractus (vt benè notat Bardi ci.) debet necessariò continere omnia essentialia cõtractus in genere: contractus autem vt sic inuoluit essentialiter consensum vel explicitum, vel saltem implicitum vtriusq; contrahentis; cùm igitur in dicto casu nullus habeatur consensus domini pecuniæ (vt supponitur) consequenter dicta ablatio pecuniæ nequit habere rationem mutui, nec alterius contractus, & sic talis pecunia semper remanebit sub dominio ipsius domini, ac si absolutè surriperetur.

15 Quòd si supponamus, furem in casu posito prudenter existimare, ratam fore domino pecuniæ talem subreptionem, vtiquè tunc, posita tali ratihabitione, iam supponitur consensus saltem implicitus ipsius domini pecuniæ, & per cõsequens dicta pecunia transiret in dominium surripientis, ac proinde sumendo bullam dicta pecunia, verè ex bonis à Deo collatis illam sumeret, & consequenter validè, & vtiliter.

16 Ex dictis colligitur, id ipsũ dicendum esse de bulla sumpta pecunijs vsura acquisitis, vt supra etiam n. 8. adnotaui. an verò id etiam dicendum sit, de bulla sumpta pecunijs partim proprijs, partim furtiuis, infra dicetur?

DIFFICVLTAS IV.

An Bulla validè sumatur pecunia, quæ sit partim propria, partim furtiua?

17 Casus iste tripliciter contingere potest; primò vt pecunia furtiua sit maior quàm propria: secundò vt sit maior propria, quàm furtiua: ac tertiò vt tàm sit propria, quàm furtiua. dubitari tamen solùm potest in secundò casu, quo pecunia propria sit longè maior quàm furtiua.

18 Et ratio dubitandi est, quia cùm denominatio sumatur à potiori parte; e.g. triticum absolutè dicitur triticum, licèt admixtas habeat aliquas paleas seu lolium: similiter vinum dicitur absolutè vinum, licèt admixtam habeat aliquam partem aquæ, &c. sic & pecunia, qua sumitur bulla, licèt habeat admixtam aliquam partem furtiuam, absolutè tamen dici poterit sumi ex bonis à Deo collatis, & consequenter poterit vtilis esse bulla.

19 Negandum tamen puto, nã Sum. Pontifex concedit bullã sub tali determinata eleemosyna indiuisibiliter sumpta ex bonis à Deo collatis, atque adeo si talis pecunia contineat aliquam partem furtiuam, sanè non poneretur adæquatè conditio necessaria sub qua, & sic inutilis esset talis bulla; sicuti Indulgentiæ, quæ per visitationem quinque altarium indiuisibiliter conceduntur, sanè nõ acquiruntur per visitationem tantùm quatuor. & hoc facta *Auctor.*

sup-

suppositione, quod sumens bullam absolutè non habeat, vnde restituat, iuxta supradicta. Ad rationem verò dubitandi in cõtrarium, Dico, eam non valere in his rebus determinatè sumptis.

DIFFICVLTAS V.

An si in ipsa Bulla non apponeretur illa cõditio, nempè (vt ea sumatur ex bonis à Deo collatis) tunc vtiliter pecunia furtiuâ bulla sumeretur?

20 Ratio dubitandi pro parte negatiua est quia in *C. non est putanda, 1. q. 1.* apertè dicitur: *Malè accipiens, vt benè dispenset, potiùs grauari, quàm iuuari. & Ecclesi. 34.* ait Spiritus Sanctus: *Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata*; ergò etiãsi Sum. Pontifex dictam clausulam in ipsa bulla non apposuisset, adhuc fur, (& idem dico de vsurario) non gauderet huius bullæ priuilegijs; aliàs non grauaretur, sed iuuaretur.

21 Affirmant tamen *Lud. à Cru. D. 1 C. 1. d. 7. n. 7. & Bardi p. 2. tr. 1. C. r. n. 29.* ac meritò, nam qui obtinet à Nuncio, vel à Sum. Pontifice aliquod priuilegium seu dispensationem, vel quid simile, mediante pecunia furtiua, vtiquè validè tale priuilegium, seu talem dispensationẽ obtineret; ergò nisi in ipsamet bulla apponeretur talis clausula, nempè vt bulla sumatur ex bonis à Deo collatis, sanè & validè, & vtiliter illa sumeretur, etiamsi pecuniâ furtiuâ sumeretur.

Lud. à Cr. Bardi. Auctor.

22 Ad rationem autem dubitandi in contrarium Dico primò, non mortaliter peccare (per se loquendo) qui furatur duo realia, quibus bullã sumat, vt omnes DD. admittunt. Dico secundò, quòd licèt fur grauetur ratione commissi furti, non inde tamen sequitur, non posse in aliquo iuuari, vt ex allata paritate satis patet.

DIFFICVLTAS VI.

An si quis furetur bullã, illamq; pro consueta pecunia det alteri, qui tale furtum ignoret, an is talis Bullæ priuilegijs gaudeat?

23 Panormi, prout refert Bardi infrà citãdus, quidam surripuerũt à Depositario quãplures bullas, easque alijs furtum nescientibus dabant, etiã pro minori pretio: quæsitum fuit, An sumentes ex ijs bullis illarum priuilegijs gauderent.

24 Et quidem ratio dubitandi pro parte affirmatiua est, quia qui ex dictis bullis sumpserũt, bona fide processerunt, ac totum id, ad quod ex se tenebantur, adimpleruut, soluendo scilicet eleemosynam; atq; adeo non videbantur fraudandi à Cruciatæ priuilegijs, eademq; erit ratio, seu difficultas in casũ, quo quis distribueret fidelibus bullas falsas pro veris.

25 Negat tamen *Bardi p. 2. tr. 1. C. 1. n. 67.* & meritò, nam Sum. Pontifex cõcedit hanc bullam sub conditione determinatã oneris, videlicet eleemosynæ soluendæ in subsidium Cruciatæ; ac proinde tali conditione non

Bardi. Auctor.

non poſita, non habetur finis intentus à Pontifice, vt ſcilicet cum effectu applicetur talis eleemoſyna in ſubſidium dictæ Cruciatæ, & propter quem finem primariò, & formaliter conceditur ipſa bulla; & ſic, cùm in caſu poſito, hoc non habeatur, vt patet, conſequens eſt, vt talis bulla reddatur inutilis.

26 Ad rationem autem dubitãdi in contrarium Dico, bonam fidem non poſſe ſupplere conditionem, ſub qua neceſſariò ipſa bulla conceditur vt dictũ eſt; prodeſſe tamen poterit, inquantùm vi talis bullæ, quæ fructuoſa exiſtimabatur, excuſantur comedentes cibos prohibitos, petentes abſolutionẽ à reſeruatis, quamuis reſeruatio reuera non fuerit ablata, neque peccata remiſſa, niſi ad ſummũ indirectè, &c. Id ipsũ dicendum in caſu, quo quis diſtribueret fidelibus bullas falſas pro veris; quodſi hoc fieret ab ipſo Cominiſſario, ſeu ab eius Miniſtris, in tali caſu me remitto ad ea, quæ dicta ſunt ſuprà Q. 8. à n. 6.

27 Dices, ex dictis ſequi videtur, non prodeſſe fidelibus bullas, niſi cum effectu à Rege Catholico applicentur in ſubſidium Cruciatæ, omnes illæ eleemoſynæ, quæ ex bullis colliguntur: pro quo ſit:



DIFFICVLTAS VII.

An ſi Rex non applicaret lucrum prouenies ex Cruciata pro Sacra expeditione, adhùc eſſet vtilis ipſa bulla Cruciatæ fidelibus?

28 Ratio dubitãdi pro parte negatiua eſt, quia, vt ſupra dictum eſt, Sum. Pontifex concedit hanc bullam in ſubſidium Cruciatæ, ſeu ſacræ expeditionis contra Turcas, aliaſque Infideles; ergò ſi ſemel Rex Catholicus expenderet, & conſumeret in alios vſus, & præſertim vanos, lucrum ex tali bulla proueniẽs, non haberetur finis à Pontifice intentus, & per conſequens nulla, ac inutilis redderetur bulla ſumpta talibus pecuniis.

29 Affirmant tamen *Bardi p. 1. tr. 2. C. 1. nu. 9. Mendo hic in append. C. 2. n. 9. Diana p. 11. tr. 2. reſ. 49.* alijque, & meritò, nam quamuis Rex conſumeret totam pecuniarum ſummam ex Cruciatam collectam in vſus adhùc vanos, & illicitos, adhùc tamen haberetur totus finis à Pontifice in hoc proximè intentus; probatur; nam ſemper Rex ex tali ſubſidio redditur potentior contra Infideles; & ſic, quamuis pecunia proueniens ex Cruciata ſi materialiter ſumatur, vere in vſus vanos inſumatur, attamen formaliter, ſeu æquiualenter pro ſacra expeditione ſeruatur, quatenùs dùm Rex conſumit in vanos vſus hanc Cruciatæ pecuniam, ſanè loco iſtius ſeruat pro dicta ſacra expeditione, ex proprio theſauro, toti-

Bardi. *Mendo.* *Diana.* *Auctor.*

dem pecuniarum summam, alioqui consumendam in dictos vanos vsus.

30 Petere tamen quis vlteriùs hic posset, An si Rex ita insumeret in vsus vanos dictam pecuniam ex Cruciata collectam, vt nullo modo foret in tales vsus aliquid de proprio consumpturus, nisi Cruciatæ subsidium expectaret, an tunc vtilis esse bulla? facit mihi quidem difficultatem; verũ enimuerò, cùm Serenissimus noster Rex Catholicus pro catholicæ Fidei defensione penè immensos thesauros tam liberaliter profuderit, non est, cur diutiùs in hoc per curiositatem immoremur.

DIFFICVLTAS VIII.

An Bulla Cruciata creditò sumi possit?

31 RAtio dubitandi pro parte negatiua est, quia actualis solutio supradictæ eleemosynæ poni videtur in eadem bulla tanquam conditio sine qua non, dùm dicitur: *E perche voi N. N. hauete dato due reali &c. vi si concedono le sopradette indulgenze &c.* quæ quidem verba, cùm nequeant verificari de illo, qui creditò bullam sumit, necessarium consequenter videtur, actualiter dictam eleemosynam esse soluendam.

32 Affirmant tamen communiter DD. & meritò, vt ex praxi satis constat; probatur etiam ratione, quia verè virtualiter idem est actu soluere dictam eleemosynam, ac se obligare ad illam soluendã post aliquod tempus, quamuis formaliter differant secundùm priùs, & posteriùs. non erit igitùr necessaria actualis solutio dictæ eleemosynæ, sed sufficit simplex obligatio soluendi *illam* infra aliquod tempus; dummodò Depositarius sit contẽtus dictæ simplicis obligationis vel eius, qui bullam sumit, vel alterius fideiussoris.

33 Ad rationem autem dubitãdi in contrãrium Dico, ex citatis bullæ verbis colligi solã, ac meram obligationem soluendi taxatam eleemosynam, *vt sic*, hoc est præscindendo ab actuali, seu credita solutione; dummodo semper habeatur voluntas soluendi; aliter esset furari bullam, de quo *satis egimus* supra *Difficultate 3*.

34 *Siquis igitur* initiò habeat animum soluendi, postea verò mutet hanc bonam voluntatem, eo ipso desinit gaudere priuilegijs Bullæ, cùm eo ipso, ac statim incipiat esse fur bullæ; nisi bullarum Depositarius eum non deobliget, in quo casu ipse depositarius tenetur pro illo tunc soluere. è contrà, siquis initiò non habeat animũ soluendi, postea verò mutet hãc malam voluntatẽ, eo ipso, ac statim incipit bullæ priuilegijs gaudere; ac similiter si pluries talis soluendi animus mutetur.

DIFFICVLTAS IX.

An qui creditò bullam sumpsit, si tempore præfixo inueniatur impotens ad soluendã, desinat tempore impotentia gaudere bullà?

35 RAtio dubitandi pro parte affirmatiua est, quia adue-

adueniente impotentia ſoluendi, ſtatim etiam videtur ceſſare ſolutio virtualis, quæ in ſola potentia ſoluendi videtur fundari; & conſequenter deſinet gaudere priuilegijs bullæ.

Bardi. 36 Negat tamen *Bardi p.2.tr.1. C.1.n.59.* dummodo tamen is ſemper habuerit animum ſoluendi. & meritò, nam ea impo-

Auctor. tentia ſuperueniens ſe habet ad hoc omninò per accidens, manetque ſemper obligatio reſtituendi; vnde poſito animo ſoluendi quãdocunque fuerit potens, ſemper habebitur ſolutio virtualis ſaltem radicalis, eſtò non habeatur formalis, & ſic non obſtante tali impotentia gaudebit bulla.

37 Hinc ſimiliter gaudebit priuilegijs bullæ, ſiquis illam ſumeret pecunia enumerata, & poſtea furaretur ab ipſo Depoſitario v.g. tria realia, dummodo non furetur dicta realia animo reſarciendi pecuniam pro bulla erogatam; nam ſic idem eſſet, ac ſi ipſam bullam à Depoſitario furaretur, ſeu furtiua pecunia bullam ſumeret, de quo ſatis dictum eſt.

38 Ex dictis colligitur, quòd qui creditò bullam ſumit, debet tunc prudenter, ac probabiliter exiſtimare, ſe aliquando intrà præfixum tẽpus fore potentem ad ſoluendum; aliter non poterit gaudere priuilegijs bullæ; nam qui prudenter exiſtimat, ſe nunquam fore potentem ad ſoluendam taxatam eleemoſynam, neque per ſe neque per alium, impoſſibile ſanè eſt, vt is habeat efficacem voluntatem ſoluendi dictam eleemoſynam, atque adeo ex nullo capite haberetur ſolutio virtualis, ſed abſolutè diceretur bullam furari.

QVÆSTIO III.

De Quantitate Eleemoſynæ erogandæ pro præſentis Bullæ receptione.

DIFFICVLTAS I.

Quantanam ſit Eleemoſyna pro Bulla elargienda?

1 Eleemoſyna pro Bulla elargienda non taxatur à Sum. Pontifice, ſed illam taxandam liberè remittit arbitrio Commiſſarij Generalis ipſius bullæ Cruciatæ, qui pro diuerſitate perſonarum, ac locorum, diuerſam taxat eleemoſynam.

2 Et quidem pro Cardinalibus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus Epiſcopalem iuriſdictionem habentibus, Inquiſitoribus, Cathedralis Eccleſiæ Dignitatibus: item ex Laicis, omnibus vaſſallorum Dominis, eorumque vxoribus, ac demùm pro omnibus, qui officio, ſeu præeminenti aliqua dignitate ſæculari fulgent, octo realia taxantur, hoc eſt, decem tareni, & grana decem ex moneta noſtrate, prout videre eſt in Inſtructione dicti Commiſſarij Generalis intitulata, *Forma ſeruanda in adminiſtratione huius Bullæ &c.* pro reliquis verò perſonis priuatis, duo

Carolus Latius in Bull. Cruc.

duo tantùm realia taxantur, vt habetur in Sũmario Italico: sic: *Perche Voi hauete dato due reali d'argento, che è l'elemosina taxata, &c.* hoc est, duo tareni, & grana duodecim cum dimidio; & hoc profectò in Hispaniarum Regnis, ac reliquis in Europa degentibus. pro Indijs verò est alia maior summa taxata, quæ etiam videri poterit in supradicta forma.

3 Verùm, quia adhùc nonnulla dubia insurgunt circa quantitatẽ istius eleemosynæ, præsertim à vassallorum Dominis elargiendam, ideò per sequẽtes Difficultates distinctè ea omnia soluenda erunt.

DIFFICVLTAS II.

An duo, vel tres habentes simul dominium vnius Oppidi, teneantur singuli octo realia soluere?

4 NEgant *Trullen. l. 1. §. 3. d. 1. n. 13 & Bardi p. 2. tr. 1. C. 1. n. 33.* dummodò vnusquisque separatim non soluat pro sua parte, seu rata minùs duobus realibus. primò quia, aiunt, neuter horum seorsim acceptus dicitùr absolutè Dominus, sed cum relatione ad alium. Secundò quia ex integro dominio vnius Oppidi, non debentur nisi octo realia, ergò ambo nõ tenentur soluere nisi simul octo realia, si vero vterque teneretur soluere octo realia, iam ex vno dominio soluerentur sexdecim realia, quod non videtur asserendum. *Trullen. Bardi.*

5 Affirmandum tamen puto, singulos istorum octo realia debere pro bulla soluere, siue vna pars Oppidi sit vnius, altera verò alterius; siue simul, & indiuisim Oppidum possideant. primò quia non video, cur istorũ singuli verè, ac propriè nequeant dici vassallorũ Domini, & sic vt tales tenẽtur soluere singuli, ac diuisim octo realia. vnde corruit prima in contrarium ratio, quæ ipsimet Bardi non videtur firma.

6 Ad secundã verò, quæ meo iudicio est primà infirmior, Nego, ex vno integro dominio vnius Oppidi non posse solui sexdecim realia; patet, nã etiam vir, & vxor pro vno dominio tenentur soluere sexdecim realia, vt ex communi cõsensu infra dicemus. Eo ipso igitùr, quòd quis habet sub se vassallos, tenetur soluere pro bulla octo realia, vt supra dictum est. & ratio veluti à priori est, quia in hoc spectatur personarum dignitas.

DIFFICVLTAS III.

An vxores Dominorum vassallorum, nullam habentes bonorum administrationẽ, ad hùc teneantur soluere octo realia?

7 NEgat *Herriq. l. 7. C. 20. n. 14.* cuius ratio est, quia Vxor Domini vassallorum, si nullam prorsus habeat bonorum administrationem, æquiparari videtur vxori Domini priuati, ac consequenter non videtur maiori summa grauãda, quàm reliquæ fœminæ priuatæ, nempe duorum realium. *Herriq.*

Affir-

Trullen, Bardi. Auctor.

8 Affirmant tamen *Trullen. l. 1. §. 3. d. 1. n. 14. & Bardi p. 2. tr. 1. C. 1. n. 38.* ac meritò, nam apertè, & absolutè in eadem bulla habetur, quòd vxores Dominorum vassallorum teneantur soluere pro ipsa bulla octo realia; ergò non est, vnde nos distinguamus, si habeant, necne bonorum administrationem.

9 Quòd autem dictæ Vxores æquiparentur quoad hoc fœminis priuatis, id quidē minimi æstimari debet respectù aliorum bonorum, & honorū, quibus eædem fruuntur, atque adeo ferè nihil ipsis erit aliquid plus pro bulla contribuere supra id, quod reliquæ fœminæ priuatæ pro eadem bulla contribuunt; vnde patet ad rationem Herriquez in contrarium.

10 Ex quibus etiam colligitur, quòd quamuis supradictę vxores à suis maritis per diuortiū separentur, adhùc ad dictam summam octo realium illas teneri; eo quia adhùc semper verum erit dicere, eas esse verè, ac propriè vxores Dominorum habentium vassallos.

DIFFICVLTAS IV.

An Vxores Dominorum Vassallorū teneantur soluere octo realia adhuc mortuis maritis, & in statu viduitatis?

11 VXores Dominorum habentiū vassallos tenentur soluere pro hac bulla octo realia, sicuti & earū mariti, ipsis tamen viuentibus maritis, sic apertè habetur in supradicta forma administrationis bullæ his verbis: *Y la mugeres de los seglares de todos los estados ya dichos viuiendos sus maridos ayan de dar, y den de limosna cada vna de las dichas personas ocho reales &c.* ergò mortuis maritis, non tenentur ampliùs soluere in statu viduitatis totā dictam summam octo realium, saltem absque vllo vassallorum dominio relinquuntur.

12 Dubitari tamen potest, An si dictæ viduæ relinquantur à maritis vsufructuariæ, teneantur tunc similiter octo realia pro bulla soluere, ac si viuerent mariti?

13 Affirmant *Trullen. l. 1. §. 3. d. 1. nu. 12. & Bardi p. 2. tr. 1. C. 1. nu. 37.* ac meritò, quia in tali casu verè dicuntur vassallorum Dominæ, & consequenter habetur qualitas, seu dignitas status, ratione cuius taxantur octo realia pro bulla capienda.

Trullen. Bardi. Auctor.

DIFFICVLTAS V.

An Fœmina vassallorum Domina, si matrimonio non sint coniuncta, teneantur etiam octo realia soluere?

14 RAtio dubitandi pro parte negatiua est, quia quotiès Commissarius Generalis in dicta sua instructione loquitur de personis, quæ ad eleemosynam voto realium obligantur, totiès sub genere masculino illas designat; & quando de feminis loqui-

quitur, ad vxores Dominorũ vassallorum dictam obligationem restringit, vel ad summũ ad viduas relictas à supradictis viris, iuxtà supradicta n. 13. cùm igitur in odiosis, vt est præsens obligatio soluendi maiorem summam, non compræhẽdatur femininum sub mascolino, consequens est, vt feminæ Dominę vassallorum; quæ neq; sunt, neque vnquam fuerunt matrimonio coniunctæ, non teneantur ad hanc maiorem summam octo realium.

15 Affirmant tamen communiter DD. & meritò, primò quia de facto, & in praxi dictæ feminæ soluunt pro bulla octo realia. probatur secundò ratione, quia hic attenditur qualitas personarum, non sexus, vt etiã supra notatum est. *Auctor.*

16 Ad rationem autem dubitandi in cõtrarium *Dico*, quòd etiam in dispositione legum odium continentium, vt sunt leges pœnales, sub masculino etiam femininum intelligitur, vt benè docet *Tiraquel. in retractat. p. 1. Glos. 9. n. 22 n. Decius in reg. Femina n. 110. ff. de reg. iur. Merolla to. 1. D. 1. C. 2. n. 536.* & alij; ergò etiamsi obligatio ista ad maiorem summam odiũ contineat, benè tamen etiam ad feminas extenditur. ceterũ concedo sub nomine significãte solos masculos, vt si dicatur [Viris, aut Masculis concedimus, seu mandamus hoc, &c.] non contineri feminas; sed hoc non habetur in casu præsenti, vt patet ex quibus etiam patet ad dictam rationem dubitandi in contrarium. *Tiraquel. Glossa. Decius. Merolla.*

DIFFICVLTAS VI.

An Titulati absque Vassallis teneantur soluere pro Bulla octo realia?

17 NEgant *Bardi p. 2. tr. 1. C. 1. n. 46.* alijque, & meritò, nam in dicta Instructione Commissarij personæ, quæ obligantur ad octo realia, designantur per hoc, nempè vt habeant Vassallos, sic: *V. Señores de Vassallos*, ergò si Barones, Comites, Marchiones, Duces, & similes non habent vassallos, non tenentur, nisi duo realia soluere: & è contra si quis haberet vassallos, etiãsi careat Titulo, teneretur tamen octo realia soluere. *Bardi. Auctor.*

18 Hinc si Dominus vassallorũ renunciet alteri Dominium, etiamsi sibi retineat Titulum, à puncto tamen renunciationis non tenetur ampliùs soluere pro bulla nisi tantùm duo realia: è contra verò Renunciatarius, etiamsi sit absque vllo titulo, tenebitur tamen octo realia soluere, eo quia vi renũciationis est verè, ac propriè Dominus Vassallorum.

DIFFICVLTAS VII.

An qui tenetur soluere octo realia, si sumat eodem anno secundam Bullam, teneatur soluere itidem octo realia?

19 NEgat *Herriq. l. 7. C. 20. n. 3.* aitque nõ teneri nisi ad sũmã ordinariã, nẽpe ad duo realia *Herriq.*

realia; idque non aliunde probat, nisi ex præsumpta intentione ipsius Commissarij.

Trullen. Bardi. Auctor.

20 Affirmant tamen *Trullen. l. 1. §. 3. d. 1. n. 15. & Bardi p. 2. tr. 1. C. 1. n. 44.* ac meritò, nam Commissarius in dicta taxatione absolutè, & absque vlla distinctione obligat tales personas ad octo realia, nihil distinguens inter primam, & secundam bullam; atque adeo intentio Commissarij videtur esse in oppositum, nempè vt dictæ personæ semper, ac pro qualibet bulla soluant octo realia; ergo non est, vnde intentio Commissarij colligatur ab Herriquez contra nos.

21 Adde conditionem, propter quam his personis taxatur sũma octo realium esse, eos habere Vassallos; iam conditio hæc militat tàm in prima, quã in secunda bulla, ergò tàm in prima, quàm in secunda bulla tenentur soluere eandem summam octo realium.

DIFFICVLTAS VIII.

An si quis priuatus, post sumptã ordinariam bullam, fiat Dominus Vassallorum, possit adhuc toto illo anno vi eiusdem bullæ frui Cruciatæ priuilegijs?

22 RAtio dubitandi pro parte negatiua est, quia (vt supra dictũ est) Domini Vassallorum tenentur soluere octo realia ad hoc, vt Cruciatæ priuilegijs fruantur; atque adeo pro toto eo tempore, pro quo verum erit dicere, nunc esse Dominum vassallorum, non poterit Cruciatæ priuilegijs frui, nisi soluat dicta octo realia pro bulla pro eisdem Dominis vassallorum edita; vel saltem alia sex realia, ne supra alios grauetur; & per consequens bulla iam sumpta duobus realibus in statu priuato videtur euadere omninò inutilis.

23 Affirmant tamen *Bardi p. 2. tr. 8. C. 1. in add. n. 37.* alijque recentiores. & meritò, nam in concessione, & acceptione bullæ interuenit contractus onerosus, nempè do, vt des; ergò si pro toto illo anno concedit Sum. Pontifex Titio vi acceptæ bullæ pro duobus realibus omnia Cruciatæ priuilegia, nequit sanè pro eisdem priuilegijs eodem anno aliquid plus exigere ratione nouæ dignitatis; atque adeo si Titius sumat bullam in statu priuato duobus realibus, etiamsi deinde fiat Dominus vassallorum, poterit adhuc vtiliter vti tali bulla vsque ad finẽ durationis eiusdem bullæ omnibusq; Cruciatæ gaudere priuilegijs absque eo, quod aliam bullam sumat octo realibus. Bardi. Auctor.

24 Ad rationem autem dubitãdi in contrarium Dico, eam habere locum in ipsa receptione bullæ, & dum veluti stipulatur dictus contractus onerosus, ac in solutione taxatę eleemosynę, vt ex dictus patet.

25 Petes, An idem dicendum sit in casu quo Titius sumat bullã non Sacerdos, ac post sumptã bullam fiat Sacerdos; an scilicet tunc possit comedere lacticinia vi eiusdem bullę, & absq; eo, quod sumat aliam bullam paruam de qua supra agimus Disp. 3. Q. 4.

26 Negat *Bardi ci. n. 42.* & meritò, eò quia dùm in ipsamet bulla expresè excipiuntur Sacer- Bardi. Auctor.

finis, Lenonibus, & similibus, dummodo dominium pecuniæ transeat in delinquentem. hinc Vsurarius, cùm nullum dominium acquirat in pecuniam vsura acquisitam, consequenter inualidè, & inutiliter sumeret tali pecunia bullam (dummodò tamen non habeat, vnde aliundè restituere possit) vt meliùs ex Difficultate sequenti constabit, vbi de fure agemus.

Sotus. 9 Ad primam autem rationem in contrarium Dico cum *Soto l.9. de Iuſ. q.3. ar.5.* in Veteri lege offerre mercedem prostibuli prohibitum fuisse de Iure positiuo, quod Christi morte iam expirauit, sicuti & reliquæ illius legis ceremoniæ.

10 Ad Secundam verò dico, pecuniam à meretrice, ac ab alijs similibus personis pro bulla erogatam, absolutè esse ex bonis collatis à Deo, cui quamuis displiceat peccatum, placet tamen solutio mercedis, vtpotè actus iustitiæ.

DIFFICVLTAS III.

An Bulla validè sumatur pecunijs furtiuis?

Trullen. Lud. à Cr. Acosta. Vega. Nuñus. Diana. 11 Absolutè negant *Trullen. l.1. §.3 d.1. Lud. à Cruc. D.1. C.1. d.7. Acosta q.12. Vega cas. 5. Nuñus in 3. p. to. 2. Diana p.1. tr.11. reſ.101.* alijque communiter DD. quorum ratio est, quia in eadem bulla apertè dicitur, dictam eleemosynam solui debere ex bonis à Deo collatis ipsi suscipienti: pecunia autem furtiua non est ex bonis à Deo collatis respectù furantis.

Bardi. 12 At *Bardi p.2. tr.1. C.1. nu. 17.* ita distinguit: Si fur præter pecuniam furtiuam nihil aliud habet, itaut sumendo bullam, reddatur vndequaquè impotēs ad faciendam restitutionem, vtiq; in tali casu nihil proderit bulla, vt satis probat ratio supra allata, quousquè ipse Dominus pecuniæ significet furi iam se ratum habere tale furtum, vel restitutio aliundè fiat; extra quā ratihabitionem, seu compensationem concedunt cōsequenter DD. posse dictum Dominū pecuniæ vti iure suo, nempe auferre à Fure bullā sumptam suis pecunijs, & eiusdem bullæ priuilegijs frui.

13 Si verò fur fuerit aliundè potens ad restituendum, saltem post aliquod tempus, tunc validè bullam sumeret, & illius priuilegijs consequenter gauderet. & meritò, nā pecunia cū sit de illis bonis, quæ non in indiuiduo, sed in specie restituere teneamur, vt est Vinū, Oleum, Triticum, & huiusmodi, consequenter idem erit restituere eamdem numerò pecuniam, ac diuersam, dummodò sit eiusdem valoris, &c. atq; adeo idem erit (formaliter loquendo) sumere bullam pecuniâ furtiuâ, ac alia sub proprio dominio contentâ, & præsertim si fur ita permisceat pecuniam furtiuam cum propria, vt vna nequeat ab altera discerni. quarè in tali casu licèt bulla, materialiter loquendo, sit ex furto, seu ex alterius bonis, attamen æquiualenter, seu formaliter benè dici poterit ex bonis ipsi furi à Deo collatis; dummodò fur lucraturus Indulgentias bullæ pecuniâ furtiuâ susceptæ, habeat expressam voluntatem restituendi suo tēpore de reliquis suis bonis. Auctor.

14 Si-

14 Similiter est dicendum, si fur per modum mutui, hoc est cũ animo postea restituendi surripiat pecuniam, qua bullam sumat, nam mutuum cùm sit species contractus (vt benè notat Bardi ci.) debet necessariò continere omnia essentialia cõtractus in genere: contractus autem vt sic inuoluit essentialiter consensum vel explicitum, vel saltem implicitum vtriusq; contrahentis: cùm igitur in dicto casu nullus habeatur consensus domini pecuniæ (vt supponitur) consequenter dicta ablatio pecuniæ nequit habere rationem mutui, nec alterius contractus, & sic talis pecunia semper remanebit sub dominio ipsius domini, ac si absolutè surriperetur.

15 Quòd si supponamus, furem in casu posito prudenter existimare, ratam fore domino pecuniæ talem subreptionem, vtiquè tunc, posita tali ratihabitione, iam supponitur consensus saltem implicitus ipsius domini pecuniæ, & per cõsequens dicta pecunia transiret in dominium surripientis, ac proinde sumendo bullam dicta pecunia, verè ex bonis à Deo collatis illam sumeret, & consequenter validè, & vtiliter.

16 Ex dictis colligitur, id ipsũ dicendum esse de bulla sumpta pecunijs vsura acquisitis, vt supra etiam n. 8. adnotaui. an verò id etiam dicendum sit, de bulla sumpta pecunijs partim proprijs, partim furtiuis, infra dicetur?

DIFFICVLTAS IV.

An Bulla validè sumatur pecunia, quæ sit partim propria, partim furtiua?

17 CAsus iste tripliciter contingere potest; primò vt pecunia furtiua sit maior quàm propria: secundò vt sit maior propria, quàm furtiua: ac tertiò vt tàm sit propria, quàm furtiua. dubitari tamen solùm potest in secundò casu, quo pecunia propria sit longè maior quàm furtiua.

18 Et ratio dubitandi est, quia cùm denominatio sumatur à potiori parte; e.g. triticum absolutè dicitur triticum, licèt admixtas habeat aliquas paleas seu lolium: similiter vinum dicitur absolutè vinum, licèt admixtam habeat aliquam partem aquæ, &c. sic & pecunia, qua sumitur bulla, licèt habeat admixtam aliquam partem furtiuam, absolutè tamen dici poterit sumi ex bonis à Deo collatis, & consequenter poterit vtilis esse bulla.

19 Negandum tamen puto, nã Sum. Pontifex concedit bullã sub tali determinata eleemosyna indiuisibiliter sumpta ex bonis à Deo collatis, atque adeo si talis pecunia contineat aliquam partem furtiuam, sane non poneretur adæquatè conditio necessaria sub qua, & sic inutilis esset talis bulla; sicuti Indulgentiæ, quæ per visitationem quinque altarium indiuisibiliter conceduntur, sanè nõ acquiruntur per visitationem tantùm quatuor. & hoc facta sup- *Author.*

suppositione, quod sumens bullam absolutè non habeat, vnde restituat, iuxta supradicta. Ad rationem verò dubitandi in cõtrarium, Dico, eam non valere in his rebus determinatè sumptis.

DIFFICVLTAS V.

An si in ipsa Bulla non apponeretur illa cõditio, nempè (vt ea sumatur ex bonis à Deo collatis) tunc vtiliter pecunia furtiuà bulla sumeretur?

20 RAtio dubitandi pro parte negatiua est quia in *C. non est putanda*, 1. q. 1. apertè dicitur: *Malè accipiens, vt benè dispenset, potius grauari, quàm iuuari. & Eccles. 34.* ait Spiritus Sanctus: *Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata*; ergò etiãsi Sum. Pontifex dictam clausulam in ipsa bulla non apposuisset, adhuc fur, (& idem dico de vsurario) non gauderet huius bullæ priuilegiis; aliàs non grauaretur, sed iuuaretur.

21 Affirmant tamen *Lud. à Cru. D. 1. C. 1. d. 7. n. 7. & Bardi p. 2. tr. 1. C. 1. n. 29.* ac meritò, nam qui obtinet à Nuncio, vel à Sum. Pontifice aliquod priuilegium seu dispensationem, vel quid simile, mediante pecunia furtiua, vtiquè validè tale priuilegium, seu talem dispensationẽ obtineret; ergò nisi in ipsamet bulla apponeretur talis clausula, nempè vt bulla sumatur ex bonis à Deo collatis, sanè & validè, & vtiliter illa sumeretur, etiamsi pecuniâ furtiuâ sumeretur.

Lud. à Cr. Bardi. Auctor.

22 Ad rationem autem dubitandi in contrarium Dico primò, non mortaliter peccare (per se loquendo) qui furatur duo realia, quibus bullã sumat, vt omnes DD. admittunt. Dico secundò, quòd licèt fur grauetur ratione commissi furti, non inde tamen sequitur, non posse in aliquo iuuari, vt ex allata paritate satis patet.

DIFFICVLTAS VI.

An si quis furetur bullã, illamq; pro consueta pecunia det alteri, qui tale furtum ignoret, an is talis Bullæ priuilegijs gaudeat?

23 PAnormi, prout refert Bardi infrà citãdus, quidam surripuerũt à Depositario quãplures bullas, easque alijs furtum nescientibus dabant, etiã pro minori pretio: quæsitum fuit, An sumentes ex ijs bullis illarum priuilegijs gauderent.

24 Et quidem ratio dubitandi pro parte affirmatiua est, quia qui ex dictis bullis sumpserũt, bona fide processerunt, ac totum id, ad quod ex se tenebantur, adimpleruut, soluendo scilicet eleemosynam; atq; adeo non videbantur fraudandi à Cruciatæ priuilegijs. eademq; erit ratio, seu difficultas in casu, quo quis distribueret fidelibus bullas falsas pro veris.

25 Negat tamen *Bardi p. 2. tr. 1. C. 1. n. 67.* & meritò, nam Sum. Pontifex cõcedit hanc bullam sub conditione determinati oneris, videlicet eleemosynæ soluendæ in subsidium Cruciatæ; ac proinde tali conditione non

Bardi. Auctor.

non posita, non habetur finis intentus à Pontifice, vt scilicet cum effectu applicetur talis eleemosyna in subsidium dictæ Cruciatæ, & propter quem finem primariò, & formaliter conceditur ipsa bulla; & sic, cùm in casu posito, hoc non habeatur, vt patet, consequens est, vt talis bulla reddatur inutilis.

26 Ad rationem autem dubitandi in contrarium Dico, bonam fidem non posse supplere conditionem, sub qua necessariò ipsa bulla conceditur vt dictũ est; prodesse tamen poterit, inquantùm vi talis bullæ, quæ fructuosa existimabatur, excusantur comedentes cibos prohibitos, petentes absolutionẽ à reseruatis, quamuis reseruatio reuera non fuerit ablata, neque peccata remissa, nisi ad summũ indirectè, &c. Id ipsũ dicendum in casu, quo quis distribueret fidelibus bullas falsas pro veris; quodsi hoc fieret ab ipso Commissario, seu ab eius Ministris, in tali casu me remitto ad ea, quæ dicta sunt suprà Q. 8. à n. 6.

27 Dices, ex dictis sequi videtur, non prodesse fidelibus bullas, nisi cùm effectu à Rege Catholico applicentur in subsidium Cruciatæ, omnes illæ eleemosynæ, quæ ex bullis colliguntur: pro quo sit:

DIFFICVLTAS VII.

An si Rex non applicaret lucrum prouenies ex Cruciata pro Sacra expeditione, adhùc esset vtilis ipsa bulla Cruciatæ fidelibus?

28 Ratio dubitãdi pro parte negatiua est, quia, vt supra dictum est, Sum. Pontifex concedit hanc bullam in subsidium Cruciatæ, seu sacræ expeditionis contra Turcas, aliasque Infideles; ergò si semel Rex Catholicus expenderet, & consumeret in alios vsus, & præsertim vanos, lucrum ex tali bulla proueniẽs, non haberetur finis à Pontifice intentus, & per consequens nulla, ac inutilis redderetur bulla sumpta talibus pecuniis.

29 Affirmant tamen *Bardi p. 1. tr. 2. C. 1. nu. 9. Mendo hic in append. C. 2. n. 9. Diana p. 11. tr. 2. res. 49.* aliique, & meritò, nam quamuis Rex consumeret totam pecuniarum summam ex Cruciatam collectam in vsus adhùc vanos, & illicitos, adhùc tamen haberetur totus finis à Pontifice in hoc proximè intentus; probatur; nam semper Rex ex tali subsidio redditur potentior contra Infideles; & sic, quamuis pecunia proueniens ex Cruciata si materialiter sumatur, vere in vsus vanos insumatur, attamen formaliter, seu æquiualenter pro sacra expeditione seruatur, quatenùs dùm Rex consumit in vanos vsus hanc Cruciatæ pecuniam, sanè loco istius seruat pro dicta sacra expeditione, ex proprio thesauro, totidem

Bardi. Mendo. Diana. Auctor.



dem pecuniarum summam, alioqui consumendam in dictos vanos vsus.

30 Petere tamen quis vlteriùs hic posset, An si Rex ita insumeret in vsus vanos dictam pecuniam ex Cruciata collectam, vt nullo modo foret in tales vsus aliquid de proprio consumpturus, nisi Cruciatæ subsidium expectaret, an tunc vtilis esse bulla? facit mihi quidem difficultatem; verũ enimuerò, cùm Serenissimus noster Rex Catholicus pro catholicæ Fidei defensione pænè immensos thesauros tam liberaliter profuderit, non est, cur diutiùs in hoc per curiositatem immoremur.

DIFFICVLTAS VIII.

An Bulla Cruciata creditò sumi possit?

31 RAtio dubitandi pro parte negatiua est, quia actualis solutio supradictæ eleemosynæ poni videtur in eadem bulla tanquam conditio sine qua non, dùm dicitur: *E perche voi N. N. hauete dato due reali &c. vi si concedono le sopradette indulgenze &c.* quæ quidem verba, cùm nequeant verificari de illo, qui creditò bullam sumit, necessarium cõsequenter videtur, actualiter dictam eleemosynam esse soluendam.

32 Affirmant tamen communiter DD. & meritò, vt ex praxi satis constat; probatur etiam ratione, quia verè virtualiter idem est actu soluere dictam eleemosynam, ac se obligare ad illam soluendã post aliquod tempus, quamuis formaliter differant secundùm priùs, & posteriùs. non erit igitùr necessaria actualis solutio dictæ eleemosynæ, sed sufficit simplex obligatio soluendi illam infra aliquod tempus; dummodò Depositarius sit contẽtus dictæ simplicis obligationis vel eius, qui bullam sumit, vel alterius fideiussoris.

33 Ad rationem autem dubitãdi in contrarium Dico, ex citatis bullæ verbis colligi solã, ac meram obligationem soluendi taxatam eleemosynam, *vt sic*, hoc est præscindendo ab actuali, seu credita solutione; dummodo semper habeatur voluntas soluendi; aliter esset furari bullam, de quo *satis egimus* supra Difficultate 3.

34 *Siquis igitur* initiò habeat animum soluendi, postea verò mutet hanc bonam voluntatem, eo ipso desinit gaudere priuilegijs Bullæ, cùm eo ipso, ac statim incipiat esse fur bullę; nisi bullarum Depositarius eum non deobliget, in quo casu ipse depositarius tenetur pro illo tunc soluere. è contrà, siquis initiò non habeat animũ soluendi, postea verò mutet hãc malam voluntatẽ, eo ipso, ac statim incipit bullæ priuilegijs gaudere; ac similiter si pluries talis soluendi animus mutetur.

DIFFICVLTAS IX.

An qui creditò bullam sumpsit, si tempore præfixo inueniatur impotens ad soluendã, desinat tempore impotentia gaudere bullà?

35 RAtio dubitandi pro parte affirmatiua est, quia adue-

adueniente impotentia soluendi, statim etiam videtur cessare solutio virtualis, quæ in sola potentia soluendi videtur fundari; & consequenter desinet gaudere priuilegijs bullæ.

Bardi. 36 Negat tamen *Bardi p.2.tr.1.* C.1.*n.*59. dummodo tamen is semper habuerit animum soluendi. & meritò, nam ea impotentia superueniens se habet ad hoc omninò per accidens, manetque semper obligatio restituendi; vnde posito animo soluendi quãdocunque fuerit potens, semper habebitur solutio virtualis saltem radicalis, estò non habeatur formalis, & sic non obstante tali impotentia gaudebit bulla. *Auctor.*

37 Hinc similiter gaudebit priuilegijs bullæ, siquis illam sumeret pecunia enumerata, & postea furaretur ab ipso Depositario v.g. tria realia, dummodo non furetur dicta realia animo resarciendi pecuniam pro bulla erogatam; nam sic idem esset, ac si ipsam bullam à Depositario furaretur, seu furtiua pecunia bullam sumeret, de quo satis dictum est.

38 Ex dictis colligitur, quòd qui creditò bullam sumit, debet tunc prudenter, ac probabiliter existimare, se aliquando intrà præfixum tẽpus fore potentem ad soluendum; aliter non poterit gaudere priuilegijs bullæ; nam qui prudenter existimat, se nunquam fore potentem ad soluendam taxatam eleemosynam, neque per se neque per alium, impossibile sanè est, vt is habeat efficacem voluntatem soluendi dictam eleemosynam, atque adeo ex nullo capite haberetur solutio virtualis, sed absolutè diceretur bullam furari.

Carolus Latius in Bull. Cruc.

QVÆSTIO III.

De Quantitate Eleemosynæ erogandæ pro præsentis Bullæ receptione.

DIFFICVLTAS I.

Quantanam sit Eleemosyna pro Bulla elargienda?

1 ELeemosyna pro Bulla elargienda non taxatur à Sum. Pontifice, sed illam taxandam liberè remittit arbitrio Commissarij Generalis ipsius bullæ Cruciatæ, qui pro diuersitate personarum, ac locorum, diuersam taxat eleemosynam.

2 Et quidem pro Cardinalibus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus Episcopalem iurisdictionem habentibus, Inquisitoribus, Cathedralis Ecclesiæ Dignitatibus: item ex Laicis, omnibus vassallorum Dominis, eorumque vxoribus, ac demùm pro omnibus, qui officio, seu præeminenti aliqua dignitate sæculari fulgent, octo realia taxantur, hoc est, decem tareni, & grana decem ex moneta nostrate, prout videre est in Instructione dicti Commissarij Generalis intitulata, *Forma seruanda in administratione huius Bullæ &c.* pro reliquis verò personis priuatis,

 duo

duo tantùm realia taxantur, vt habetur in Sũmario Italico: sic: *Perche Voi hauete dato due reali d'argento, che è l'elemosina taxata, &c.* hoc est, duo tareni, & grana duodecim cum dimidio; & hoc profectò in Hispaniarum Regnis, ac reliquis in Europa degentibus. pro Indijs verò est alia maior summa taxata, quæ etiam videri poterit in supradicta forma.

3 Verùm, quia adhùc nonnulla dubia insurgunt circa quantitatẽ istius eleemosynæ, præsertim à vassallorum Dominis elargiendam, ideò per sequẽtes Difficultates distinctè ea omnia soluenda erunt.

DIFFICVLTAS II.

An duo, vel tres habentes simul dominium vnius Oppidi, teneantur singuli octo realia soluere?

Trullen. Bardi. 4 NEgant *Trullen. l. 1. §. 3. d. 1. n. 13 & Bardi p. 2. tr. 1. C. 1. n. 33.* dummodò vnusquisque separatim non soluat pro sua parte, seu rata minùs duobus realibus. primò quia, aiunt, neuter horum seorsim acceptus dicitùr absolutè Dominus, sed cum relatione ad alium. Secundò quia ex integro dominio vnius Oppidi, non debentur nisi octo realia, ergò ambo nõ tenentur soluere nisi simul octo realia, si vero vterque teneretur soluere octo realia, iam ex vno dominio soluerentur sexdecim realia, quod non videtur asserendum.

5 Affirmandum tamen puto, singulos istorum octo realia debere pro bulla soluere, siue vna pars Oppidi sit vnius, altera verò alterius; siue simul, & indiuisim Oppidum possideant. primò quia non video, cur istorũ singuli verè, ac propriè nequeant dici vassallorũ Domini, & sic vt tales tenẽtur soluere singuli, ac diuisim octo realia. vnde corruit prima in contrarium ratio, quæ ipsimet Bardi non videtur firma.

6 Ad secundã verò, quæ meo iudicio est primà infirmior, Nego, ex vno integro dominio vnius Oppidi non posse solui sexdecim realia; patet, nã etiam vir, & vxor pro vno dominio tenentur soluere sexdecim realia, vt ex communi cõsensu infra dicemus. Eo ipso igitùr, quòd quis habet sub se vassallos, tenetur soluere pro bulla octo realia, vt supra dictum est. & ratio veluti à priori est, quia in hoc spectatur personarum dignitas.

DIFFICVLTAS III.

An vxores Dominorum vassallorum, nullam habentes bonorum administrationẽ, adhùc teneantur soluere octo realia?

7 NEgat *Herriq. l. 7. C. 20. n. 14.* cuius ratio est, quia Vxor Domini vassallorum, si nullam prorsus habeat bonorum administrationem, æquiparari videtur vxori Domini priuati, ac consequenter non videtur maiori summa grauãda, quàm reliquæ fœminæ priuatæ, nempe duorum realium. Herriq.

Affir-

Trullen. Bardi. Auctor. 8 Affirmant tamen *Trullen. l. 1. §. 3. d. 1. n. 14. & Bardi p. 2. tr. 1. C. 1. n. 38.* ac meritò, nam apertè, & absolutè in eadem bulla habetur, quòd vxores Dominorum vassallorum teneantur soluere pro ipsa bulla octo realia; ergò non est, vnde nos distinguamus, si habeant, necne bonorum administrationem.

9 Quòd autem dictæ Vxores æquiparentur quoad hoc fœminis priuatis, id quidē minimi æstimari debet respectù aliorum bonorum, & honorū, quibus eædem fruuntur, atque adeo ferè nihil ipsis erit aliquid plus pro bulla contribuere supra id, quod reliquæ fœminæ priuatæ pro eadem bulla contribuunt; vnde patet ad rationem Herriquez in contrarium.

10 Ex quibus etiam colligitur, quòd quamuis supradictę vxores à suis maritis per diuortiū separentur, adhùc ad dictam summam octo realium illas teneri; eo quia adhùc semper verum erit dicere, eas esse verè, ac propriè vxores Dominorum habentium vassallos.

DIFFICVLTAS IV.

An Vxores Dominorum Vassallorū teneantur soluere octo realia adhuc mortuis maritis, & in statu viduitatis?

11 VXores Dominorum habentiū vassallos tenentur soluere pro hac bulla octo realia, sicuti & earū mariti, ipsis tamen viuentibus maritis, sic apertè habetur in supradicta forma administrationis bullæ his verbis: *Y la mugeres de los seglares de todos los estados ya dichos viuiendos sus maridos ayan de dar, y den de limosna cada vna de las dichas personas ocho reales &c.* ergò mortuis maritis, non tenentur ampliùs soluere in statu viduitatis totā dictam summam octo realium, saltem absque vllo vassallorum dominio relinquuntur.

12 Dubitari tamen potest, An si dictæ viduæ relinquantur à maritis vsufructuariæ, teneantur tunc similiter octo realia pro bulla soluere, ac si viuerent mariti?

13 Affirmant *Trullen. l. 1. §. 3. d. 1. nu. 12. & Bardi p. 2. tr. 1. C. 1. nu. 37.* ac meritò, quia in tali casu verè dicuntur vassallorum Dominæ, & consequenter habetur qualitas, seu dignitas status, ratione cuius taxantur octo realia pro bulla capienda. *Trullen. Bardi. Auctor.*

DIFFICVLTAS V.

An Fœmina vassallorum Domina, si matrimonio non sint coniuncta, teneantur etiam octo realia soluere?

14 RAtio dubitandi pro parte negatiua est, quia quotiès Commissarius Generalis in dicta sua instructione loquitur de personis, quæ ad eleemosynam voto realium obligantur, totiès sub genere masculino illas designat; & quando de feminis loqui-

vti Cruciatæ priuilegijs, vno solo excepto, nempè priuilegio eligendi Confessarium, (iuxtà supradicta lo. ci.) vtiq; concedo, grauiter peccare Prælatos talium Religionum, si absolutè, ac generaliter vsũ Cruciatæ suis subditis prohiberent; facerent enim contra liberalem voluntatem Sum. Pontificis in re graui, & insuper diminueretur magna ex parte subsidium Regis Catholici contra Infideles; ceterùm si solùm prohiberent ipsorum subditis bullã Cruciatæ quoad solam facultatem eligendi Cõfessarium, nullo modo peccarent, imò satis benè facerent; nihil enim aliud facerent, nisi Sum. Pontificis intentionem quoad vsum Cruciatæ explicare, iuxtà supradicta.

53 Atque hæc satis sint circa susceptionem bullæ; accedendum nunc ergò est ad alias cõditiones necessariò requisitas, ad eiusdem bullæ iam susceptę valorem.

QVÆSTIO II.

De Qualitate Eleemosynæ erogandæ pro præsentis Bullæ receptione.

IN §. IX. habetur secunda conditio, nempe eleemosyna, sub qua Cruciatæ priuilegia conceduntur; de hac igitùr eleemosyna dicendum est, Qualis, ac Quanta esse debeat: & quidem in præsenti de eius qualitate, in sequenti verò Questione de eiusdem Quantitate dicemus.

DIFFICVLTAS I.

An liceat contribuere pecuniam pro præsentis Bullæ receptione?

1 RAtio dubitandi pro parte negatiua est, quia da re aliquid tẽporale pro re spirituali, vel saltem coniuncta cum re spirituali, siue sit emptio, siue venditio, siue locatio, siue permutatio, eo ipso quod nõ est gratuita, est Simonia contrà Ius etiam Diuinum, vt omnes DD. concedunt; cùm igitur bulla Cruciatæ ex vna parte sit quid spirituale, vel saltem quid necessariò annexum cum re spirituali, ratione Indulgentiarum, quas continet: ex altera verò parte bulla ipsa nõ detur gratis, sed cum expresso pacto antecedẽti, atque onere soluendi certam aliquam pecuniam, consequenter videtur, quod tàm illã dans, quàm illam recipiens committat Simoniam realem & sic non liceat cõtribuere pecuniam pro recipienda dicta bulla.

2 Neque valet reccurrere ad dispensationem Sum. Pontificis, nam quamuis Sum. Pontifex possit dispensare Simoniæ quæ est contra Ius humanum, & etiam Canonicum, cuiusmodi est permutatio rei spiritualis, cum alia re spirituali, v.g. vt vnum Ecclesiasticum Beneficium permutetur cum alio Beneficio similiter ecclesiastico; nequit tamen Sum. Pontifex dispensare in Simonia, quæ est contra Ius Diuinum, qualis est quælibet non gratuita permuta-

mutatio rei spiritualis cum re temporali, vt dictum est.

3 Cum toto tamen hoc conueniunt communiter DD. nullam hic prorsus inueniri Simoniam, neque contra Ius Diuinum, neque contra ius humanum, seu positiuum. Et meritò, nam vt benè docet *S. Th. in 4. D. 20. Q. 1. ar. 3. q. 3.* (loquens de Indulgentijs, quæ aliquando conceduntur sub onere soluendi aliquam eleemosynam) quamuis temporale per se spectatum nequeat absquè Simonia permutari cum re spirituali, attamen idem temporale vt ordinatum ad finem spiritualem, licitè poterit permutari cum re spirituali, & præsertim quando ita à Sum. Pontifice disponeretur. *Auctor. S. Thom.*

4 Iam verò bulla Cruciatæ nō conceditur à Pontifice pro pecunia vt sic, & tanquam pro pretio, sed pro pecunia iam ab eodem Sum. Pontifice ordinata ad finem spiritualem, nempè in bonum S. Ecclesiæ, quatenùs his eleemosynis ex Cruciata collectis subuenitur Regi Catholico cōtra infideles, aliosque Catholicæ fidei hostes, ne eiusdem Ecclesiæ pacem isti pertubent, & consequēter nulla hic interuenit Simonia contra ius Diuinum, eò quia (vt dictum est) pecunia, quæ erogatur pro hac bulla, ratione finis spiritualis, ad quem ordinatur, veluti spiritualizatur; multòq; minùs interuenit Simonia contra ius humanum, & positiuū vt patet; interuenit enim Sum. Pontificis dispensatio; ex quibus satis patet ad rationem dubitandi in contrarium.

5 Erogare igitur pecuniam pro Cruciata capienda, non solùm licet, verùm etiam est actio absolutè valde sancta, ac pia, cùm valde pium, ac satis gloriosum sit ordinare temporalia ad bona spiritualia, æternaque capessenda.

DIFFICVLTAS II.

An Bulla validè sumatur ex pecunijs turpi lucro acquisitis, vt meretricio, assassinio, lenocinio, vsura, & huiusmodi?

6 NEgare absolutè videtur *Rodriq. §. 1. add. d. 7.* primò quia *Deut. 23. habetur: Non offeres mercedem prostibuli in domo Domini Dei tui.* Secundò quia Eleemosyna hæc, pro bulla sumenda, debet esse ex bonis à Deo collatis (vt expressè in eadem bulla dicitur) huiusmodi autem non videtur esse pecunia ex peccato proueniens, quatenùs contra Dei voluntatem fuerit acquisita. *Rodriq.*

7 Affirmant tamen *Riccius in add. ad §. 7. n. 2. Acosta q. 12. Lud. à Cruc. D. 1. C. 1. d. 7. n. 4. Trull. l. 1. §. 3. d. 1. n. 10. Bardi p. 2. tr. 1. C. 1. n. 27.* alijque communiter DD. & meritò, quia meretrix verum dominium acquirit in huiusmodi pecunijs, vt constat ex *L. Item si ob stuprum, ff. de Condit. ob turp. caus.* & omnes concedunt, ergò nihil obstat, quin possit ex dictis pecunijs bullā fructuosè recipere, sicuti similiter poterit pauperibus subuenire, aut alijs pijs operibus, cū suo maximo spirituali profectu, applicare. *Riccius. Acosta. Lud. à Cr. Trullen. Bardi. Auctor.*

8 Idem dicēdum est de Assassinis

finis, Lenonibus, & similibus, dummodo dominium pecuniæ transeat in delinquentem. hinc Vsurarius, cùm nullum dominium acquirat in pecuniam vsura acquisitam, consequenter inualidè, & inutiliter sumeret tali pecunia bullam (dummodò tamen non habeat, vnde aliundè restituere possit) vt meliùs ex Difficultate sequenti constabit, vbi de fure agemus.

Sotus. 9 Ad primam autem rationem in contrarium Dico cum *Soto l.9. de Ius. q.3. ar.5.* in Veteri lege offerre mercedem prostibuli prohibitum fuisse de Iure positiuo, quod Christi morte iam expirauit, sicuti & reliquæ illius legis ceremoniæ.

10 Ad Secundam verò dico, pecuniam à meretrice, ac ab alijs similibus personis pro bulla erogatam, absolutè esse ex bonis collatis à Deo, cui quamuis displiceat peccatum, placet tamen solutio mercedis, vtpotè actus iustitiæ.

DIFFICVLTAS III.

An Bulla validè sumatur pecunijs furtiuis?

Trullen. Lud. à cr. Acosta. Vega. Nuñus. Diana. 11 Absolutè negant *Trullen. l. 1. §. 3 d. 1. Lud. à Cruc. D. 1. C. 1. d. 7. Acosta q. 12. Vega cas. 5. Nuñus in 3. p. 10. 2. Diana p. 1. tr. 11. res. 101.* alijque communiter DD. quorum ratio est, quia in eadem bulla apertè dicitur, dictam eleemosynam solui debere ex bonis à Deo collatis ipsi suscipienti: pecunia autem furtiua non est ex bonis à Deo collatis respectù furantis.

Bardi. 12 At *Bardi p. 2. tr. 1. C. 1. nu. 17.* ita distinguit: Si fur præter pecuniam furtiuam nihil aliud habet, itaut sumendo bullam, reddatur vndequaquè impotēs ad faciendam restitutionem, vtiq; in tali casu nihil proderit bulla, vt satis probat ratio supra allata, quousquè ipse Dominus pecuniæ significet furi iam se ratum habere tale furtum, vel restitutio aliundè fiat; extra quā ratihabitionem, seu compensationem concedunt cōsequenter DD. posse dictum Dominū pecuniæ vti iure suo, nempe auferre à Fure bullā sumptam suis pecunijs, & eiusdem bullæ priuilegijs frui.

13 Si verò fur fuerit aliundè potens ad restituendum, saltem post aliquod tempus, tunc validè bullam sumeret, & illius priuilegijs consequenter gauderet. & meritò, nā pecunia cū sit de illis bonis, quæ non in indiuiduo, sed in specie restituere teneamur, vt est Vineū, Oleum, Triticum, & huiusmodi, consequenter idem erit restituere eamdem numerò pecuniam, ac diuersam, dummodò sit eiusdem valoris, &c. atq; adeo idem erit (formaliter loquendo) sumere bullam pecuniā furtiuā, ac alia sub proprio dominio contentā, & præsertim si fur ita permisceat pecuniam furtiuam cum propria, vt vna nequeat ab altera discerni. quarè in tali casu licèt bulla, materialiter loquendo, sit ex furto, seu ex alterius bonis, attamen æquiualenter, seu formaliter benè dici poterit ex bonis ipsi furi à Deo collatis; dummodò fur lucraturus Indulgentias bullæ pecuniā furtiuā susceptæ, habeat expressam voluntatem restituendi suo tēpore de reliquis suis bonis. Auctor.

14 Si-

14 Similiter est dicendum, si fur per modum mutui, hoc est cũ animo postea restituendi surripiat pecuniam, qua bullam sumat, nam mutuum cùm sit species contractus (vt benè notat Bardi ci.) debet necessariò continere omnia essentialia cõtractus in genere: contractus autem vt sic inuoluit essentialiter consensum vel explicitum, vel saltem implicitum vtriusq; contrahentis: cùm igitur in dicto casu nullus habeatur consensus domini pecuniæ (vt supponitur) consequenter dicta ablatio pecuniæ nequit habere rationem mutui, nec alterius contractus, & sic talis pecunia semper remanebit sub dominio ipsius domini, ac si absolutè surriperetur.

15 Quòd si supponamus, furem in casu posito prudenter existimare, ratam fore domino pecuniæ talem subreptionem, vtiquè tunc, posita tali ratihabitione, iam supponitur consensus saltem implicitus ipsius domini pecuniæ, & per cõsequens dicta pecunia transiret in dominium surripientis, ac proinde sumendo bullam dicta pecunia, verè ex bonis à Deo collatis illam sumeret, & consequenter validè, & vtiliter.

16 Ex dictis colligitur, id ipsũ dicendum esse de bulla sumpta pecunijs vsura acquisitis, vt supra etiam n.8. adnotaui. an verò id etiam dicendum sit, de bulla sumpta pecunijs partim proprijs, partim furtiuis, infra dicetur?

DIFFICVLTAS IV.

An Bulla validè sumatur pecunia, quæ sit partim propria, partim furtiua?

17 Casus iste tripliciter contingere potest; primò vt pecunia furtiua sit maior quàm propria: secundò vt sit maior propria, quàm furtiua: ac tertiò vt tàm sit propria, quàm furtiua. dubitari tamen solùm potest in secundò casu, quo pecunia propria sit longè maior quàm furtiua.

18 Et ratio dubitandi est, quia cùm denominatio sumatur à potiori parte; e.g. triticum absolutè dicitur triticum, licèt admixtas habeat aliquas paleas seu lolium: similiter vinum dicitur absolutè vinum, licèt admixtam habeat aliquam partem aquæ, &c. sic & pecunia, qua sumitur bulla, licèt habeat admixtam aliquam partem furtiuam, absolutè tamen dici poterit sumi ex bonis à Deo collatis, & consequenter poterit vtilis esse bulla.

19 Negandum tamen puto, nã Sum. Pontifex concedit bullã sub tali determinata eleemosyna indiuisibiliter sumpta ex bonis à Deo collatis, atque adeo si talis pecunia contineat aliquam partem furtiuam, sane non poneretur adæquatè conditio necessaria sub qua, & sic inutilis esset talis bulla; sicuti Indulgentiæ, quæ per visitationem quinque altarium indiuisibiliter conceduntur, sanè nõ acquiruntur per visitationem tantùm quatuor. & hoc facta *Author.*

sup-

suppositione, quod sumens bullam absolutè non habeat, vnde restituat, iuxta supradicta. Ad rationem verò dubitandi in cōtrarium, Dico, eam non valere in his rebus determinatè sumptis.

DIFFICVLTAS V.

An si in ipsa Bulla non apponeretur illa cōditio, nempè (vt ea sumatur ex bonis à Deo collatis) tunc vtiliter pecunia furtiuà bulla sumeretur?

20 RAtio dubitandi pro parte negatiua est quia in *C. non est putanda, 1. q. 1.* apertè dicitur: *Malè accipiens, vt benè dispenset, potiùs grauari, quàm iuuari. & Eccles. 34.* ait Spiritus Sanctus: *Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata*; ergò etiāsi Sum. Pontifex dictam clausulam in ipsa bulla non apposuisset, adhuc fur, (& idem dico de vsurario) non gauderet huius bullæ priuilegijs; aliàs non grauaretur, sed iuuaretur.

21 Affirmant tamen *Lud. à Cru. D. 1. C. 1. d. 7. n. 7. & Bardi p. 2. tr. 1. C. 1. n. 28.* ac meritò, nam qui obtinet à Nuncio, vel à Sum. Pontifice aliquod priuilegium seu dispensationem, vel quid simile, mediante pecunia furtiua, vtiquè validè tale priuilegium, seu talem dispensationē obtineret; ergò nisi in ipsamet bulla apponeretur talis clausula, nempè vt bulla sumatur ex bonis à Deo collatis, sanè & validè, & vtiliter illa sumeretur, etiamsi pecuniâ furtiuâ sumeretur.

Lud. à Cr. Bardi. Auctor.

22 Ad rationem autem dubitandi in contrarium Dico primò, non mortaliter peccare (per se loquendo) qui furatur duo realia, quibus bullā sumat, vt omnes DD. admittunt. Dico secundò, quòd licèt fur grauetur ratione commissi furti, non inde tamen sequitur, non posse in aliquo iuuari, vt ex allata paritate satis patet.

DIFFICVLTAS VI.

An si quis furetur bullā, illamq; pro consueta pecunia det alteri, qui tale furtum ignoret, an is talis Bulla priuilegijs gaudeat?

23 PAnormi, prout refert Bardi infrà citādus, quidam surripuerūt à Depositario quāplures bullas, easque alijs furtum nescientibus dabant, etiā pro minori pretio: quæsitum fuit, An sumentes ex ijs bullis illarum priuilegijs gauderent.

24 Et quidem ratio dubitandi pro parte affirmatiua est, quia qui ex dictis bullis sumpserūt, bona fide processerunt, ac totum id, ad quod ex se tenebantur, adimpleruut, soluendo scilicet eleemosynam; atq; adeò non videbantur fraudandi à Cruciatæ priuilegijs. eademq; erit ratio, seu difficultas in casu, quo quis distribueret fidelibus bullas falsas pro veris.

25 Negat tamen *Bardi p. 2. tr. 1. C. 1. n. 67.* & meritò, nam Sum. Pontifex cōcedit hanc bullam sub conditione determinatā oneris, videlicet eleemosynæ soluendæ in subsidium Cruciatæ; ac proinde tali conditione non

Bardi. Auctor.

non posita, non habetur finis intentus à Pontifice, vt scilicet cum effectu applicetur talis eleemosyna in subsidium dictæ Cruciatæ, & propter quem finem primariò, & formaliter conceditur ipsa bulla; & sic, cùm in casu posito, hoc non habeatur, vt patet, consequens est, vt talis bulla reddatur inutilis.

26 Ad rationem autem dubitādi in contrarium Dico, bonam fidem non posse supplere conditionem, sub qua necessariò ipsa bulla conceditur vt dictū est; prodesse tamen poterit, inquantùm vi talis bullæ, quæ fructuosa existimabatur, excusantur comedentes cibos prohibitos, petentes absolutionē à reseruatis, quamuis reseruatio reuera non fuerit ablata, neque peccata remissa, nisi ad summū indirectè, &c. Id ipsū dicendum in casu, quo quis distribueret fidelibus bullas falsas pro veris; quodsi hoc fieret ab ipso Commissario, seu ab eius Ministris, in tali casu me remitto ad ea, quæ dicta sunt suprà Q.8. à n.6.

27 Dices, ex dictis sequi videtur, non prodesse fidelibus bullas, nisi cùm effectu à Rege Catholico applicentur in subsidium Cruciatæ, omnes illæ eleemosynæ, quæ ex bullis colliguntur: pro quo sit:



DIFFICVLTAS VII.

An si Rex non applicaret lucrum proueniēs ex Cruciata pro Sacra expeditione, adhùc esset vtilis ipsa bulla Cruciatæ fidelibus?

28 Ratio dubitādi pro parte negatiua est, quia, vt suprà dictum est, Sum. Pontifex concedit hanc bullam in subsidium Cruciatæ, seu sacræ expeditionis contra Turcas, aliasque Infideles; ergò si semel Rex Catholicus expenderet, & consumeret in alios vsus, & præsertim vanos, lucrum ex tali bulla proueniēs, non haberetur finis à Pontifice intentus, & per consequens nulla, ac inutilis redderetur bulla sumpta talibus pecuniis.

29 Affirmant tamen *Bardi p. 1. tr. 2. C. 1. n. 9. Mendo hic in append. C. 2. n. 9. Diana p. 11. tr. 2. res. 49.* aliique, & meritò, nam quamuis Rex consumeret totam pecuniarum summam ex Cruciatam collectam in vsus adhùc vanos, & illicitos, adhùc tamen haberetur totus finis à Pontifice in hoc proximè intentus; probatur; nam semper Rex ex tali subsidio redditur potentior contra Infideles; & sic, quamuis pecunia prouenïens ex Cruciata si materialiter sumatur, vere in vsus vanos insumatur, attamen formaliter, seu æquiualenter pro sacra expeditione seruatur, quatenùs dùm Rex consumit in vanos vsus hanc Cruciatæ pecuniam, sanè loco istius seruat pro dicta sacra expeditione, ex proprio thesauro, toti-

Bardi. Mendo. Diana. Auctor.

dem pecuniarum summam, alioqui consumendam in dictos vanos vsus.

30 Petere tamen quis vlteriùs hic posset, An si Rex ita insumeret in vsus vanos dictam pecuniam ex Cruciata collectam, vt nullo modo foret in tales vsus aliquid de proprio consumpturus, nisi Cruciatæ subsidium expectaret, an tunc vtilis esse bulla? facit mihi quidem difficultatem; verũ enimuerò, cùm Serenissimus noster Rex Catholicus pro catholicæ Fidei defensione pænè immensos thesauros tam liberaliter profuderit, non est, cur diutiùs in hoc per curiositatem immoremur.

DIFFICVLTAS VIII.

An Bulla Cruciata creditò sumi possit?

31 Ratio dubitandi pro parte negatiua est, quia actualis solutio supradictæ eleemosynæ poni videtur in eadem bulla tanquam conditio sine qua non, dùm dicitur: *E perche voi N. N. hauete dato due reali &c. vi si concedono le sopradette indulgenze &c.* quæ quidem verba, cùm nequeant verificari de illo, qui creditò bullam sumit, necessarium cõsequenter videtur, actualiter dictam eleemosynam esse soluendam.

32 Affirmant tamen communiter DD. & meritò, vt ex praxi satis constat: probatur etiam ratione, quia verè virtualiter idem est actu soluere dictam eleemosynam, ac se obligare ad illam soluendã post aliquod tempus, quamuis formaliter differant secundùm priùs, & posteriùs. non erit igitùr necessaria actualis solutio dictæ eleemosynæ, sed sufficit simplex obligatio soluendi illam infra aliquod tempus; dummodò Depositarius sit contẽtus dictæ simplicis obligationis vel eius, qui bullam sumit, vel alterius fideiussoris.

33 Ad rationem autem dubitãdi in contrãrium Dico, ex citatis bullæ verbis colligi solã, ac meram obligationem soluendi taxatam eleemosynam, *vt sic*, hoc est præscindendo ab actuali, seu credita solutione; dummodo semper habeatur voluntas soluendi; aliter esset furari bullam, de quo *satis egimus supra* Difficultate 3.

34 Siquis igitur initiò habeat animum soluendi, postea verò mutet hanc bonam voluntatem, eo ipso desinit gaudere priuilegijs Bullæ, cùm eo ipso, ac statim incipiat esse fur bullę; nisi bullarum Depositarius eum non deobliget, in quo casu ipse depositarius tenetur pro illo tunc soluere. è contrà, siquis initiò non habeat animũ soluendi, postea verò mutet hãc malam voluntatẽ, eo ipso, ac statim incipit bullæ priuilegijs gaudere; ac similiter si pluries talis soluendi animus mutetur.

DIFFICVLTAS IX.

An qui creditò bullam sumpsit, si tempore præfixo inueniatur impotens ad soluendã, desinat tempore impotentiæ gaudere bullà?

35 Ratio dubitandi pro parte affirmatiua est, quia adue-

aduenientе impotentia soluendi, statim etiam videtur cessare solutio virtualis, quæ in sola potentia soluendi videtur fundari; & consequenter desinet gaudere priuilegijs bullæ.

Bardi. 36 Negat tamen *Bardi p.2.tr.1. C.1.n.59.* dummodo tamen is semper habuerit animum soluendi. & meritò, nam ea impo- *Auctor.* tentia superueniens se habet ad hoc omninò per accidens, manetque semper obligatio restituendi; vnde posito animo soluendi quãdocunque fuerit potens, semper habebitur solutio virtualis saltem radicalis, estò non habeatur formalis, & sic non obstante tali impotentia gaudebit bulla.

37 Hinc similiter gaudebit priuilegijs bullæ, siquis illam sumeret pecunia enumerata, & postea furaretur ab ipso Depositario v.g. tria realia, dummodo non furetur dicta realia animo resarciendi pecuniam pro bulla erogatam; nam sic idem esset, ac si ipsam bullam à Depositario furaretur, seu furtiua pecunia bullam sumeret, de quo satis dictum est.

38 Ex dictis colligitur, quòd qui creditò bullam sumit, debet tunc prudenter, ac probabiliter existimare, se aliquando intrà præfixum tẽpus fore potentem ad soluendum; aliter non poterit gaudere priuilegijs bullæ; nam qui prudenter existimat, se nunquam fore potentem ad soluendam taxatam eleemosynam, neque per se, neque per alium, impossibile sanè est, vt is habeat efficacem voluntatem soluendi dictam eleemosynam, atque adeo ex nullo capite haberetur solutio virtualis, sed absolutè diceretur bullam furari.

Carolus Latius in Bull. Cruc.

QVÆSTIO III.

De Quantitate Eleemosynæ erogandæ pro præsentis Bullæ receptione.

DIFFICVLTAS I.

Quantanam sit Eleemosyna pro Bulla elargienda?

1 Eleemosyna pro Bulla elargienda nón taxatur à Sum. Pontifice, sed illam taxandam liberè remittit arbitrio Commissarij Generalis ipsius bullæ Cruciatæ, qui pro diuersitate personarum, ac locorum, diuersam taxat eleemosynam.

2 Et quidem pro Cardinalibus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus Episcopalem iurisdictionem habentibus, Inquisitoribus, Cathedralis Ecclesiæ Dignitatibus: item ex Laicis, omnibus vassallorum Dominis, eorumque vxoribus, ac demùm pro omnibus, qui officio, seu præeminenti aliqua dignitate sæculari fulgent, octo realia taxantur, hoc est, decem tareni, & grana decem ex moneta nostrate, prout videre est in Instructione dicti Commissarij Generalis intitulata, *Forma seruanda in administratione huius Bullæ &c.* pro reliquis verò personis priuatis, duo

Trullen. Bardi. Auctor. 8 Affirmant tamen *Trullen. l. 1. §. 3. d. 1. n. 14. & Bardi p. 2. tr. 1. C. 1. n. 38.* ac meritò, nam apertè, & absolutè in eadem bulla habetur, quòd vxores Dominorum vassallorum teneantur soluere pro ipsa bulla octo realia; ergò non est, vnde nos distinguamus, si habeant, necne bonorum administrationem.

9 Quòd autem dictæ Vxores æquiparentur quoad hoc fœminis priuatis, id quidē minimi æstimari debet respectù aliorum bonorum, & honorū, quibus eædem fruuntur, atque adeo ferè nihil ipsis erit aliquid plus pro bulla contribuere supra id, quod reliquæ fœminæ priuatæ pro eadem bulla contribuunt; vnde patet ad rationem Herriquez in contrarium.

10 Ex quibus etiam colligitur, quòd quamuis supradictę vxores à suis maritis per diuortiū separentur, adhùc ad dictam summam octo realium illas teneri; eo quia adhùc semper verum erit dicere, eas esse verè, ac propriè vxores Dominorum habentium vassallos.

DIFFICVLTAS IV.

An Vxores Dominorum Vassallorū teneantur soluere octo realia adhuc mortuis maritis, & in statu viduitatis?

11 VXores Dominorum habentiū vassallos tenentur soluere pro hac bulla octo realia, sicuti & earū mariti, ipsis tamen viuentibus maritis, sic apertè habetur in supradicta forma administrationis bullæ his verbis: *Y la mugeres de los seglares de todos los estados ya dichos viuiendos sus maridos ayan de dar, y den de limosna cada vna de las dichas personas ocho reales &c.* ergò mortuis maritis, non tenentur ampliùs soluere in statu viduitatis totā dictam summam octo realium, saltem absque vllo vassallorum dominio relinquuntur.

12 Dubitari tamen potest, An si dictæ viduæ relinquantur à maritis vsufructuariæ, teneantur tunc similiter octo realia pro bulla soluere, ac si viuerent mariti?

13 Affirmant *Trullen. l. 1. §. 3. d. 1. nu. 12. & Bardi p. 2. tr. 1. C. 1. nu. 37.* ac meritò, quia in tali casu verè dicuntur vassallorum Dominæ, & consequenter habetur qualitas, seu dignitas status, ratione cuius taxantur octo realia pro bulla capienda. Trullen. Bardi. Auctor.

DIFFICVLTAS V.

An Fœmina vassallorum Domina, si matrimonio non sint coniuncta, teneantur etiam octo realia soluere?

14 RAtio dubitandi pro parte negatiua est, quia quotiès Commissarius Generalis in dicta sua instructione loquitur de personis, quæ ad eleemosynam voto realium obligantur, totiès sub genere masculino illas designat; & quando de feminis loqui-

realia; idque non aliunde probat, nisi ex præsumpta intentione ipsius Commissarij.

Trullen. *Bardi.* *Auctor.* 20 Affirmant tamen *Trullen. l. 1. §. 3. d. 1. n. 15. & Bardi p. 2. tr. 1. C. 1. n. 44.* ac meritò, nam Commissarius in dicta taxatione absolutè, & absque vlla distinctione obligat tales personas ad octo realia, nihil distinguens inter primam, & secundam bullam; atque adeo intentio Commissarij videtur esse in oppositum, nempè vt dictæ personæ semper, ac pro qualibet bulla soluant octo realia; ergo non est, vnde intentio Commissarij colligatur ab Henriquez contra nos.

21 Adde conditionem, propter quam his personis taxatur sũma octo realium esse, eos habere Vassallos; iam conditio hæc militat tàm in prima, quã in secunda bulla, ergò tàm in prima, quàm in secunda bulla tenentur soluere eandem summam octo realium.

DIFFICVLTAS VIII.

An si quis priuatus, post sumptã ordinariam bullam, fiat Dominus Vassallorum, possit adhùc toto illo anno vi eiusdem bullæ frui Cruciatæ priuilegijs?

22 RAtio dubitandi pro parte negatiua est, quia (vt supra dictũ est) Domini Vassallorum tenentur soluere octo realia ad hoc, vt Cruciatæ priuilegijs fruantur; atque adeo pro toto eo tempore, pro quo verum erit dicere, hunc esse Dominum vassallorum, non poterit Cruciatæ priuilegijs frui, nisi soluat dicta octo realia pro bulla pro eisdem Dominis vassallorum edita; vel saltem alia sex realia, ne supra alios grauetur; & per consequens bulla iam sumpta duobus realibus in statu priuato videtur euadere omninò inutilis.

23 Affirmant tamen *Bardi p. 2. tr. 8. C. 1. in add. n. 37.* alijque recentiores. & meritò, nam in concessione, & acceptione bullæ interuenit contractus onerosus, nempè do, vt des; ergò si pro toto illo anno concedit Sum. Pontifex Titio vi acceptæ bullæ pro duobus realibus omnia Cruciatæ priuilegia, nequit sanè pro eisdem priuilegijs eodem anno aliquid plus exigere ratione nouæ dignitatis; atque adeo si Titius sumat bullam in statu priuato duobus realibus, etiamsi deinde fiat Dominus vassallorum, poterit adhuc vtiliter vti tali bulla vsque ad finẽ durationis eiusdem bullæ omnibusq; Cruciatæ gaudere priuilegijs absque eo, quod aliam bullam sumat octo realibus. *Bardi.* *Auctor.*

24 Ad rationem autem dubitãdi in contrarium Dico, eam habere locum in ipsa receptione bullæ, & dum veluti stipulatur dictus contractus onerosus, ac in solutione taxatę eleemosynę, vt ex dictus patet.

25 Petes, An idem dicendum sit in casu quo Titius sumat bullã non Sacerdos, ac post sumptã bullam fiat Sacerdos; an scilicet tunc possit comedere lacticinia vi eiusdem bullę, & absq; eo, quod sumat aliam bullam paruam de qua supra agimus Disp. 3. Q. 4.

26 Negat *Bardi ci. n. 42.* & meritò, eò quia dùm in ipsamet bulla expresè excipiuntur Sacer- *Bardi.* *Auctor.*

cer-

Sacerdotes à comestione lacticiniorum vi eiusdem bullæ, consequenter dùm eadem bulla traditur, vtiquè sub hac conditione illa traditur, videlicet dummodo non sit Sacerdos; atque adeo si casu Sacerdos inueniatur, aut deinde fiat talis, nulla prorsus fit iniuria sumētibus eandem bullam, si vt Sacerdotes à dicto priuilegio comedendi lacticinia vi talis bullæ repellantur; & eadē est ratio de alijs similiter à tali priuilegio exclusis, iuxtà supradicta lo. ci.

DIFFICVLTAS IX.

An dicta Quantitas Eleemosynæ pro bulla taxata sit proportionata pro consecutione tot gratiarum in ipsa Bulla contentarum?

27 RAtio dubitandi pro parte negatiua est, quia communiter DD. ad consecutionem Indulgētiarum necessariò requirunt causam non solùm piam, sed etiam proportionatam cum ipsamet indulgentia acquirenda, adeo vt, quò maior est indulgentia, eò maior requiratur causa, vt colligitur *ex extraug. Vnigenitus, de pœnit. & remiss. & exc. Tum ex eo, eod. tit.* ac proindè tàm exigua eleemosyna pro tot Indulgentijs, ac gratijs vi huius bullæ acquirendis, satis improportionata videtur.

28 Affirmant tamen communiter DD. supradictam eleemosynam, adhùc pro lucrandis tot plenissimis indulgentijs, tāque amplissimis Cruciatæ gratijs, ac priuilegijs fruendis, esse proportionatam. & meritò, quia spectari debet pecunia, quæ à particulari pro bulla contribuitur, non secundùm se, & solitariè sumpta, quæ sic sanè exigua existimanda est, præsertim respectu diuitum, sed cum ordine ad reliquas, quæ à reliquis fidelibus etiam pro eadem bulla erogantur: hoc est, attendenda est tota illa pecuniarum massa, quæ à singulis fidelium eleemosynis resultat, quæ satis magna est, & proportionata ad hoc, vt Sum. Pontifex moueatur ad concedendam Cruciatam tot indulgentijs, ac gratijs refertam.

29 Confirmatur quadam paritate; si enim e.g. milites alicuius exercitus vnum tantum vuæ racemum ex alicuius vinea, inuito Domino, singuli furarentur; vtiquè si spectetur racemus vnius militis secundū se, & solitariè sumptus, satis exiguus est, & per consequens improportionatus ad peccatū mortale: si tamen consideretur cum ordine ad omnes alios vuæ racemos à reliquis militibus surreptos; hoc est, si spectetur tota illa vuæ massa conflata à singulis racemis, vtiquè maxima est, & sic proportionata ad hoc, vt singuli milites graue peccatum committāt. sic qui bullam sumit, quāuis si solitariè spectetur, quid leue præstet, attamen si cum ordine ad reliquos fideles eādem bullam sumentes attendatur (prout dictum est) verè aliquid non leuis momenti eū præstare, dicendum est. ex quibus patet ad rationem dubitādi in contrarium.

Adde

30 Adde, quòd paucissimi bullam Cruciatę sumerent, si pro illa magnam pecuniarum summam erogare deberent, atque adeo non haberetur finis intẽtus.

31 Atquè hæc satis sint circa qualitatem, & quantitatẽ eleemosynę erogandę pro bulla Cruciatę. superest igitur solùm dicere, quomodo conseruãda sit eadem bulla adhoc, vt ea vtilis sit.

QVÆSTIO IV.

De Conseruatione Bullæ.

TErtia conditio, vt diximus, pro lucrandis bullę Indulgentijs, alijsque illius gratijs fruendis, est ipsius bullę Conseruatio, quę quanta, ac qualis esse debeat, breuiter in præsenti dicetur.

DIFFICVLTAS I.

An ad lucrandas Cruciatæ Indulgentias, aliasque eius gratias, necessè sit bullam secum ferre?

1 AFfirmarũt nonnulli, quos suppresso nomine refert Lud. à Cru. infrà ci. quorum assertio probari potest primò, quia in ipsamet bulla sic habetur: *Illam recipiant, & penès se retineant*. Secundò quia ad lucrandas Indulgẽtias impositas granis, coronis benedictis, rosarijs, iconibus, seu imaginibus, habitulis, cordonibus, & similibus necesse est illa secum gestare, ergò similiter, & hanc bullam nobiscũ gestare debemus, si velimus illius indulgẽtias lucrari alijsque eiusdem gratijs gaudere.

2 Negant tamen ipse *Lud. à Cr. D. 1. C. 1. d. 2. n. 7. Rodriq. in add. ad §. 12. num. 9. Herriq. l. 7. C. 20. nu. 4. Bardi p. 2. tr. 7. C. 3. nu. 11.* alijque communiter DD. & meritò, nam verè, & in omni rigore possum dicere, penès me habere, quod domi habeo, *l. Titia, cum testam. §. Gaius, de legat. 2.* siue sit ensis, siue liber, etc. etiamsi domus, in qua res istę sunt, sit à me disiũctissima; ergò non est necessè ad lucrãdas huius bullę gratias, ipsamet bullam nobiscum gestare, ac multò minus necessè erit illam tangere, prout nimis ridiculè aliqui Cõfessarij, dum virtute bullę absoluunt, illam super pœnitentium caput tenent extensam, sed satis superque erit, domi ipsam bullam habere. ex quibus patet ad primam rationem in contrarium. *Lud. à cr. Herriq. Herriq. Bardi. Auctor.*

3 Ad secundam verò rationẽ sumptam ex paritate Indulgẽtiarum virtute alicuius coronę benedictę, et huiusmodi rerũ acquirendarũ, Dico, huiusmodi indulgentias communiter concedi sub conditione ista, nempè vt dictę res secum ferãtur; quod multò magis fieri debet, si in illarum concessione dicatur: qui hanc coronam recitabit, etc.; nequimus enim illam recitare, nisi nobiscum eamdem habeamus, imò et tãgamus: in cõcessione verò bullę Cruciatę nullibi apparet talis, aut similis conditio, atque adeo non curret paritas.

4 Vrgeret tamen paritas, si in con-

concessione illarum Indulgentiarum diceretur sic: illas lucrari, qui coronam, aut iconem habet; tunc enim ly *habet* non indicat realem gestationem; & sic de facto nonnulli asserunt, tunc huiusmodi Indulgentias acquiri posse absque eo, quòd res ipsæ, quibus inhærent dictę Indulgentiæ, secum ferantur; quia tamẽ communiter DD. docent, huiusmodi Indulgentias nõ posse nos consequi, nisi nobiscum feramus res, quibus ipsæ Indulgentiæ inhęrent, ideo tenemur assignare disparitatẽ inter istas, & Cruciatę Indulgẽtias.

5 Disparitas igitur est, quia Indulgentię concessę Rosarijs, & huiusmodi rebus, sunt Indulgentiæ reales, atque adeo affixę ipsissmet rebus, quarum vsu acquiruntur earum indulgentię: eo modo, quo Indulgentię locales sunt affixę ipsis locis, quibus conceduntur; quorum locorum consequẽter vsu, illorum Indulgentię acquiruntur; sed quia loca nequeunt habere alium vsum nisi visitationem, hinc in ipsorum visitatione, eorumdẽ locorum indulgentias lucramur.

6 Indulgentię vero Cruciatę, quamuis sint aliquo modo locales respectù sumptionis ipsius bullę (vt suo loco diximus) attamen ratione vsus eiusdem bullę, sunt absolutè Indulgentię personales, atq; adeo affixę ipsismet personis sumentibus ipsam bullã; & sic posito vsu ipsarũ personarum, hoc est, posita actione aliqua requisita ab ipsismet personis, statim absq; vllo alio requisito acquirentur, qui quidem discursus totus fũdatur in triplici illa indulgẽtiarum specie, ac differẽtia, quam omnes admittunt, vt suo etiã loco diximus.

7 Ex dictis vlteriùs sequitur, quòd siquis mutuò ab alio accipiat, seu inueniat coronam v.g. modo dicto benedicta m &c. in cuius vsu conceditur indulgẽtia, vtiq; illã recitando, lucrabitur talem indulgentiã: secùs autẽ siquis mutuò accipiat, seu inueniat alterius bullam; eo quia indulgẽtię bullę requirũt vnionem personę cũ ipsa bulla per verũ dominium, seu possessionẽ, quę nequit haberi per mutuũ, seu meram inuentionem: è contra indulgentię istarũ rerũ reales requirunt solam vnionẽ materialem, quę sane poterit haberi & per mutuum, & per inuentionem, vt patet.

DIFFICVLTAS II.

An, qui bullam sumpsit, si apud aliũ illam seruet, possit illius priuilegijs gaudere?

8 NEgare videntur aliqui, eò quia in ipsamet bulla dicitur, quòd illã sumens debeat penès se retinere, prout supra etiam notatum est n. 1.

9 Affirmant tamen *Lud. à Cru. D. 1. C. 1. d. 1. n. 3.* alijq; communiter DD. & meritò, nam ad lucrandas Cruciatę indulgentias, aliasq; illius gratias acquirẽdas, sufficit (vt sępè dictum est) vt ipsa bulla possideatur, seu vt verum dominiũ in ipsam bullam habeatur: hoc autem dominiũ minimè amittitur ex eo pręcisè, quod ipsa bulla apud alium conseruetur, vt patet in omnibus alijs rebus. *Lud. à cr. Auctor.*

10 Ad rationem verò in contrarium Dico, verba illa bullę, *penes*

penès ſe, non importare niſi ſupradictum Dominium illius Bullæ,vi cuius lucraturi ſumus Indulgentias, ac reliquas Cruciatæ gratias,modo iam explicato.

11 Quod ſi quis velit contendere, ly penes ſe, importare ſolum Dominium in re,ita vt non ſufficiat Dominium ad rē, modo iam explicato; tunc dicam, hoc fieri, vt quis promptiùs poſſit oſtendere etiam in foro externo, quanam poteſtate vtatur priuilegijs Cruciatæ; ſicuti diximus ſupra Q. 1.nu.29. circa inſcriptionem proprij nominis, non autem facere ad valorem ſubſtantialem ipſius bullæ. An verò idem dicendum ſit, ſi bulla apud eũdem bullarum diſtributorem conſeruetur, dicemus ſequenti Diff.

DIFFICVLTAS III.

An Bulla poſſit vtiliter conſeruari apud ipſum Bullarum Diſtributorem?

12 Titius adijt Diſtribuitorē bullarum, eique ſoluit conſuetam eleemoſynam pro bulla: Diſtributor verò tunc promptè non habuit apud ſe, ac ſecum bullas, ſed domi à ſe diſtanti animo tamen quamprimum illam dicto Titio mittendi: quærimus hic, & in tali caſu, An Titius poſſit Cruciatæ priuilegijs gaudere etiã pro eo tēpore, quo ſua bulla apud ipſum Diſtributorem erit.

13 Negat *Bardi p.2.trac.8.ſe.3. add.n.32.* ex eo, quia ſic habetur in inſtructione Commiſſarij Generalis; imo ipſe Com- *Bardi.*

Carolus Latius in Bull.Cruc.

miſſarius ſub excommunicationis pœnâ prohibet, ne ſumens bullam, illam iterùm relinquat apud eundem Theſaurarium, ſeu Depoſitarium; & hoc ne fraudibus detur locus; atque adeo niſi priùs cum effectu ipſa bulla à Diſtributore recipiatur, nequimus (iuxtà hanc opinionem) priuilegijs Cruciatæ gaudere.

14 Affirmant tamen aliqui recentiores; & meritò, primò *Auctor.* quia (vt ſupra diximus) poſſumus æquè benè conſeruare bullam iam ſumptam, apud alium, ac apud nos ipſos; quòd autem iſte alius ſit bullarum Diſtributor, necne, vtiq; materialiter ſe habebit ad valorē ſubſtantialem ipſius bullæ. Secundò quia in bulla magna Plumbea ad lucrandas Cruciatæ Indulgentias, aliaſque illius gratias acquirēdas, Sum. Pontifex ſolùm requirit, vt ex bonis à Deo collatis Summarium recipiatur, & penes ſe habeatur: iam totum hoc habetur in caſu noſtro, vt ex ſupradictis patet; ergò non eſt, cur Cruciatæ priuilegijs priuetur Titius ex eo præcisè, quòd apud eundem bullarum diſtributorem ſuam bullam conſeruandam relinquat, & ipſe Diſtributor eandem bullam nomine Titij apud ſe conſeruet.

15 Neque ad hoc obſtare videtur bullæ indeterminatio (vt ſupra etiam tetigi Q. 1. à n. 6.) nam paſſim in contractibus ciuilibus videmus, creditorem etiam cum iuramento fateri, ſe recepiſſe à ſuo debitore centum, cum adhuc ipſi centum remaneant, & ſint apud eundem debitorem, ſeu in domo ipſius debitoris adhùc cō-

seruentur; cur & in casu nostro idem dici nequit?

16 Multò minùs obstabit instructio Commissarij, eiusque pœna, nam hæc solùm ordinantur ad bonam executionem Pontificiæ concessionis, nihil tamē minuunt de eius validitate, neque minuere possunt; minuerent quidem, si tales conditiones ab ipsomet Pontifice in eadem concessione apponerētur, ex quibus patet ad rationes in contrarium; præsertim si ad breue tempus bulla apud Distributorem remaneat, nullaq; fraus timeatur, adhuc & ipsa pœna cessabit.

17 Demùm, vt infra dicemus, possumus bullæ gratijs gaudere etiamsi ipsa bulla deperdatur; cur ergò si apud ipsum Distributorē benè conseruetur, eadem vti nequimus?

DIFFICVLTAS IV.

An qui amisit bullam, possit adhùc illius priuilegijs gaudere?

18 Absolutè affirmat *Mendo D.21.C.1.n.3.* cuius præcipua ratio est, quia retentio bullæ, ait, non ex præcepto iniungitur à Pontifice, sed ex cōsilio, ergò quomodocunq; bullæ retentio deficiat, siue culpabiliter: siue inculpabiliter, poterit adhùc qui eam accepit, eius priuilegijs frui.

19 Absolutè autèm negant alij, eo quia in eadem bulla dicitur, ad lucrandas illius gratias, debere sumentes illam conseruare.

Lud. à cr. Herriq. Rodriq. 20 At *Lud. à Cruc. D.1.C. 1.d.2. Herriq. l.7. C.10.n.3. Rodriq. add. ad §.12.n.9. Riccius ibi. nu. 15. & 16. Acosta q.12. Diana p.1.tr.11.res. 95. Bardi p.2.tr.8.C.2.n.19.* alijque communiter DD. media via incedunt, nēpè si bulla casu amittatur, laceretur, comburatur, &c. absque culpa crassa ipsius priuilegiati etiamsi interueniat culpa leuis tunc concedunt, posse priuilegiatum illius gratijs frui; secùs autem si illa ex culpa crassa ipsius priuilegiati deperdatur, vel comburatur, &c. Riccius. Acosta. Bardi.

21 Et meritò; quia, vt supra diximus, non est de essentia priuilegij in communi, & vt sic vt illud in scriptis ponatur, & sic conseruetur; ergò dum talis conditio specialiter præcipitur in hoc bullæ priuilegio, sane vt odiosa, sumi debet omni *strictiori* modo, quo potest: iam stant simul, me conseruare bullam, & illam absque culpa amittere, atq; adeò stabūt etiā simul amittere inculpabiliter bullam, & illius priuilegijs adhuc gaudere. ex quibus patet ad rationem in contrarium pro secunda opinione allatam num.19. Auctor.

22 E contrà nullo modo dicitur conseruare bullam, qui illā consultò lacerat, vel ex crassa culpa amittit; & sic dùm in eadem bulla præcipitur illius conseruatio, vt eiusdem gratiæ acquirantur, consequenter qui sic bullam lacerat, seu amittit, non poterit illius gratijs frui. Quod autem talis conseruatio bullæ præcipiatur, patet ex ipsamet bulla, dùm dicitur: *Mandatur, vt Summarium hoc recipiatur, & retineatur per omnes, qui huiusmodi gratiarum participes esse voluerint*; certè ly *Mandatur*, præceptum importat

rat; & sic corruet ratio pro prima opinione initiò allata.

DIFFICVLTAS V.

An Ordinarij omninò teneantur applicare sacræ Expeditioni pœnas pecuniarias?

Rodriq. Acosta. Bardi. Author.

23 AFfirmant *Rodriq. in fine Bul. Acosta q.89. Bardi p.2.tr.8.C.2.n.61.* alijq; & meritò, nam Sum. Pontifex in §.19. præcipit his in virtute sanctæ obedientiæ, vt applicent dictæ sacræ expeditioni omnes pœnas pecuniarias, etiam loco corporalium, imponendas, & exigendas ibi, ac dùm hæc bulla viget; & consequenter omnes, qui sub Ordinarij nomine veniunt, non solùm grauiter peccare facientes oppositum, sed etiam teneri ad restitutionem.

24 Verùm hoc procedit ex vi verborum ipsius bullæ: ceterũ, an talis applicatio sit in vsu, & an oppositum sit à dictis Ordinarijs legitimè præscriptum sciente, ac tacitè approbante Pontifice, ac Rege, me remitto iudicio prudentum, qui iuxtà singulorum locorum consuetudinem, meliùs hoc iudicabunt.

25 Atquè hæc satis sint circa bullam Cruciatæ, prout hodie pro Viuis ea cõceditur. ad bullam ergò Defunctorum progrediamur.



DISPV-

DISPVTATIO VLTIMA DE BVLLA DEFVNCTORVM.

Hactenùs iam explicatis gratijs, quæ à Sum. Pontifice per Bullam Cruciatæ fidelibus viuentibus conceduntur, dicendum vltimò pro complemento huius Operis solùm restat, quod ab eodem Pontifice per eandem Cruciatam conceditur eorumdem fidelium Animabus in Purgatorio detentis, quod hac vnica, & vltima Disputatione præstabimus.

QVÆSTIO I.

De Purgatorio.

Aliqua hic primò de existentia; ac pœnis Purgatorij præmittam, tum quia id ipsum præstant Auctores de hac bulla tractantes, præsertim facundissimus Bardi præceptor meus benemerentissimus; tum etiam quia nullibi ex varijs voluminibus, quæ (Deo dante) in lucem edituri sumus, commodiùs occurret de Purgatorio sermonē instituere. sit ergò:

DIFFICVLTAS I.

Quid sit Purgatorium?

1 Nomine Purgatorij intelligimus locum, in quo Anima è corpore separata cum gratia Dei sanctificante, patitur vsquè dum compleat reliquum pœnarum suis peccatis debitarum, quas in hac vita vel dare non potuit, seu dare distulit, vel non curauit. vbi autem talis locus sit, infra dicetur Diff. 3.

2 Pro cuius rei intelligentia recolendum est, quod supra diximus loquendo de Indulgentijs, nempè peccatum duo mala peccanti causare, malum scilicet, seu reatum culpæ, & malum, seu reatum pœnæ: malum igitur culpæ in peccato mortali consistit in priuatione gratiæ sanctificantis, quæ deinde restituitur vel per Sacramēta, vel per cōtritionem, & charitatem cum voto Sacramenti; malū verò pœnæ vel est damni, & consistit in priuatione Visionis Beatæ, quæ priuatio, mediante gratia sanctificante ex æterna fit temporalis; vel est sensus, inquantùm mortaliter

ter peccans redditur obnoxius omnibus Inferni pœnalitatibus, quæ quidem pœnalitates ex æternis commutantur in alias temporales mediãte gratia sanctificante, vt de pœna damni dictum est.

3 Similiter peccatum veniale quamuis non priuet gratia sanctificãte, habet tamen suã deformitatem, & aliqualem deordinationem à Sũmo Bono, redditque hominem etiam obnoxium alicui pœnæ temporali; quas quidem pœnas temporales debitas tàm mortalibus, quàm venialibus peccatis, modo dicto, secundùm Diuinæ iustitiæ dispositionem, qui in hac vita non soluit, necessariò in alia vita soluere plenè debet antequam Deo reuelata facie potiatur; nihil enim coinquinatum Cælum ingreditur, ex *Apoc. 21. ver. 27.* Quæ omnia ex dicendis meliùs patebunt.

DIFFICVLTAS II.

An detur Purgatorium.

4 NEgarunt plerique ex Hæreticis tàm ex antiquis, quàm ex neotericis, vt passim videre est apud DD. de hac materia ex professo tractantes; Fide tamen sanctum est, dari Purgatorium, modo iam explicato.

5 Probatur ergò primò authoritate Scripturarũ; & quidem primò, vt refertur 2. *Machab. C. 12.* Iudas Machabeus duodecim millia drachmarum argenti Hierosolymam misit offerenda in sacrificiũ pro peccatis mortuorum, ex qua tàm sancta actione, sic illud Caput 12. concluditur: *Sancta, & salubris cogitatio est pro Defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*; ergò in alia vita aliqui Defuncti obtinere possunt remissionem suorum peccatorum: iam verò hi nequeunt esse qui in peccato mortali mortui sunt, & pœnas æternas Inferni sustinent; neque Beati, qui, cùm careant omni macula, nulla indigent peccatorum remissione, igitur solùm sunt Purgatorij animæ, quæ quidẽ recesserunt ex hac vita in gratia Dei, nõ tamen plenè pro peccatis satisfecerunt; vnde purgari debent in alia vita, & à fidelibus adiuuari orationibus, alijsque pijs operibus, vt à pœnis liberẽtur. multa alia Scripturæ loca à DD. passim afferũtur ad probandam Purgatorij veritatem, quæ apud eosdem videri poterunt, ne aliter mei instituti fines egrediar.

Auctor.

6 Probatur secundò ratione, quia (vt etiam dictum est) ex vna parte nihil coinquinatum potest Cælum ingredi, *Apoc. 21* ex altera verò parte multi discedunt ex hac vita cum solis peccatis venialibus: iam hi nõ merentur Infernum, neque ingredi possunt Cælum, nisi priùs purgentur, ergò ad hoc debet dari locus proprius; hũc vocamus Purgatorium, quatenùs in illo animæ perfectè purgantur, & plenè depurantur. Sed videamus vbinam sit Purgatorium.

DIE-

DIFFICVLTAS III.

In quonam loco sit Purgatorium?

7 NIhil certum in sacris litteris,& de Fide,vel ex definitione Ecclesiæ habemus circa locum determinatũ Purgatorij; attamen iuxtà dicta Patrum asserendum est,locum Purgatorij, secundùm legem communem, esse in parte inferiori coniunctum inferno, ita vt eodem igne, quo crucientur animæ Damnatorum,purgentur, ac depurentur animæ iustorum: sic S. *Thom. in 4. D. 21.q.1.ar.1.q.2.* & cõmuniter Theologi.

S.Thom.

8 Et quidem meritò hoc factum est, nam sicuti pro alijs animarũ statibus certa, ac determinata loca à Deo sunt destinata, vt pro Dãnatis, & pro Beatis, ita similiter & pro animabus adhùc purgãdis aliquis certus, ac determinatus locus destinandus erat; quem quidem locum esse Inferno coniunctum, ac eiusdem inferni pœnas continentem, suaderi potest ex illis verbis Ecclesiæ, sic: *Libera Domine animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni &c.* per infernum autem hic intelligitur Purgatorium. hunc autem locum diximus esse destinatum animabus purgandis, de lege ordinaria, seu communi, nam aliquando, ob aliquem finem à Diuina prouidentia intentũ, de lege extraordinaria, & particulari,aliquæ animæ puniuntur,ac purgantur in Balneis,in fluminibus, in glacie &c. vt ex multis reuelationibus testantur passim historiæ.

9 Quatuor ergò loca inueniuntur inferna, hoc est subtus terram; & quidem subtus alia, seu in centro terræ est locus Damnatorum; super hunc est locus animarum, quæ purgantur, seu Purgatorium; deinde sequitur Limbus puerorum;ac super omnia est Sinus Abrahæ, seu Limbus Sanctorum Patrũ vt cœlo vicinior, & in quem discendit anima Christi Domini, prout in Symbolo de ea dicitur: *descendit ad Inferos.* Atq; hæc satis sint circa Purgatorij veritatem, eiusque situm. pœnas verò, quas tales animæ in tali loco patiuntur, tangemus in sequentibus.

DIFFICVLTAS IV.

Quot, ac quales sint Purgatorij pœnæ?

10 DVplicem pœnam Animæ Purgatorij patiuntur, alteram Damni, sensus alteram, vtramque tamen temporalem,& ad tempus aliquod determinatum à Diuina Iustitia,iuxtà satisfactionem dandã, modo infra explicando Diff.11. Pœna igitur Damni consistit in carentia visionis Beatæ aliorumque supernaturalium bonorum,quæ cum Beatitudine coniuguntur; quæ quidem carentia causat in illarum voluntate summam, ac maximã tristitiam,supra quã alia excogitari nequit maior.

11 Pœna autem sensus à supradicta contradistincta dicitur illa, quæ prouenit ab extrinseco,& sensibili corpore per realem mutationem ad modum

rei

rei sensibilis; quàm quidem pœnam sensus causari ab igne vero, & reali, docent communiter DD. adeo vt sit temerariũ, & errori proximum asserere oppositum. ceterùm quomodo ignis omninò materialis agat in substantias spirituales, humanam excedit capacitatẽ.

12 Similiter istam pœnam sensus esse acerbissimam, nulla est difficultas; imò asserunt communiter Sancti Patres, eam esse grauiorem omni alia quacũque pœna, quam in hac vita vnquam homo passus est, aut pati possit: sic enim exigit Diuinæ iustitiæ ordo contra grauitatem culpæ in contemptũ Diuinæ, & immensæ Maiestatis iam commissæ.

DIFFICVLTAS V.

An Animæ Purgatorij à Dæmonibus torqueantur?

13 RAtio dubitandi pro parte affirmatiua est, quia Historiæ ex varijs reuelationibus testãtur, animas in Purgatorio à Dæmonibus torqueri.

14 Negant tamen S. *Thom. in 4. D. 21. q. 1. ar. 2. q. 5. Coninb. de Purg. D. 11. d. 3. n. 35. Suar. to. 4. D. 46. sect. 2. n. 8.* alijque, & meritò: indecens enim est, & inconueniens, vt animæ eorum, qui finaliter victoriam contra Dæmones in hac vita reportarunt, à Dęmonibus torqueantur. quarè ipsemet Deus immediatè per ignẽ, tãquam per instrumentum obedientiale diuinę iustitię eos punit, ac purgat. *D. Thom. Coninb. Suarez. Auctor.*

15 Ad rationem autem dubitandi in contrarium Dico, tales visiones esse symbolicas, & *Carolus Latius in Bull. Cruc.* allegoricas. quòd si contendes aliquando fuisse veras, ac reales, dicam, hoc aliquando, ac rarissimè accidere, propter specialè aliquod Dei iudiciũ, nihil esse absurdi.

DIFFICVLTAS VI.

An pœna Purgatorij minuantur quoad intensionem?

16 NEgant *Suar. to. ci. D. 46. se. 4. nu. 8. Ragucius de stat. ani. quæst. 38. Bart. à S. Faust. l. 5. de suffr. quæst. 10.* alijque, eò quia, aiunt, sicuti pœna ista nõ incipit paulatim augeri per intensionem, sed simul tota eius intensio incipit, ita neq; paulatim secundùm intensionem decrescere debet. quarè secũdum hanc opinionem, Anima quæ incipit sustinere purgatorij pœnas intensas v. g. vt quatuor, semper cum eadem intensione vt quatuor illas sustinebit vsquedùm è Purgatorio egrediatur; & per consequens suffragia viuorum solùm minuunt tempus durationis dictarum pœnarum, non autem earumdem intensionem. *Suarez. Ragucius Ba. à S. F.*

17 Affirmant tamen *Bellarmin. l. 2. de purg. Herriq. sum. l. vlt. C. 25. nu. 3.* alijque, & meritò; primò quia hoc videtur conformius fidelium conceptui, quẽ communiter habemus de his Purgatorij pœnis. probatur secundò quadã congruentia; & quidem recta ratio dictat, vt Titius, qui in hac vita acerbiorẽ pœnitentiã de suis peccatis fecit quã Caius, sanè in Purgatorio minores pęnas sustineat nõ solum quoad extẽtionẽ, sed etiam quoad intensionem; ita *Bellarm. Herriq. Auctor.*

vt si Caius v.g. sustinere debeat purgatorij pœnas per decem annos, & intensas vt sex, Titius vero solũ per octo annos v. g. & minùs intensas v. g. vt quatuor. hoc ergò posito, contingere potest, vt Caius, partim ob multa, ac varia suffragia ob eundem oblata, partim ob satisfactionem ab eodem in ipso Purgatorio datam, reddatur non minùs dignus Titio, ergò similiter condecens est, vt pęna Caij minuatur ad octo annos (secundùm casum positũ) & ad intensionem solùm, vt quatuor, atque adeo probabiliùs videtur, pœnam Purgatorij minui in dies non solùm quoad extentionem, & spatiũ temporis, sed etiã quoad eius intensionem, & acerbitatem.

18 Ad rationem verò AA. in contrarium, concedo antecedens, & nego consequentiam. Adde multas reuelationes cõfirmare nostram opinionem.

DIFFICVLTAS VII.

An Animæ Purgatorij possint mereri, & demereri?

19 SI loquamur de merito de condigno, conueniunt communiter DD. esse de Fide, non posse Animas Purgatorij mereri de condigno; ita enim apertè colligitur ex sacris litteris; *Luc. 16. Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris ampliùs villicare*, id est mereri, quod confirmatur ex *Apoc. 10. Tempus non erit ampliùs*, id est merendi. *Ioan. 9. Venit nox, in qua nemo potest operari*; nox hic significat tẽpus, quod sequitur post mortem, in quo homo nequit operari opera meritoria, quod in pluribus alijs locis tum ex nouo, tum ex veteri testamento habetur, vt passim apud DD. de hac re tractantes videre est. Ratio autem huius rei est sola Diuina voluntas, quæ disposuit, statum merendi esse solam hanc vitam, saltem de condigno, vt dictum est.

20 Solùm igitùr potest quis dubitare, An Animæ Purgatorij possint mereri saltem de congruo, & ratio dubitandi est, quia in animabus Purgatorij inueniuntur omnia principia ad merendum, nempè Fides supernaturalis, Gratia sanctificans, Charitas, Libertas, &c. ergò hæ Animæ poterunt mereri saltem de congruo.

21 Et quidem licèt hoc non sit ita certum, ac primum; cõueniunt tamen communiter DD. Animas Purgatorij non posse neque de congruo mereri. & meritò, nam scripturæ absolutè asserunt, non posse hominem mereri post hanc præsentem vitam, vt vidimus; ergò homo post hanc vitam nõ poterit mereri de cõgruo, neque de condigno. *Auctor.*

22 Ad rationem autem dubitandi in contrariũ Dico, quòd quamuis Animæ Purgatorij habeant omnia principia intrinseca ad merendum, deficit tamen illis status aptus, ac cõgruus ad merendum; & hoc ex diuina lege, vt dictum est.

23 Ex dictis sequitur, Animas Purgatorij non posse neque demereri, tum ob immobilitatem status, vt dictum est; tum etiam quia sunt

sunt confirmatæ in bono, illique immobiliter adhærent, mediante gratia, & Diuina protectione.

DIFFICVLTAS VIII.

An Animę Purgatorij possint pro nobis Deum orare?

D. Thom. 24 NEgant aliqui ex *D. Tho. 2.2.q.83.ar.11.ad tert.* eò quia videntur potiùs in statu, vt alij pro ipsis orent, quàm vt ipsę pro nobis fundent ad Deum preces.

Bellarmin. Suarez. Mendo. Auctor. 25 Affirmant tamen *Bellarmin. l.2.de Purgat.* C.15. *Suar.tom.1. in 3.p. D.52.se.3. Mendo D.4. append* C.2. alijque; & meritò, primò quia hic est communis fidelium conceptus, nempè Animas Purgatorij orare pro ijs, qui vel sibi benefaciunt, vel ipsarum orationes implorant; qui quidem conceptus non debet sic de medio tolli, nisi occurrat aliqua implicantia, seu inconuenientia, quę sanè nulla occurrit. Secundò quia, cum sint amici Dei, quid vetat illis commendare ipsi Deo proprias familias, amicos, benefactores, &c. saltem in genere; imò in indiuiduo, deferentibus Angelis custodibus nostras illis preces!

26 Ad rationem verò in contrarium Dico, calamitatem illius status non obesse, sed prodesse; nam assuetæ malis sic meliùs miseris succurrere discunt.

DIFFICVLTAS IX.

An Animæ Purgatorij sint certa de propria salute?

27 DIonysius Carthu. l. de 4. nouis. ar. 47. putat, aliquas animas Purgatorij inter alias pœnas pati etiam hanc aliam, nempè eas esse incertas de propria salute. Dionys. Carthus.

28 At *Bellarm. l. 2. de Purgator. C.4. Suar.tom.4.D.47.se.3.nu.5.* alijque communiter DD. docent, omnes Purgatorij animas esse certas de propria salute; & meritò, nam Animæ in instanti, quo exeunt de corporibus, ex Iudicio particulari, quod tunc de eis fit, (vt cōmuniter docent PP.) necessariò sciunt ex data sententia, se non esse damnatas; quod quidem Iudicium particulare cū fiat de omnibus, consequēs est, vt omnes hę Purgatorij Animæ sint certæ de propria salute. Bellarm. Suarez. Auctor.

29 Adde, plures Purgatorij Animas, præsertim sapientum, esse etiam de salute propria certas ex hoc, nempe quia vident, se Deum diligere, patiēter tam acerbissimas pęnas sufferre, & peccatum detestari, quæ de Animabus damnatis verificari non possunt.

hinc meritò opinio Carthusiani ab omnibus reijcitur.



DIFFICVLTAS X.

An Animæ Purgatorij antequam perfectè purgentur, possint è Purgatorio exire?

30 COnueniunt DD. nō posse per se, & ex lege ordinaria loquendo, animas ex eo loco exire antequam perfectè, & completè ipsæ purgentur; ex Diuina tamen dispensatione similiter docet, non solùm id fieri posse, verùm etiam aliquando id factum fuisse, probant ex quibusdam reuelationibus, quas refert *S. Greg. Papa l. 4. C. 10. 36. & 40. dial.* & alibi. *S. Greg.*

31 Notandum tamē est, prout etiā notant communiter DD. quòd animæ, quæ apparent, vt plurimùm purgātur in aliquo loco determinato huius mundi, non autem in Purgatorio propriè dicto, de quo suprà diximus n. 7.

32 Notandum etiam est, tunc non interrumpi earum pęnas, quia sic differretur tempus acquirendi Beatitudinem, & per consequens talis egressio redundaret in earumdem detrimētum, quod non est asserendum. quomodo autem secum ferre possint easdem Purgatorij pœnas, non est huius loci.

DIFFICVLTAS XI.

Quantonam tempore pœnæ Purgatorij durent?

33 SOtus in 4. D. 19. q. 13. ar. 2. putat, neminem in Purgatorio manere ad viginti annos; primò quia, ait, nemo illic est, qui non sit Dei amicus, atque adeo non est credibile, vt Deus illos priuet suo cōspectu vltrà viginti annos; & præsertim quia potest ipse Deus intensione, seu acerbitate pœnarum supplere longitudinem temporis. Secundò quia in hac vita pœnis viginti annorum quilibet potest se liberare a quolibet debito pœnæ, ergò multò citiùs in Purgatorio, cū illæ sint istis grauiores in infinitum. *Sotus.*

34 At *Suar. to. 4. de pœn. D. 46. se. 4. n. 6. Bellar. l. 2. de Purg. C. 9. Herriq. l. 7. C. 10. n. 4. Lud. à Cru. D. 2. d. 5. n. 16. Coninch. D. 11. nu. 4. Trullen. l. 4. d. 3. n. 13. Bardi p. 4. tr. 1. C. 2. n. 28.* alijque cōmuniter DD. docent, complures animas detineri in pœnis Purgatorij longè maiori tempore illo, quod à *Soto* assignatur. & meritò, primò quia ex multis reuelationibus habemus, quosdā detineri in Purgatorio annis trecentis, & quingentis; imò Surius in vita S. Luzbergæ ait, quendam Innocentium Papam detinendum fore in Purgatorio vsque ad diem iudicij finalis. Secundò quia Ecclesia solet pro aliqua certa Anima celebrare anniuersarias Missas, & officia vltrà ducētos annos; ergò nequit assignari aliquod annorum spatium, vltrà quod non duret pœna Purgatorij. *Suar. Bellar. Herriq. Lud. à cr. Coninch. Trullen. Bardi. Auctor.*

35 Hinc opinio Soti ab aliquibus dicitur temeraria, & vt talem iudicatam fuisse in Tribunali S. Inquisitionis, testatur Herriquez ci. & ideo, ait, quidam Minorita, qui illam prædicauit, compulsus fuit à Censoribus Fidei palinodiam canere; & meritò, aliter enim priuarentur illæ animæ pluribus suffragijs.

Ad

36 Ad primam igitur Soti rationem in contrarium Dico, eam esse piè excogitatam, nihil tamen probare; dandus .n. est locus Diuinæ iustitię requirentis, vt qui magis deliquit, magis etiam, ac maiori tempore (per se loquendo) in pęnis Purgatorij detineatur. Ad cuius Confirmationem Respondeo, quòd si quid probaret, multum sane probaret; probaret enim etiam, quod neq; ad vnam horam manerēt in Purgatorio animæ, quia potest Deus augendo intensionem pœnæ, redigere ad vnicam horam pœnas plurium annorum.

37 Ad secūdam verò Dico esse disparem rationem, nam hic est tempus misericordiæ, illic iustitiæ; ita DD. ci. Adde, hic pęnas pro peccatis liberè susci pi, & sic lōgè maioris esse pretij, & satisfactionis: illic verò omninò necessariò, & sic longè minoris esse pretij, & satisfactionis. an verò post iudicium Vniuersale adhùc aliquæ Animę in Purgatorio detineātur, infra dicetur.

DIFFICVLTAS XII.

An post Iudicium Vniuersale adhùc aliqua anima in Purgatorio remanebunt?

38 Ratio aliqua dubitandi pro parte affirmatiua est, quia ex vna parte nullus cælum ingreditur, nisi priùs pro peccatis commissis perfectè satisfecerit, vt certum est; ex altera verò parte non deerunt tunc plures, qui in ipso Iudicij Vniuersalis excidio discedent ex hac vita, quamuis cum gratia Dei, cum magno simul etiam reatu pœnæ; & sic cùm nequeant detineri in Purgatorio ante ipsum Iudicium statim faciendum, videntur cōsequenter fore in illo detinendos post, vsquedùm completè purgentur.

39 Negant tamen communiter DD. cum *D. August. l. 21. de Ciuit. C. 21.* & meritò, quia hic semper fuit, & est communis, & vniuersalis Ecclesiæ consensus, & colligitur ex historia Iudicij finalis relata à *S. Matth. C. 25.* vbi duos ponit ordines iudicandorum, nempè eorum qui sunt damnandi, & eorum, qui sunt in beatitudine recipiendi, & cōsequenter ab omni reatu etiam pœnæ omninò immunes, ac perfectè purgati, ergò &c. *D. Aug. Auctor.*

40 Ad rationem verò dubitandi in contrariū dicimus, quòd tunc Deus pro illo breuissimo tempore omnes animas purgandas perfectissimè purgabit, supplendo scilicet intensione pœnarum quamlibet temporis longitudinem, ac multorū annorum diuturnitatem.

Atque hæc satis videntur ad excitandam fideliū pietatem, ne grauentur iuuare dictas Purgatorij Animas, præsertim Cruciatæ suffragijs, de quibus in sequentibus dicemus.



QVAE-

QVÆSTIO II.

De Suffragijs in Communi.

MEdia, seu auxilia, quibus Animę Purgatorij iuuari possunt à viuentibus, communiter dici solent suffragia; de his igitur omnibus agendum erit: & quidem hic primò, & in præsenti de suffragijs in cōmuni, deinde verò, & in sequēti Quęstione de eisdem suffragij in particulari agemus.

DIFFICVLTAS I.

Quid, & Quotuplex sit suffragium?

1 SVffragium ex cōmuni DD. consensu (prout facit ad rem presentem) nihil aliud est, nisi auxilium illud, seu subsidium, quod offertur ab vno fideli pro altero ad obtinendam à Deo remissionem pœnę temporalis. quę quidem definitio, cum sit ex se clara, non indiget alia explicatione, magisq; clarescet ex dicendis.

2 Iam verò suffragia ista, seu opera satisfactoria, in quibus ipsa suffragia consistunt, ex *Trid. sess. 14. Can.* 13. ad tria generalia capita reducuntur, nēpè ad Orationem, Eleemosynam, & Ieiunium. *Trident.*

3 Et quidem sub Oratione compręhenduntur omnes actus virtutum, ad animam spectantes, vt sunt Diuinę laudes, gratiarum actiones, ipsamet sacrificia, & huiusmodi; his enim omnibus possumus Defunctos adiuuare. Sub Eleemosyna cōpræhenduntur omnia bona externa, quæ in auxilium animarum Purgatorij erogantur, vt sunt ipsæ eleemosynæ, constructio Ecclesiarū, Hospitalium, & Monasteriorum, & huiusmodi. Demum sub ieiunio cōtinentur omnia opera afflictiua proprij corporis, vt sunt ipsamet Ieiunia, flagellatio, ciliciorum gestatio; vigiliæ, peregrinationes & huiusmodi.

4 Hanc autem suffragiorum diuisionem esse adæquatam, patet, meliusque ex dicendis patebit; nam omnia opera bona, quibus adiuuare possumus Animas Purgatorij; vel pertinent ad Animam, vel ad Corpus, vel ad bona externa.

5 Dices, Indulgentia est maximum suffragium, & tamen non videtur compræhendi sub allata diuisione; ergò talis suffragiorum diuisio est manca, & insufficiens.

6 Respondent communiter DD. Indulgentias non constituere aliud suffragiorū genus distinctum ab enumeratis. & meritò, nam Indulgentia nihil aliud est, nisi applicatio operationum pœnalium, seu satisfactionum *Christi Domini*, ac Sanctorum, quæ conseruantur in thesauro Ecclesiæ, de quo ipsius Christi Vicarius disponere potest, vt suo loco diximus. Sed videamus, An dicta suffragia vtiliter pro Defunctis applicentur.

DIF-

DIFFICVLTAS II.

An viuorum suffragia prosint Defunctis?


7 CONueniunt primò DD. contra Hæreticos, de Fide esse, animas Purgatorij posse fidelium suffragijs plurimũ adiuuari. sic enim expresse habetur 2. *Machab. 12. ci. Sancta, & salubris est cogitatio pro Defunctis exorare, vt à pœnis soluantur.* Probatur etiam ratione, eò quia Animæ Purgatorij, cùm perseuerent in charitate, cum qua ex hac vita decesserunt, consequenter sunt nobiscum vnitæ tanquam viua membra sub vno Capite Christi, ac proinde nihil obstat, quin participent de fructu nostrarum piarum operationum. quod etiam confirmatur ex multis reuelationibus, quæ passim in vitis Sanctorum inueniuntur.

8 Conueniunt secundò DD. ex *D. Aug. C. 109. & 110. Enchir.* & alijs SS. PP. sacrificia, orationes, eleemosynas, aliaque viuorum pia opera, Beatorum animabus vt omni bono fruentibus, nihil prodesse, nisi ad aliquam gloriam accidentalẽ, consistentem in quodam gaudio accidentaliter superaddito de operibus, quæ pro ipsorum honore fiunt. *D. Aug.*

9 Conueniunt tertiò DD. etiã de fide esse, viuorum suffragia nihil omninò prodesse, nullũque leuamen afferre animabus Damnatorum, saltem pro peccatis mortalibus in hac vita quoad culpam nunquam remissis. patet ex Matt. 3. 25. vbi clarè dicitur, Damnatorum pœnam fore æternam; iam verò, si illorum pœna semel posset suffragijs minui, vtiquè possent ita multiplicari suffragia, vt sic tandem tota illa pœna exhauriatur, & consequenter non esset æterna, contra Christi Domini doctrinam.

10 Dubitatur tamen, An viuorum suffragia prosint Damnatis saltem quoad pœnam debitam pro peccatis venialibus, vel pro peccatis etiam mortalibus in hac vita tamen remissis quoad culpam. & quidem affirmant aliqui.

11 Negant tamen *Suar. tom. 4. D. 49. se. 4. nu. 16.* alijque communiter DD. & meritò; primò quia Damnati omninò carent amicitia Dei, atque adeo nequeunt communicare cum iustis in bonis operibus. Secũdò quia status Damnatorum omninò oppositus statui Beatorum, & consequenter incapax omni bono. pœna igitur peccatis venialibus debita, vel etiam mortalibus ritè confessis, quamuis sit de se temporalis, attamen in Inferno ratione status nequit minui. Adde, à Christo Domino pœnam Damnatorum dici absolutè æternam Matt. ci. ergò tota ea pœna, quę singulis Damnatis initiò damnationis statuitur, eadem semper, & æternũ durabit; si enim posset aliquo modo minui quoad eius intensionem, vtiquè non posset dici absolutè eterna, sed secundũ quid. *Suar. Auctor.*



DIF-

DIFFICVLTAS III.

In cuiusnam vtilitatem cedit suffragium oblatum pro Defuncto incapaci?

12 NOn rarò cõtingere potest, vt offeratur suffragium pro anima Purgatorij suffragijs incapaci, siue quia est damnata, siue quia est beata; quęrimus igitur hic, in cuiusnam vtilitatem cedat in tali casu tale suffragium? Et quidē *Suar. to. 4. de pœnit. D. 48. sect. 7. nu. 16.* putat in tali casu dictum suffragium reponi in Ecclesiæ Thesauro. Suarez.

13 At *Barthol. à S. Fausto l. 1. de suffrag. q. 34.* vult prodesse ipsimet offerenti. & meritò, nam intentio virtualis, seu interpretatiua offerentis suffragiū pro tali determinata anima, videtur esse ista, nempè vt ipsimet prosit, si tali animę non profuerit; dummodo tamen ipsemet offerens nulli alteri neq; explicitè, neque implicitè, seu virtualiter intenderit offerre in casu, quo tali determinatæ animæ non proderit, prout satis prudenter aliqui faciunt, applicantes suffragia sub conditione, nempè vt fructus operis oblati cedat in proprium commodum ipsius offerentis, vel alterius animę sibi magis coniunctę, seu magis indigentis in casu, quo anima illa, pro qua offertur suffragium reperiatur incapax satisfactionis. Ba. à S. F. Auctor.

14 Quod si ipsemet offerens nulla indigeat satisfactione, seu nullo modo alteri applicet suffragia illa; tunc vel reponētur in Ecclesię Thesauro, vel à Deo distribuentur inter alias Purgatorij animas, pręsertim benemeritas de ipso offerente, prout ipsi Deo placuerit.

DIFFICVLTAS IV.

An suffragium pro Defunctis in communi factum sic singulis prosit, ac si pro vno solo fieret?

15 NEgāt *Raguc. de Stat. ani. q. 39. n. 4. & 6.* alijque communiter *DD.* & meritò, quia suffragia ista, quę pro animabus Purgatorij applicantur, sunt finiti valoris, atque adeo quo plures erunt animę, inter quas diuidendus erit pro rata valor, seu satisfactio talis suffragij, eò minor erit pro singulis vtilitas, seu pœnarum diminutio. Raguc. Auctor.

16 An verò idem dicendum sit de sacrificio Missę, alibi dicetur. An verò suffragium pro vno oblatū prosit aliquo modo etiam alijs, dicetur *Diff.* sequenti.

DIFFICVLTAS V.

An suffragium pro vna determinata anima Purgatorij factum, prosit aliquo modo etiam omnibus alijs?


17 COnueniunt *DD.* quodlibet suffragium, etiam pro vna determinata anima factum, afferre omnibus illis animabus gaudium quoddam, seu solatium accidentale de bono illius animę. & meritò, nam charitas, qua sese inuicem perfectè prosequuntur, facit, vt vna

de alterius bono gaudeat, & lętetur: tùm etiam quia iurè ſperare poſſunt illius patrocinium. in cęlo, vbi aliquid pro eorumdem ſimiliter liberatione fortaſsis obtinebit.

28 At ſi loquamur de diminutione pœnę, quamuis ſimiliter videantur aliqui affirmare, dum comparant ſuffragium lucernę, quę ſi pro vno accendatur, omnes alios pręſentes etiam illuminabit; negant tamen *Suarez D. 48. de pœn. ſe. 8. n. 23. Bellarmin. de Indul. l. 1. C. 14. q. vlt. Lugo D. 26. de pœn. ſe. 2. nu. 18. ex* S. *Tho. in 4. D. 45. q. 2. ar. 4. q. 1.* alijque communiter DD. & meritò, nam valor ſuffragij totus quantus eſt dependet ab intentione offerentis, & ſic ſi intentio offerentis eſt applicare totam ſuffragij ſatisfactionem pro Titio v. g. & non pro alijs, vtiquè nō poterit tale ſuffragium quoad ſui valorem ad alios ſe extendere; ſic enim eſſet contra intentionem offerentis.

Suarez. Bellarm. Lugo. S. Thom. Auctor.

29 Ex iis patet, comparationem ſuffragij lucernę eſſe omninò improportionatam, ſed potiùs ſuffragium erit inſtar pecunię, quę dùm offertur pro liberatione Titij v. g. è carceribus, nequaquam alijs proderit quoad fructum liberationis, vt patet.



DIFFICVLTAS VI.

Quidnam ſit meliùs offerre plura ſuffragia ſimul, & eodem tēpore, an ſucceſſiuè, & diuerſis temporibus?

20 Lauorius *de Indul. p. 2. C. 30 n. 138. Bart. à* S. *Fauſto l. 1. de ſuff. q. 60. Bardi p. 4. tr. 4. C. 1. nu. 21. & 22.* aliique ſic diſtingunt, quoad vtilitatem defuncti meliùs eſſe omnia ſimul ſuffragia offerre; quoad obſequium verò, ac Diuinum cultum, meliùs eſſe ſucceſſiuè; quarè ſi Titius v. g. pro anima ſui Parentis noluerit celebrare v. g. centum Miſſas, meliùs faciet reſpectù animę ſui parentis, ſi quamprimum, & vna die omnes centum Miſſas fecerit celebrare: reſpectù autem Diuini obſequij (ſecundùm datā diſtinctionem) meliùs erit, ſi ſingulis diebus vnica Miſſa ex illis centum celebretur.

Lauor. B. à S. F. Bardi.

21 Abſolutè tamen data diſtinctio non placet; quamuis enim eadem allatam diſtinctionem habere locum aliquando, vbi videlicet ſacerdotes nolūt celebrare abſque ſtipe; abſolutè tamen, ac communiter loquēdo cùm hoc non accidat, non video, cur ęquè benè, imò etiā magis cedat in Diuinū cultū, ſi omnes illę centū Miſſę vna die ſimul celebrentur, ac ſi vna tātū ſingulis diebus celebretur. *Auctor.*

22 Qui igitùr cōmodè poterit omnia ſimul ſuffragia ꝓ anima ſui parentis, vel alteriùs coniūcti offerre, abſolutè meliùs faciet, ſicuti fecit Sanctiſſimus Iudas Machabęus, qui (vt ſupra etiam dictum eſt) duodecim millia drachmarū argenti miſit Hieroſolymā ſimul offerēda in ſacrificiū pro peccatis mor-

tuorũ, quæ ex moneta nostrate faciũt mille ducentos quinquaginta scutatos, seu vncias quingentas; quæ quidem pecuniarum summa non videtur tunc temporis paruipendenda, quando strenuus Dux pœnè infinitas Bellorum impensas sustinuerat.

DIFFICVLTAS VII.

An qui nomine proprio applicat suffragia pro Defunctis, debeat esse in gratia?

23 AN suffragia, quæ ex opere operato prosunt Defunctis, vt sunt Indulgentiæ, & sacrificium Missæ, requirant statum gratiæ in operante, dicetur infra Q. 3. nu. 17. loquimur ergò hic de ijs suffragijs, quæ ex opere operantis prosunt Defunctis, vt sunt ieiunia, eleemosynæ, & huiusmodi suffragia. de his igitur in præsenti quærimus, An qui nomine proprio operatur, debeat esse in gratia adhoc, vt talia suffragia prosint Defunctis.

24 Affirmant *S. Thom. in 3. p. q. 82. art. 6. Suarez de pœnit. D. 48. se. 8. Lugo D. 26 se. 3. Lauor. de Indulg. p. 2. C. 30. n. 99. Raguc. de stat. anim. q. 39. nu. 7. Bart. à S. Fausto de suffr. l. 1. q. 29. Bardi p. 4. tr. 4. C. 2. n. 3.* alijque communiter DD. & meritò, primò quia ex Triden. sess. 14. C. 8. habemus, nostram satisfactionẽ absolutè esse per Iesum Christum, in quo viuimus, in quo mouemur, in quo satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ, &c. At in Christo vtiq; viuimus per gratiam sanctificantem, ergò pro eo tempore, quo non adest vita gratiæ sanctificantis, nequimus absolutè facere fructus dignos pœnitẽtiæ, & consequenter neque satisfacere poterimus neque pro nobis ipsis, neque pro alijs; atque adeo qui proprio nomine operatur, & fructum sui operis offert in satisfactionem pro Defunctis, necessariò debet esse in gratia; & ideo si fuerit in peccato mortali, omninò inutiliter pro illis se affliget.

S. Thom. Suarez. Lugo. Lauor. Raguc. Ba. à S. F. Bardi. Auctor.

25 Similiter Apostolus 1. ad Corin. 13. sic ait: [Si distribuero in cibos pauperũ omnes facultates meas, charitatẽ autẽ non habuero, nihil mihi prodest, &c.] ergò opera nostra sine charitate, & amicitia Dei, seu gratia sanctificante, nullius erunt valoris, seu satisfactionis apud Deum.

26 Ex ijs probatur secundò assumptum ratione, sic: nostræ operationes ex se, & ex natura sua nullius sunt valoris, nisi cũ satisfactionibus Christi vniantur; vniũtur autem cum Christi satisfactionibus nostræ operationes mediante gratia sanctificante, atque adeo qui absque gratia sanctificante, & in peccato mortali operabitur, neque pro se, neq; pro alijs satisfaciet. An verò similiter teneatur esse in gratia, qui nomine alterius operatur, sequẽti Diff. dicetur.

DIFFICVLTAS VIII.

An qui nomine alterius applicat suffragia pro Defunctis, debeat etiam esse in statu gratia?

27 DVpliciter põt quis applicare suffragia ꝑ defũctis nomi-

nomine alterius, nempè vt causa proxima, et principalis talis operis; et vt merus, ac simplex exequutor, seu veluti instrumentum illius, qui imperauit, seu rogauit vt fieret illud opus. et quidem si v. g. Titius petat à Caio, vt ieiunet, vel oret pro defunctis, vel quid simile, tunc Caius se habebit respectũ ieiunij, seu orationis vt causa proxima, et principalis quatenùs talia opera stent sub suo dominio, et non sub dominio Titij; quod si Titius præcipiat seruo v.g. vt eroget pauperibus aliquam eleemosynam ex pecuniis ipsius Titij, tunc seruus respectũ talis eleemosynæ se habebit vt merũ, ac simplex exequutor, seu instrumentum Titij. his positis.

Sotus. Suarez. Bonacin. Ba.à S.F. Raguc. Bardi.

28 *Sotus in 4.D.45.qu.2.art.1. concl.4.Suar.de pœn.D.52.sect.7. n.2.Bonac.de sacr. D.6.q.2.p.2. nu.9.Bart.à S.Faust.l.1. de suffr. q.3.Raguc.de stat anim.q.39.n. 9.Bardi p.4.tr.4.C.2.num.6.* aliique communiter DD. docent, statum gratiæ semper requiri in principali agente, atq; adeò in primo casu gratiam sanctificantem debere necessariò esse in Caio: in secundo verò casu in Titio.

Auctor.

29 Et meritò, nam omnis actio specificatur à suo principali agente; & sic dùm Caius rogatus à Titio ieiunat v.g. tale ieiunium erit satisfactorium, si Caius inueniatur in gratia, etiãsi Titius mandans tunc sit in peccato mortali: è contra nullius erit valoris si Caius dùm ieiunat, inueniatur in peccato mortali, etiamsi Titius sit tunc in gratia.

30 In secundo autem casu de eleemosyna, sufficit vt Titius sit in gratia adhoc, vt talis eleemosyna sit satisfactoria, & consequenter valida pro defunctis, circa quos exagitamus casum. ceterũ, an status gratiæ requiratur in Titio tempore mandati, an verò tempore exequutionis, seu largitionis dictæ eleemosynæ, dicetur Diff. seq.

DIFFICVLTAS IX.

An status gratiæ requiratur in principali operante tempore mandati, an verò tempore exequutionis?

31 PRæsens Difficultas in duplici casu habet locum; & quidem primò si Titius inueniatur in gratia dùm mãdat seruo v.g. vt eroget pauperibus eleemosynam modo dicto, sed tempore, quo de facto talis seruus erogat dictam eleemosynam, ipse Titius inueniatur in peccato mortali; & è contrà, nempè inueniatur in gratia Titius, dum seruus de facto erogat eleemosynam, quamuis fuerit in peccato mortali, dùm tali seruo eleemosynam erogare mandauit; nam si Titius fuerit in peccato mortali tum tẽpore mandati, tum tempore exequutionis, tunc certum est, eam eleemosynam non esse satisfactoriam; è contra verò si fuerit in gratia tum tempore mandati, tum tempore execu- tionis, tunc etiam certum erit, eam eleemosynam esse satisfactoriam. His positis.

32 Ad hoc vt Titius mereatur, & satisfaciat rõne illius bonę, & honestę volitionis, qua mandat fieri suffragiũ, necessariò debet esse in gratia eodẽ tẽpore mãdati; patet: qa talis volitio tũc existit; ergò adhoc, vt in seipsa sit me-

meritoria tunc, & satisfactoria requirit in Titio eliciente ipsam volitionem omnes conditiones requisitas ad meritum, & satisfactionem, inter quas est gratia sanctificans in ipso operante, vt ex supradictis constat.

33 Remanet igitùr difficultas, An si tempore mandati Titius inueniatur in peccato mortali, at tempore exequutionis talis mandati reperiatur in gratia, an scilicet talis exequutio sit meritoria, & similiter satisfactoria; & quidem si Titius tempore exequutionis, ac post acquisitam gratiam sanctificantem, eliciat nouum actum voluntatis siue explicitè, siue implicitè, quo approbet, seu ratificet opus suo nomine faciendum, vtiquè tale opus erit & meritorium, & satisfactoriũ, vt patet.

34 Solùm ergò dubitatur, an tale opus sit meritorium, & satisfactorium in casu, quo Titius nullum alium actum eliciat tempore exequutionis circa ipsum opus suo nomine faciendum.

35 Negant absolutè *Nauar. in man. C. 26. n. 36. Suar. de pœn. D. 48. se. 8. n. 12.* & alij, eò quia sumunt tale opus vt procedẽs à voluntate illa, quàm agens principale habebat tempore mandati; atque adeo secundũ hanc opinionem, legata facta à Titio in peccato mortali nõ valebunt pro animabus Purgatorij, nisi fuerint ab eodem Titio confirmata post acceptam gratiam sanctificantem. *Nauarr. Suar.*

36 Alij verò cum *Bardi p. 4. tr. 4. C. 2. à n. 11.* quamuis concedant tale opus esse satisfactorium pro ipso Titio, negant tamen esse satisfactorium pro Defunctis. *Bardi.*

37 Absolutè tamen affirmant *Raguc. de stat. anim. q. 39. nu. 10. Marchi. de Ord. tr. 3. C. 34. nu. 8. & 9.* alijque; & meritò, nam ex vna parte Titij illa voluntas moraliter secundùm omnia sua intrinseca perseuerat, (non enim fuit reuocata, vt suppono) ex altera verò parte habetur status gratiæ in ipso Titio, ergò habentur omnia requisita ad hoc, vt talis elargitio eleemosynæ sit & meritoria, & satisfactoria; & quidẽ cùm talis voluntas adhùc perseueret vt applicans talem satisfactionem pro Defunctis, vtiquè pro ipsis defunctis satisfaciet. *Rague. Marchi. Auctor.*

38 Et confirmatur à pari: instituat Titius in peccato mortali v.g. Caium in suum procuratorem ad contrahendum nomine ipsius Titij cum Berta: quæsò nonne si tempore contrahendi matrimonium inueniatur Titius in statu gratiæ, recipiet gratiam vi talis matrimonij (suppono nunc cum communiori, tale matrimonium esse sacramentum) cur non in casu nostro? & tamen in vtroque casu connotatur peccatum mortale in principali agente tempore mandati; ergò talis connotatio nihil obest.

39 Adde, si Titius licèt tempore mandati inueniatur in peccato, habeat tamen tunc animum ponendi se in statu gratiæ, antequam exequatur suũ mandatum, & de facto elargiatur sua eleemosyna, nonnè si de facto tẽpore exequutionis inueniatur in gratia, tales opus erit satisfactorium? ergò &c.

&c. Quarè siquis etiam in peccato mortali instituerit legatum, si verè in statu gratiæ ex hac vita discesserit, quamuis de illo nunquam postea cogitauerit, vtiquè proderit illis, quibus tale legatum applicauerit.

DIFFICVLTAS X.

An suffragium, quod fit à Ministro improbo nomine Ecclesiæ, prosit animabus Purgatorij?

40 Similiter in præsēti loquimur de illis suffragijs, quorum valor non est ex opere operato, vt est, qui ex sacrificio Missæ, seu ex Indulgētijs habetur, sed ex opere operantis eo modo, quo hactenùs loquuti sumus. Quærimus ergò hic, An Diuina Officia, quæ publicè recitantur nomine totius Ecclesiæ pro Defunctis, prosint ijsdem Defunctis, etiāsi à Sacerdotibus existentibus in peccato mortali recitentur.

Suarez. 41 *Suarez D. 48. de pœnit. sect. 8. n. 3. & 4.* distinguit in oratione impetrationem, & satisfactionem; qua posita distinctione, asserit orationem factam etiam à ministris improbis nomine tamen Ecclesiæ, posse impetrare aliquid à Deo, quia ad impetrandum non attenditur, nisi qui principaliter orat, nempè Ecclesia; negat tamen quoad satisfactionem; cuius ratio est, quia non est satisfactoriam opus, nisi inquantùm pœnale, (vt infrà dicetur) iam nequit esse pœnale respectù totius Ecclesiæ, quia tota Ecclesia vt sic non patitur, ergò si tale opus consideretur respectù totius Ecclesiæ, nequit esse satisfactorium; atque adeo opus erit solùm satisfactorium vt personale, & respectù solius personæ operantis; cùm igitur in casu posito talis oratio non possit esse satisfactoria nequè respectù mali ministri, qui supponitur in peccato mortali, consequenter talis Oratio non erit absolutè satisfactoria.

42 Affirmant tamen & quoad impetrationem, & quoad satisfactionē, & absolutè *S. Thom. in 4. D. 45. q. 2. ar. 1. q. 2. Sotus ibi q. 2. ar. 1. concl. 4. Nuñus add. ad 3. p. q. 20. ar. 4. de satisf. d. 5. Bonac. de sacr. D. 6. q. 2. p. 2. num. 7. Raguc. de stat. anim. q. 89. nu. 12. Bardi p. 4. tr. 4. C. 2. n. 20.* alijque communiter DD. & meritò, nam valor operis, quod offertur nomine alterius, non debet mensurari per ordinem, seu conditionem ipsius operātis, sed per ordinem, seu conditionem illius, cuius nomine fit oblatio; sicuti si princeps v.g. mitteret donum aliquod per seruum, vtiquè valor talis doni nō attenderetur per ordinem ad seruum proximè offerentem, sed per ordinem ad Principē, cuius nomine principaliter offertur. *S. Thom. Sotus. Nuñus. Bonacin. Raguc. Bardi. Auctor.*

43 Confirmatur paritate Missæ, quæ semper prodest Defūctis, quamuis ab improbo Sacerdote offeratur (vt suo loco dicetur) & hoc quatenùs nomine Christi offertur; ergò & in casu nostro, suffragia mortuorum, quamuis à Ministris improbis offerantur, adhùc proderunt absolutè Defunctis, dùm nomine Ecclesiæ offeruntur,

tur, & similiter nomine Ecclesiæ à Deo acceptantur.

44 Ad rationem verò in contrarium dico, quòd sicuti in corpore physico sufficit, vt aliquod illius membrum patiatur ad hoc, vt totum corpus verè dicatur pati, ita & in corpore mystico Ecclesiæ, dũ aliquis fidelis patitur, verè dicitur & tota Ecclesia denominatiuè pati; atque adeo tale opus erit pœnale etiam respectù totius Ecclesiæ, & per consequens erit similiter etiam respectù totius Ecclesiæ satisfactorium. Sed videamus, an omne suffragium debeat esse pœnale ad hoc, vt sit satisfactorium.

DIFFICVLTAS XI.

An suffragium, quod fit pro Defunctis, debeat esse necessariò opus pœnale?

Scotus. Sotus. Prapos. Vasquez.

45 NEgant *Scotus in 4. D. 15. q. 1. Sotus D. 19. q. 2. ar. 1. Prapos. in 3. p. de satisf. q. 12. d. 3. q. 3. Vasquez ibi. q. 94. ar. 1. d. 5.* nonnullique alij; eò quia, aiunt, ratio satisfactionis non desumitur ex sola mensura pęnæ, quæ in actu reperitur, verum etiam ex affectu charitatis, atque adeo nõ satisfacimus Deo solùm per opera pœnalia. probãt antecedẽs ex eo, quòd per operationes non pœnales mereri possumus augmentũ gratiæ, & gloriæ, quod est quid maius, quàm sit remissio pœnæ; ergò multò magis per easdem operationes non pœnales poterimus mereri remissionem pœnæ, quæ est quid minus.

S. Thom. 46 Affirmant tamen *S. Thom. in 4. D. 15. q. 1. ar. 5. q. 1. Suar. tom. 4. D. 37. se. 6. Valent. tom. 4. D. 7. q. 14. p. 3. Bonac. de pœn. D. 5. qu. 5. se. 3. nu. 8. Lugo de pœn. D. 24. se. 3. n. 37. Bar. à S. Faust. de suff. q. 6. Bardi p. 4. tr. 4. C. 1. num. 5.* & alij communiter DD. ac meritò, nam satisfactio est actus iustitiæ punitiuæ, quo resarcimus iniuriam illatam contra Deum, ergò debet fieri per operationes pœnales; antecedens est certum, consequentia verò probatur, quia cum culpę commissæ debeat correspondere pœna, seu vindicta, consequens est, vt operatio, quæ pro pœna debita exhibetur, sit pœnalis, nam vindicta consistit in pœna; atq; adeo opus ex se non pœnale, seu non afflictiuum non erit aptum ad satisfaciendum neque pro ipso operante, neque pro Defunctis.

Suarez. Valen. Bonacin. Lugo. Ba. à S. F. Bardi. Auctor.

47 Hinc Scripturæ, ac SS. PP. quoties loquuntur de satisfactione pro commissis peccatis, toties, ac semper in mediũ afferunt opera pœnalia, vt ieiunia, cilicia, fletus, & huiusmodi vt aptam materiam satisfactionis.

48 Ad rationem autem AA. in contrarium negamus antecedens; ad cuius probationem Dico, esse disparem rationem de merito ad gloriam, & de merito ad remissionem pœnæ temporalis; nam opus meritorium, vt meritorium, habet solùm augere gratiam, & per consequens dare ius ad excellentiorem gradum gloriæ, non autem habet vt tale tollere impedimentum ad obtinendam gloriam; atque adeo ex vna non benè infertur alia; alioqui posset quis inferre, per

opera

opera meritoria nos mereri etiam bona temporalia, cum hęc ſint longe minora.

49 Ceterùm ad tollendam omnem æquiuocationem, quia non videtur negandum, quodcunque opus bonum eſſe ſatisfactoriũ, cùm omne opus honeſtum ſit aliquo modo laborioſum, & pœnale, & ſic ſatisfactorium, eò quia omne opus honeſtum eſt contrarium alicui bono delectabili, & vtili, hinc quod dicimus eſt, quodlibet opus bonum eſſe ſatisfactorium ſolùm in quantùm ex ſe eſt pęnale, ſeu non eſſe ſatisfactorium niſi ſub ea ratione, qua verè pœnale dicitur. dixi *ex ſe*, nam ſi aliquando in illius exercitio nullus ſentiatur labor, vt ex aſſuetudine ſępè contingit, nihil refert, cùm hoc ſit merè per accidẽs.

DIFFICVLTAS XII.

An ſuffragia viuorum proſint defunctis de congruo ſolùm, an etiam de condigno?

50 QVamuis certum ſit, nullum purum hominem, ſaltem de facto, & de potentia ordinaria, poſſe de condigno mereri alijs, neque ſimiliter pro illis ſatisfacere quoad culpam (vt in materia de Incarnatione probatur) attamen quoad pœnam temporalem, de qua in pręſenti loquimur, plerique affirmant ſaltem pro alijs ſimiliter viuis; videndum igitur hic erit, an idem dici poſſit quoad defunctos, & per modum ſuffragij.

51 Negant tamen *Sotus in* 4. *d.* 13. *q.* 1. *ar.* 6. *tertio loco*, *Medin.* Sotus. Medin.

C. de ſatisf. q. 5. *Bardi p.* 4. *tr.* 2. Bardi. C. 2. *n.* 3. alijque, & meritò, nã Auctor. pœnę pręſentis vitæ ſunt longè inferioris rationis à pœnis Purgatorij, vt ſupra dictũ eſt; ergò nequimus pœnis huius vitę ſatisfacere de condigno, & ad æqualitatem pro pœnis Purgatorij; ſicuti nequimus pecunijs ſatisfacere pro vita, eò quia pecunię ſunt longè inferioris rationis, ſeu conditionis, quàm ſit vita; & ſic adhùc dato, quòd vnus homo poſſit de condigno, ſeu ad ęqualitatem ſatisfacere pro pœna debita alteri homini viuenti, non ideo poterit inferri idẽ quoad Purgatorij pœnas, vt patet ex dictis, ex quibus etiam patet ad rationem incontrarium, & meliùs patebit ex dicendis.

DIFFICVLTAS XIII.

An ſuffragia viuorũ proſint Defunctis per modum ſolius ſatisfactionis, ſeu ſolutionis, an etiam per modum impetrationis?

52 SOtus *in* 4. *D.* 25. *qu.* 3. *ar.* 2. Sotus. *Suar. to.* 4. *in* 3. *p. D.* 47. *ſe.* Suar. 5. *à n.* 5. *Filliuc. to.* 1 *tr.* 8. *C.* 1. *n.* Filliuc. 28. *Auerſa de Miſſ. q.* 11. *ſect.* 11. Auerſa. *Io. Sanch. ſelect. D.* 16. *n.* 12. *Bardi* Io Sanch *p.* 4. *tr.* 2. *C.* 2. *n.* 14. nonnullique Bardi. alij docent. ſuffragia viuorum prodeſſe Defunctis per modum ſolius ſatisfactionis, ſeu ſolutionis, non autem per modum impetrationis, ſeu gratuitę cõdonationis pœnę temporalis debitę pro culpis commiſſis. quorum ratio fundamentalis, & pręcipua eſt, quia natura, ſeu conditio Diuinę iuſtitię poſtu-

postulat, vt nullum malum remaneat impunitum, & ius Diuinum læsum ad æqualitatem resarciatur; opera enim Dei eo illustriora fiunt, quò exactiùs eius iustitia vindicantiua serua. tur.

D.Aug 53 Et confirmant ex *D.August. ser.50.de temp.C.12.* vbi ponderans S. Doctor illud Ecclesiastici 21. *fili peccasti, non adijcias iterum, sed de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur*; sic subdit: *sed quid proderit deprecari, si te non dignum feceris exaudiri, non faciendo fructus dignos pœnitentiæ?* ex quibus verbis inferunt, præter deprecationem requiri ad remissionem peccatorum satisfactionē consistentem in fructibus dignis pœnitentiæ, & sic deprecantes non petimus, omninò gratuitam cōdonationem pœnæ debitæ peccatis siue proprijs, siue alienis.

Durand. Coninb. Trùllen. Ba.àS F. Bellarm. Lugo. 54 At *Durand. in 4.D.45.q.1.n.6.Coninb.de Purg.D.11.d.7.nu.34.Trullen. l.4.d.6.Bar.à S. Fa-uſ.l.1.de suff.q.24.Bellarm.l.2.de purg.C.16.Lugo de pœn.D.24.se.1.* alijq; asserunt, nostra suffragia prodesse Defunctis etiam per modum impetrationis. & meritò, primò quia Ecclesia tàm in Missa, quàm in Officio, & exequiis Defunctorum rogat Deum, vt per suam pijssimā misericordiam, & intercessionem B. Virginis, & aliorum Sanctorum, Defuncti consequantur veniam peccatorum. quæsò, si Ecclesia non speraret aliquam à Deo pro Defunctis impetrare remissionē, ad quid in orando defatigaretur?

Auctor

55 Similiter Sancti, & Beati in Patria (prout omnes Theologi cōcedunt) orant pro animabus Purgatorij: iam cum nequeant eorū orationes esse satisfactoriæ, sanè nō poterunt illis prodesse, nisi vt merè impetratoriç

56 Dices, ab Ecclesia, & à Sanctis non peti gratuitā remissionem pœnarum, sed vel vt Deus dignetur acceptare suffragia, quæ fiūt pro Defunctis, eò quia iuxtà multorum opinionē non est infallibile à Deo ea acceptari: vel vt prebeat auxilia, quibus excitentur fideles ad exibenda suffragia pro Defunctis. Sed cōtra est, nam talis AA. interpretatio est manifestè aliena ab intentione Ecclesiæ, expressè postulantis in suis orationibus, vt per merita Christi, ac B. Virginis remittantur, ac relaxentur pœnæ; neque vllum quidem verbum habetur, quo significetur dicta fidelium excitatio, &c.

57 Probatur secundò ratione, quia Deus nō solùm est Iudex, sed etiam Supremus Princeps principaliter per peccatum offensus, atque adeò non minùs ipsum decet non relinquere peccata impunita, quàm aliquandò liberaliter remittere, ac misericorditer condonare saltem partem aliquam pœnæ ad petitionem tā Ecclesiæ militantis, quàm triumphantis, prout ex varijs reuelationibus de facto constat, ob intercessionem B. Virginis, & aliorum Sanctorum liberatos fuisse è pœnis Purgatorij aliquos eisdē deuotos. ex qua ratione videtur corruere prçcipua, ac fundamentalis AA. ratio. adde cū Ecclesia, esse proprium Dei misereri semper, & parcere.

58 Possunt igitùr viuentes adiuuare Defūctos ieiunijs, eleemosynis, alijsq; operibus afflictiuis

satis;

satisfaciendo, & impetrando præsertim orationibus, si Deus per suam pijssimam misericordiam nostra opera, ac preces pro animabus Purgatorij sic acceptare dignetur, vt meliùs infra dicetur.

59 Verùm, quia impetratio necessariò præsupponit in persona postulante dignitatem, & perfectam amicitiam cum eo, à quo aliquid postulatur, hinc rectè D. Augustinus l.c. docet, quòd nisi quis priùs satisfecerit pro commissis culpis per opera pœnalia, vtiquè non erit dignus exaudiri, & aliquid à Deo impetrare siue pro se, siue pro alijs; quod non esse contra nos, patet.

DIFFICVLTAS XIV.

An suffragia pro animabus Purgatorij facta acceptentur à Deo semper, & infallibiliter?

60 SVarez. to. 4. de pœn. D. 48. se. 6. n. 4. Nauar. de iub. not. 22. n. 18. Bart. à S. Fausl. l. 1. de suf. q. 27. Trullen. l. 4. d. 6. nonnullique alij volunt, nostra suffragia ex iustitia acceptari à Deo, & consequenter semper, & infallibiliter; primò quia acceptatio satisfactionis, quæ ab vno viuente pro alio viuente fit, est infallibilis, concurrentibus conditionibus requisitis ex parte vtriusque, nēpe illius, qui offert, & alterius, pro quo offertur, ergò etiam pro defunctis; non enim videntur habere minorem efficaciam opera satisfactoria facta pro defunctis, quàm si fierent pro viuētibus. Secundò quia, aiunt, Deus promisit acceptare opera satisfactoria, ergò tenetur omninò, & ex iustitia illa acceptare, & per consequens infallibiliter illa acceptabit, dùm nihil aliud obstat.

Suarez. Nauar. B. à S. F. Trullen.

61 At *Caiet. to. 1. opus. tr. 16. q. 5. Medin. cod. de orat. q. 20. Cordub. de indul. l. 5. q. 5. ad 8. Coninb. de satisf. D. 10. d. 7. Bonac. de suffr. q. 2. p. 1. d. 2. Bardi p. 4. tr. 2. C. 2. se. 5.* & alij docent, nostra suffragia pro defunctis facta non ex iustitia, sed sola Dei misericordia, eiusque mera liberalitate acceptari, & per consequens non infallibiliter.

Caiet. Medin. Cordub. Coninb. Bonacin. Bardi.

62 Et meritò; nàm ex vna parte Deus vt offensus non tenetur acceptare satisfactionem exhibitam à Titio, pro offensa sibi facta à Caio sed habet strictum ius exigendi satisfactionem ab eodem Caio offendente, prout patet in humanis; Petrus enim, qui iniuriam cōtra honorē passus est à Paulo, potest vtiquè vti iure suo, & exigere satisfactionem, & recompensationem ab eodem Paulo offendente, & non acceptare obsequium ab aliquo alio præstitum in recompensationem talis iniuriæ, etiamsi obsequium hoc sit equale, imò excedens satisfactionem debitam; & si illud acceptet tunc talis acceptatio non erit ex iustitia, sed ex mera gratia, & liberalitate acceptantis; ita & in casu nostro, & sic non est infallibile, quòd nostra suffragia facta pro animabus Purgatorij acceptētur à Deo. Adde (vt supra diximus) nostra suffragia, saltem ex opere operantis, de quibus hic loquimur, esse longè inferioris conditionis, quàm sint pœnæ Purgatorij. Quarè ad primam AA. rationem, ne-

nego assumptũ, quo adhuc dato, nego consequentiam, vt ex dictis patet.

63 Ex altera verò parte, nulla in sacris litteris apparet promissio, seu pactum initum inter Deum, & homines, quo Deus se obligauerit acceptare viuorum satisfactiones factas pro defunctis vnde corruit secunda AA. ratio.

64 Absolutè igitur Deus non tenetur acceptare nostra suffragia pro defunctis facta; piè tamen credendum est, ea semper acceptari, attenta immensa eius misericordia, ac nostra maxima fragilitate; quod contendimus autem est, nos non habere adhuc vnde probemus, talia suffragia infallibiliter, & omninò à Deo acceptari. Atq; hæc satis sint circa suffragia in communi.

QVÆSTIO III.

De Suffragijs in particulari.

PRæcipuè hic agemus de indulgentijs, quæ pro Defunctis conceduntur; pauca de alijs suffragijs, quæ pro eisdem defunctis fieri possunt, dicemus; de SS. Eucharistia, quæ est præcipuum defunctorum suffragiũ nihil hic, cùm commodiùs de illa in proprio tractatu eiusdem Eucharistię, Deo ipso dante, agemus.



DIFFICVLTAS I.

An Sum. Pontifex possit concedere Indulgentias pro Defunctis?

1 NEgant Lutherus, & eius sequaces; & ex Catholicis *Gerson. to. 4. ser. 2. de defun. q. 9. Hostiens. sum. l. 5. & Gabriel. in Can. miss. lec. 57.* quorũ ratio est quia si qua rõne posset Sũ. Pontifex concedere Indulgentias pro defunctis, maximè esset propter vniuersalem potestatem sibi concessam à Christo *Matt. 16.* at talis potestas videtur coarctari ad super terram tantùm, dùm dicitur: *quodcunque solueris super terrã, &c.* atque adeo non poterit extendi ad defunctos vtpote existẽs subtus terram. *Gerson. Hostien. Gabriel.*

2 Affirmant tamen *D. Thom. in 4. D. 45. q. 2. ar. 3. q. 1. D. Bonau. ibi. D. 2. p. 2. q. 3. Caiet. to. 1. opusc. tr. 16. q. 5. Nauar. de Iub. not. 22. Suar. to. 4. in 3. p. D. 53. se. 1. n. 3. Bellarm. de indul. l. 1. C. 24.* & reliqui communiter *DD.* ac meritò; primò quia de facto ab ipsa nascente Ecclesia semper fuit, est, & erit mos concedendi indulgẽtias tàm pro viuis quàm pro defunctis. Secundò quia Defuncti, vt supra diximus, possunt iuuari nostris operibus, ergò multò magis operibus Christi Domini, aliorumque Sanctorum, quæ Defunctis applicantur medijs indulgentijs; Summus igitur Pontifex potest concedere indulgentias non solũ pro viuis, sed etiam pro defunctis. *D. Thom. D. Bon. Caiet. Nauarr. Suar. Bellar. Auctor.*

Ad

3 Ad rationem verò in cõtrarium dico, per ea verba, *super terram*, restringi modum, quo Pontifex potest concedere Indulgentias Defunctis, nempè non potestatiuè, & per modum absolutionis sed per modum solius solutionis & suffragij, vt ex infra dicendis patebit.

DIFFICVLTAS II.

An Indulgentiæ Defunctis concessæ prosint illis per modũ absolutionis, an solius solutionis?

Medin. *Grabiel.* 4 MEdina *D. 7. de Indul. C. 34. & D. 8. C. 4. & Gabriel. in can. miss. l. 57.* putant, animas Purgatorij pertinere ad iurisdictionem Sum. Pontificis, & consequenter docent, indulgentias illis prodesse etiã per modũ absolutionis. & quidem probari potest absumptũ ex eo, quia Ecclesia solet excommunicare mortuos eósq; similiter ab excommunicatione absoluere; vterque autem est actus iurisdictionis, ergò Ecclesia habet in mortuos directam iurisdictionem, & per consequens poterit eisdem largiri Indulgentias per modum absolutionis, prout solet Iudex, seu Princeps absoluere à pœna proprium subditum.

D Bona. *Cordub.* *Sotus.* *Caiet.* *Suarez.* *Bellarm.* *Lugo.* *Raguc.* *Bardi.* *Auctor.* 5 At *D. Bonau. in 4. D. 20. p. 2. q. 5. Cordub. de indul. q. 15. Sotus D. 12. q. 2. ar. 3. concl. 3. Caiet. opusc. 10. t. tr. 16. q. 5. Suar. de pœn. D. 53. se. 2. n. 4. Bellar. de indul. l. 1 C. 5 q. 1 Lugo de pœn. D. 27. se. 5. Raguc. de indul. d. 29. n. 34. Bardi p. 4. tr. 3. C. 2 se. 2.* alijque communiter DD. docent, non posse concedi à Pontifice pro Defunctis indulgentias per modum absolutionis, sed solùm per modum solutionis, seu suffragij.

6 Et meritò, nam ex vna parte concedere indulgentias per modum absolutionis, est actus iurisdictionis, vt alibi diximus, sic Alexander III. *in C. quod autem, de pœn. & remis.* patetq; ratione nemo enim potest absoluere, & liberare reum à pœna verè, ac iuridicè, nisi ad id potestatem habeat & iurisdictionem; hoc enim intelligimus cõcedere indulgẽtias per modum absolutionis. *Auctor.*

7 Ex altera verò parte Sum. Pontifex nullam iurisdictionẽ habet in animas Purgatorij; patet ex epistola S. Leonis ad Rusticum, & refertur à Gratiano 24. q. 2. C. 1. & ex epistola ad Faustum C. 2. Probatur etiam ratione, nam Pontifex, seu Ecclesia non potest citare, neque in iudicium vocare, neque punire animas Purgatorij, neque illas cogere ad obediendum, ergò nullam prorsus iurisdictionem in illas habet, & per consequens nequit Pontifex concedere Indulgentias pro Defunctis per modum absolutionis, sed per modum solius solutionis; eo videlicet modo, quo quis v. g. soluit pretium pro alia in carceribus detento, vt è carceribus deinde soluto pretio, seu debito absoluatur, & liberetur à Iudice competẽte; ita & Sum. Pontifex se habet, dùm pro Defunctis indulgentias concedit.

8 Ad rationem autem in contrarium Dico, Ecclesiam neq; excommunicare, neque verè absoluere mortuos, sed solùm declarare, ex hac vita defunctum decessisse excommunicatum

catũ, vel non ad hoc, vt viuentes possint, necne cadauer in loco sacro sepelire. Ceterùm, an possit concedi indulgentia pro Defunctis absque vlla operatione viuentis, infra dicetur.

DIFFICVLTAS III.

An Sum. Pontifex possit concedere indulgentias pro Defunctis, absque vlla operatione viuentis?

Lugo. 9 NEgat *Lugo de pœnit. D. 27. se. 3. n. 62.* ex eo, quia est inauditum, concedi à Sum. Pontificibus indulgẽtias pro Defunctis absque vlla operatione exibenda à viuentibus.

Suarez. Nauarr. Bardi. Auctor. 10 Affirmant tamen *Suarez de pœn. D. 52. se. 4. n. 5. & D. 53. se. 3. n. 14. Nauarr. de Iub. not. 22. nu. 33. Bardi p. 4. tr. 3. se. 2.* alijque; & meritò, cum nullum prorsus possit afferri implicans, aut absurdũ aliquod, quo nequeat Sum. Pontifex concedere pro Defunctis Indulgentias absque vlla viuentium operatione; & præsertim cùm possit de sua plenitudine potestatis concedere viuentibus indulgentias absque vllo opere iniuncto, vt supra diximus cum communi Disput. 4.

11 Ad rationem autem in cõtrarium Dico primò, multa fieri possunt, quæ tamen neq; sunt, neq; vnquam in vsu fuerunt. Dico secundò, aliquas Indulgentias concessas fuisse pro Defunctis à Sum. Pontificibus absque vlla viuentium operatione, videri posse apud Nauarrum ci.

12 Dico tertiò, quòd iurè requiritur in concessione Indulgentiarum pro Defunctis aliquod viuentium opus, eò quia intuitu, seu in gratia viuentiũ conceduntur indulgentiæ Defunctis.

DIFFICVLTAS IV.

An Indulgentia generaliter, & absolutè concessa omnibus fidelibus, intelligatur etiam concessa Defunctis?

13 RAtio dubitandi pro parte affirmatiua est, quia Animæ Purgatorij benè videntur comprehendi posse sub nomine fidelium; atque adeo, eo ipso quòd conceduntur indulgentiæ omnibus Christi fidelibus, videntur posse etiam tales indulgentiæ Defunctis applicari.

14 Negant tamen *S. Thom. in 4. D. 45. q. 2. ar. 3. q. 2. S. Bonau. ibi D. 20. p. 2. q. 4. Bardi p. 4. tr. 3. C. 2. n. 5.* alijq; communiter DD. & meritò, nam iuxtà Ecclesiæ consuetudinem, quando Indulgentiæ extẽduntur ad Defunctos, explicitè in earum concessione hoc apponitur, quod etiam statuitur in quadam regula Cancellariæ; cùm igitur nemo possit ad sui libitum de indulgentijs disponere, nisi eo modo, quo à Sum. Põtifice conceduntur, consequẽs est, vt nisi in forma concessionis exprimatur, talem indulgentiam applicari posse Defunctis, vtiquè inutiliter illis applicabitur. S. Thom. S. Bonau. Bardi. Auctor.

15 Ad rationem verò dubitandi in contrarium Dico, sub nomine

mine fidelium absolutè prolato venire solos viatores; animæ autem Purgatorij, quamuis non sint omninò in termino, non sunt tamen omninò in via, & ratione sententiæ diffinitiuæ de ipsarum statu, nequeunt absolutè dici viatores.

DIFFICVLTAS V.

An Indulgētiæ prosit Defunctis, si offerens repertatur in peccato mortali?

Caiet. Angel. Cardin. Bellar.

16 NEgant *Caiet. opus. de indul. q. 2. ad 3. Angel. V. indul. n. 21. Cardin. in Clem 2. de pœn. & rem. Bellarmin. de indul. l. 1. C. 14 q. 5.* quorum ratio est, quia ad lucrandam nobis Indulgentiam requiritur status gratiæ; ergò etiam ad illam lucrandam pro alijs; nam peccatum, aiunt, non magis impedit ad acquirendum beneficium ipsimet operanti, quàm alijs.

S. Thom. Cordub. Gabriel. Suar. Reginal. Filluc. Coninch. Ba. à S. F. Rague. Bardi. Auct. cit.

17 Affirmant tamen *S. Thom. in 4. D. 45. ar. 2. q. 1. Cordub. qu. 26. Gabriel add. ad lec. 57. Suar. to. 4. de pœn. D. 52. se. 7. nu. 4. Reginal. prax. l. 7. n. 195. Filliuc. tr. 8. de satisf. p. 3. C. 8. nu. 213. Coninb. de indul. D. 12. d. 7. nu. 39. Bart. à S. Faust. de indul. q. 108. Raguc. de indul q. 22. Bardi p. 4. tr. 3. C. 2. n. 23.* alijque, & meritò, nam remissio pœnæ temporalis, quã Defuncti consequuntur mediante Indulgentia, nõ est per satisfactionem exhibitam à viuente operante, qui Defunctis indulgentiam applicat, sed est per satisfactionem Christi, & Sanctorum, quam Sum. Pontifex principaliter applicat ex Ecclesiæ Thesauro, vnde est vt Indulgentia sortiatur suum valorem ex operē operato atque adeo non dependet in suo effectu a gratia, & dignitate operantis, eo modo, quo communiter dicimus de sacrificio Missæ. & ratio magis à priori est, quia satisfactio, quæ per Indulgentias offertur, semper est Deo gratissima, cùm sit semper satisfactio Christi, & Sanctorũ, ergò positis conditionibus, sub quibus à Pontifice conceditur, vtiquè acceptabitur à Deo, si persona, pro qua offertur erit capax, vt de facto sũt omnes animę Purgatorij.

18 Ad rationem autem AA. in contrarium negamus paritatẽ, eò quia gratia requiritur solũ ad tollendum obicem consequutionis Indulgentiæ, atque adeo per se solùm est dispositio necessaria in eo, qui recepturus est indulgentiæ effectũ; in præsenti autem non est recepturus effectum ille, qui efficit opus ad indulgentiam requisitum, sed alius, cui indulgentia procuratur; ergò, &c. Quarè non est simile de lucrãte sibi ipsi indulgentiam, nam in eo requiritur status gratiæ, non formaliter quia operans est, sed quia recipiens est indulgentiæ effectum; & sic existens in peccato poterit lucrari alijs indulgentiam, non sibi, eo quia ipse habet obicem non autem alij.



DIF.

DIFFICVLTAS VI.

An Sum. Pontifex possit concedere aliquam Indulgentiam Defuncto propter aliquod bonũ opus solùm, quod fecit in vita?

19 NEgant aliqui ex eo, quia ad valorem Indulgentiæ requiritur causa aliqua pia, quæ, aiunt, nihil aliud est, nisi pium aliud opus ordinatum ad cultum, & honorem Dei; atq; adeo nisi imponatur aliquod opus efficiendum tunc, cùm consequuturi sumus indulgentiam, vtiquè illa non valebit: Defunctus autem nequit ponere tale opus, ergò &c.

Nauarr. Cordub. Lud. à Cr. Auctor.

20 Affirmant tamen *Nauar. de Indul. not. 22. §. 33. Cordub. de Indul. q. 21. prop. 2 Lud. à Cruc. D 2. d. 7. n. 2.* alijque; & meritò, primò quia nulla in hoc apparet implicantia, & præsertim, vt supra diximus, quia Sum. Pontifex potest concedere indulgentias tam viuis, quàm Defunctis sub nullo prorsus onere, ergò multò magis poterit Indulgentias concedere intuitù alicuius operis præteriti. Secundò quia de facto quidam Pontifex concessit Indulgentiam Plenariam cuidam Doctori Parisiensi iam Defuncto, præcisè ex eo, quòd viuens defenderat, posse Sum. Pontificẽ concedere indulgẽtias defunctis, vt videre est apud DD. citatos.

21 Ad rationem autem in contrarium Negamus, causã proportionatam, ob quam conceditur indulgentia, esse opus, quod iniungitur efficiendum (in quo nonnulli decipiuntur) sed esse motiuum illud, seu finis quo mouetur Pontifex ad cõcedendam hanc, vel illam indulgentiam. & bonum aliquod commune, vt si immineat graue bellum, vel pestis, vel propter augmentum Fidei, quo cõceduntur Indulgentiæ Cruciatæ, vel quid simile.

DIFFICVLTAS VII.

An Sum. Pontifex possit mediantibus Indulgentijs, omnes prorsus animas Defunctorũ è Purgatorio liberare?

22 NEgant *Philiar. to. 2. l. 2. C. 36. Sorbus in comp. priu. V. indul. Caiet. opusc. tr. 16. q. 5. Herriq. l. 7. C. 4. n. 1. Gammach. de indul. C. 11.* alijque; quorum præcipua ratio est, quia omnis Indulgentiæ concessio requirit rationabilem causam: nulla autem rationabilis caussa assignari potest ad euacuandum Purgatorium, cùm neque ipsa Resurrectio Christi Domini existimetur sufficiens causa ad hoc, vt asserunt Viguerius & Suarez, ergò &c.

Philiar. Sorbus. Caietan. Herriq. Gamm.

23 Affirmant tamen *D. Anton. D. 1. sum. tit. 22. C. 5. §. 6. Syluest. V. Papa §. 16. Rague. de indul. q. 30. Lud. à Cruc. D 2. d. 2. n. 6. Gabriel. in can. lec. 57.* alijque; & meritò, primò quia de facto Sum. Pontifex concedit vi bullæ Cruciatę Defunctis indulgentiam plenariam, pro quibus tales bullę sumentur; ergò si de facto sumerentur tot bullę, quot sunt animę Purgatorij (quod fieri non repugnat, vt de se

D. Anto. Syluest. Rague. Lud. à Cr. Gabriel. Auctor.

de se patet) nonne euacuabitur Purgatorium? & tunc sanè subsidium Belli contra infideles existimaretur satis sufficiẽs causa ad euacuandum Purgatorium.

24 Secundò quia, si esset in Ecclesia vrgentissima necessitas pecuniarum pro defensione Fidei contra Hæreticos, vtiquè hæc esset sufficientissima causa, vt Sum. Pontifex prudẽter concederet, vt quoties quis duos argenteos erogaret in subsidium talis Belli contra Hæreticos, liberaret vnã animam è Purgatorio; & sic tunc possent fideles toties iterare dictam eleemosinam, vt nulla remaneret anima in Purgatorio; non enim potest determinari numerus animarum, vltra quem nequeat Pontifex è Purgatorio liberare, atque adeo poterit totum Purgatorium euacuare. Ex quibus patet ad præcipuam rationem AA. in contrarium.

25 Ad id verò, quod addunt, nempe Christum Dominum nõ eripuisse è Purgatorio omnes animas, cum ad Inferos descendit, falsum videtur, cùm contrarium doceãt D. August. serm. 137. de temp. D. Gregor. l. 13. moral. D. Ansel. in elucid. Sotus, Marsilius, Turrianus, alijque passim DD.

DIFFICVLTAS VIII.

An Sum. Pontifex possit facere, vt anima è corpore soluta Purgatorium non attingat?

26 PRoponit hanc difficultatem *Mendo D. 36. C. 3. nu.* 23. & affirmatiuè respondet; ac meritò, nulla enim in hoc assignari poterit repugnantia; atq; adeo poterit Sum. Pontifex cõcedere Titio moribundo v. g. Indulgẽtiam plenariam nunc, non tamen nunc ipsi Titio applicandam, sed statim ac, & in eo instanti, quo eius anima è corpore soluatur; non enim repugnat vt nunc concedatur priuilegium aliquod, profuturum tamen pro tempore sequenti.

Mendo.

Auctor.

27 Atque hæc satis sint circa indulgentias, quæ pro Animabus Purgatorij veluti in communi à Sum. Pontificibus per modum suffragij concedi possunt; superest ergò solùm videre, quænam sint indulgentiæ, quæ vi bullæ Cruciatæ Defunctis specialiter in præsenti cõceduntur.

DIFFICVLTAS IX.

Quænam Indulgentia pro animabus Purgatorij, vi præsentis Bullæ conceditur?

28 SVm. Pontifices vi Bullæ Cruciatæ suffragãtur defunctis primò in §. 5. eiusdem bullæ, vbi concedentes indulgentiam Plenariam omnibus euntibus, vel mittentibus ad sacram Expeditionem contra Infideles, concedunt eisdem vlteriùs, vt possint eandem indulgentiam Defunctis applicare per modum suffragij, prout supra suo loco dictum est Disp. 11. Q. 1.

29 Secundò in §. 14. vbi conceduntur omnibus visitantibus quinque Ecclesias, seu altaria, &c.

&c. omnes Indulgentiæ Stationum Almæ Vrbis, vt similiter possint easdem indulgentias Defunctis applicare etiam per modum suffragij, prout supra de eisdem Stationum Indulgentijs agentibus, diximus Disp.4.Q.2.

30 Tertiò demum in fine dictæ bullæ magnæ per extensionem factam à Gregorio XIII. die 5. Martij an.1572. datur facultas applicandi Defunctis, vltra supradictas indulgentias, aliam indulgentiam plenariam non tantùm semel, sed etiam bis eodem anno durationis eiusdem Cruciatæ, sub onere soluendi alia duo realia pro receptione præsentis bullæ paruæ, ac propriæ mortuorum; quæ quidem eleemosyna est æqualis pro omnibus, debet tamen esse similiter ex bonis a Deo collatis æquè ac supra diximus de eleemosynâ eroganda pro sumptione bullæ viuorum.

31 Debet etiam talis bulla mortuorum de facto sumi, nec sufficiet sola intentio illam sumendi debet similiter conseruari antequam illius Indulgentia applicetur Defunctis, at facta applicatione, non est cur vlterius illa conseruetur, cùm iam suum totum sortita sit effectum. Denique hic notandũ est, quòd ad hoc, vt cum effectu fructus indulgentiæ transmittetur ad Defunctos, necessè est, vt opus iniunctum fiat cũ intentione expressa lucrandi indulgentiam pro Defunctis, quibus illam prodesse intendimus. an verò vna, eademque bulla Defunctorum possit applicari pluribus, infra dicetur.

DIFFICVLTAS X.

An vna, eademque Defunctorũ Bulla sumi possit pro duobus, aut pluribus?

32 AFfirmant *Mendo D.* 36. *C.*1.*n.*2. *&* *D.*12.*n.* 13. ex eo, quia non videtur contra Sum. Pontificis mentem, ait, vt indulgentia huius bullæ duabus, imò pluribus animabus Purgatorij applicetur. *Mendo.*

33 Negant tamen *Trullen. l.* 4. *d.*12.*n.*9. *Serius hic D.*1.*q.* 18.*n.* 8. *Bardi p.*4.*tr.*4.*C.*4.*n.*9. & meritò; primò quia textus ipsius bullæ semper de vna anima, & de vna persona singulari loquitur, ergò signum est, vnam bullam pro vna tantùm anima sumi posse, & non pro pluribus, & talis est fidelium praxis, secundùm quam vna bulla vni tãtùm Animæ applicatur. Probatur secundò à pari, nam vna tantùm viuorum bulla nequit, etiam quoad indulgentias, nisi vni tantùm personæ applicari, ergò similiter vna; eademque mortuorum bulla non poterit, nisi vni tantum Animæ applicari; non enim videtur assignanda maior ratio de vna, quàm de alia, cùm sub vna, eademque verborum forma concedatur vtriusque bullæ indulgentia, nempe locutio in singulari vt dictum; & sic non videtur oppositum esse iuxtà Sum. Pontificis mentem. *Trullen.* *Serius.* *Bardi.* *Auctor.*

34 Hinc sequitur, quòd semel applicata vna bulla vni Defuncto, non potest eadem bulla alteri applicari, eò quia eo momento, quo fit applicatio, statim Deus remittet illi totam illã pœnam temporalem, quæ

vi

vi talis bullæ relaxari potest; & sic cùm bulla integrum suũ effectum sortita sit, nequit vlteriùs prodesse alteri; nisi conditionatè applicauerit, & ille, cui primò fuit applicata bulla, fuerit incapax talis suffragij, iuxta supradicta Q. 2. Diff. 3. Contingit enim aliquando, vt anima pro qua bulla hæc sumitur, sit vel damnata, vel beata, atque adeo optimè facit, qui conditionatè eam applicat, nẽpè vt in defectu vnius intendat applicare alteri vel sibi magis coniuncto in gradu consanguinitatis, seu affinitatis, vel da ipso magis benemerito, vel magis indigenti, &c. vel etiam ei, cui magis ipsi Deo placuerit.

35 Ceterùm, an ad liberandam animam Purgatorij in altari priuilegiato, debeat habere bullam Sacerdos celebrans, an qui facit Missam celebrare, videntur satis esse, quæ supra dicta sunt Disp.9.Q.1. n. 38. vbi diximus sufficere, vt bullam Cruciatæ habeat vel ipse celebrans, vel qui missam celebrare facit.

DIFFICVLTAS XI.

An Episcopus possit concedere Indulgentias pro Defunctis?

36 NOn loquimur hic quoad Indulgentiam Plenariam, sed quoad Indulgentiã quadraginta dierum tantùm, eo modo, quo supra Disp.4. Q. 1.diff.3.diximus, posse Episcopos illã cõcedere viuis, tàm de iure Diuino quam de iure humano. in quo quidem sẽsu cõ-*Carolus Latius in Bulla Cruc.* ueniũt DD. posse Episcopos de iure Diuino concedere Defũctis per modum suffragij dictam indulgentiam quadraginta dierum; & meritò, nam versia illa, *quodcunque solueritis*, continentia potestatem absoluendi etiam vi indulgentiarũ, dicta fuerunt omnibus Apostolis, quorum successores sunt omnes Episcopi, ergò poterunt talem indulgentiam non solùm cõcedere viuis per modum absolutionis, verùm etiã Defũctis per modum solutionis, seu suffragij.

37 Difficultas ergò est, An Episcopi etiam de iure humano possint concedere Defunctis dictam indulgentiam 40. dierum. In quo etiam sensu affirmat *Gabriel.in 4.D.45.q.2.ar.2 prop.6.* eò quia ex vna parte, ait, Episcopi id possunt de iure Diuino, vt dictum est; ex altera verò parte quælibet limitatio iuris humani limitans Episcoporum potestatem concedendi indulgentias, cadit solùm supra qualitatem indulgẽtiarum, non autem supra personas, & sic Episcopi eas indulgentias, quas possunt concedere viuis poterunt easdem concedere etiam defunctis. *Gabriel.*

38 Negant tamen *Nauar. de indulg.§.4.Herriq.l.7.C.32.n.2. Cordub.l.5.q.19.Medin.de indul. D.7.C.31.Lud.à Cruc.D.2. d. 9. n.6.* alijque communiter DD. & meritò, nam de facto Sum. Pontifex restringit potestatem Episcoporum quoad concessionẽ Indulgẽtiarũ, vt patet ex *C.q. autẽ, C.cũ ex eo, & C.nostro de pæn.& remis.* quã quidẽ potestatis restrictionem cadere absolutè supra Defunctos, docet antiquissima Ecclesiæ con- *Nauarr. Herriq. Cordub. Medin. Lud.à cr. Auctor.*

consuetudo, quæ est optima legum interpres, secundùm quam habemus, nullum vnquā concessisse Defunctis Indulgētias, præter Sum. Pontificem; ex quibus patet ad rationem in contrarium.

DIFFICVLTAS XII.

An omnis operatio honesta, etiamsi ex præcepto debeatur, possit vt satisfactoria applicari pro Defunctis?

Sotus. Capreol. Aureol.

39 ABsolutè negant *Scotus in 4.D.15.q.1.Capreol. ibi. ar.3.in 1.respons. Aureol. contra 1.concl.* nonnullique alij asserētes absolutè, non posse nos satisfacere pro peccatis per operationes quantumuis honestas si ex præcepto aliunde debentur; atque adeo secundùm hāc opinionem multò minùs poterimus pro alijs satisfacere per huiusmodi operationes ex præcepto debitas; dicūt enim, siquis ex voto tenetur ieiunare aliqua die v.g. sanè non satisfacit is pro tali voto, si ieiunet diebus in quibus adest Ecclesiæ præceptum ieiunandi, ergò similiter neque poterimus satisfacere pro peccatis exhibendo opera aliunde debita.

Syluest.

40 At *Syluester V. satisf. q.8.* limitat istam opinionem ad opera solùm præcepta ex iure naturali, aut Diuino, non autē ad opera, quæ solo iure humano debentur.

Caietan. Sotus. Nauarr. Suar. Bauny.

41 Absolutè tamen affirmant *Caiet. to. 1. opus. tr.6.q.1.Sotus in 4.D.19.q.2.ar.1.Nauar.sum. C.26.n.23.Suar.to.4 de pœn. D. 37.se.4.n.3.Bauny.de sacr.tr.4. q.9.Bardi p.4.tr.4.C.1.n.12.* alijque; & meritò, primò quia operatio ex præcepto debita est meritoria vitæ æternæ; patet, eò quia obligatio non tollit neque bonitatem moralem ab ipsa operatione, neque libertatem in operante, atque adeo si procedat ab homine existente in gratia, & amicitia Dei, nihil vtiquè deerit in ratione meriti, ergò neque deerit in ratione satisfactionis quatenùs talis operatio pœnalis est: nō enim est maior ratio, vt obligatio tollat à tali operatione rationē satisfactionis, nō autem rationem meriti. Bardi. Auctor.

42 Secundo quia ex *Trident. se. 14. C. 9.* habemus, quòd si patienter sustinuerimus flagella temporalia à Deo in hac vita nobis inflicta, vtiquè satisfacere possumus pro peccatis, non obstāte quòd sint respectù nostri omninò necessaria, & nullo modo libera, ergò multò magis poterimus pro peccatis satisfacere per actus aliundè debitos, nequaquam tamen humanam libertatem lædētes, vt dictum est.

43 Paritas autem de voto, in qua aliquo modo fundari potest opposita sententia, nulla quidem est, nam qui vouit, vtiquè intendit, per se loquendo, se obligare Deo in aliquo, vltra id, ad quod aliunde tenetur. Possumus igitur applicare Defunctis per modum suffragij nō solùm opera supererogationis, verùm etiā ea, quæ ex præcepto exequi debemus.

DIF-

DIFFICVLTAS XIII.

An pœnitentia Sacramentalis imposita à Confessario, possit vtiliter Defunctis applicari?

Io. Sanc. 44 NEgat *Io. Sanch. in selec. D. 16.* aitque, non rectè procedere Cōfessarios præscribentes sub pœnitentia Officium Defunctorum, vel aliquid aliud applicandum pro animabus Purgatorii. cuius ratio est, quia pœnitentia sacramentalis, seu satisfactio iniuncta à Confessario, ex ipsa institutione Sacramenti Pœnitentiæ, ordinatur ad satisfaciendum pro pœnis, quæ debentur ipsi pœnitenti; atque adeo si applicaretur Defunctis, non remitteretur pœna ipsi pœnitenti, sed Defunctis debita, & per consequens videtur deficere integritas requisita ad tale Sacramentum.

Turrian. *Lugo.* *Bardi.* *Auctor.* 45 Affirmant tamen *Turrian. de pœn. D. 37. d. 4. Lugo de pœn. D. 21. se. 4. n. 62. Bardi p. 4. tr. 4. C. 1. n. 28.* alijque; & meritò, nam ipsamet oblatio satisfactionis, quæ est in opere pro pœnitentia iniuncto, & pro Defunctis, est similiter operatio validè honesta, vt patet, & consequēter satisfactoria pro pœna ipsimet pœnitenti, ergò adhùc oblato pro Defunctis opere pro pœnitentia habito, non est, cur nequeat Sacramentum pœnitentiæ dici integrum etiā in eo sensu, in quo sumitur à Io. Sanchez.

46 Adde tamen primò, pœnitentiam sacramentalem nō integrare Sacramentum pœnitentiæ vt satisfactoria est, sed vt punitoria est ipsius pœnitentis; probatur, nam pœnitens, qui opus à Confessario iniunctum exequitur in statu peccati mortalis, satis suæ obligationi satisfacit, adeo vt non teneatur iterū repetere opus, dùm redit ad statum gratiæ; iam tunc sanè habetur integrit Sacramenti pœnitentiæ, & tamen non habetur remissio pœnæ, eò quia in tali casu illud opus non est satisfactorium, vt in peccato factum, ergò pœnitentia sacramentalis non integrat tale Sacramentum vt satisfactoria est, sed ad summùm vt punitoria est; atque adeo stat integritas Sacramenti pœnitentiæ absque satisfactione, seu remissione pœnæ debitæ ipsi pœnitenti.

47 Adde secundò, iuxtà probabilem opinionem, non teneri omnino pœnitentem acceptare pœnitentiam, sed posse differre satisfactionem pro peccatis in Purgatorio, & hoc absquè eo, quod derogetur integritati talis Sacramenti, dùm habetur materia, & forma sufficiens, ergò multò minùs illius integritati derogatur in casu quo pœnitens acceptat pœnitentiam sacramentalem, vt applicandam Defunctis. ex quibus satis patet ad rationem in contrarium. Ceterùm in quonam sensu pœnitentia sacramentalis dicatur pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, sufficienter diximus supra *Disp. 4. Q. 5. diff. 9.*



DIFFICVLTAS XIV.

An restitutio rei alienæ, seu satisfactio facienda creditoribus Defuncti ab hæredibus, prosit ipsi Defuncto?

Lugo. Mendo.

48 AFfirmant *Lugo D.26.de pœn.se.3.n.33. Mendo in append. D.4.C.3.n.20.* nonnullique alij. Primò quia id videntur sentire communiter fideles, qui sæpè conantur celeriter restitutionem facere, vt sic celeriùs animam illam è Purgatorio liberent. Secundò quia multæ animæ, vt ex historijs habemus, apparuerunt hæredibus, eos rogantes, vt restitutionem facerēt, & sic ad Cœlum euolarent. Tertiò quia in *C. In litteris, de raptor.* iubet Sum. Pontifex monendos esse hæredes Defuncti, vt satisfaciant ex facultatibus eiusdem defuncti, damna illata ab ipso defuncto, *vt sic à peccato valeat liberari*; ergò Pontifex supponit, restitutionem faciendam pro Defūctis, prodesse ipsis defunctis.

Sotus. D. Anto. Suarez. Bellarm. Trullen. Carillo. Bardi.

49 Negant tamen *Sotus in 4. D. 45.q.2.ar.3. D. Anton.3.p.tit.10 C.3.se.12. Suar.to.4.D.48.se.8. à n.19. Bell.l.2.de Purg.C.16. Trul. l.4.d.9. Carillo hic p.2.C.15.n.3. Bardi p.4.tr.2.C.1.n.9.* alijque communiter DD. docentes, restitutionem rei alienæ neque proficere defunctis, si fiat ab hæredibus, neque obesse, si omittatur. & meritò, quia vt benè ait S. Thomas p. 2. q. 87. probatque ex illis verbis Ezechielis 18. *Filius non portabit iniquitatem Patris, neque Pater iniquitatem Filij* hinc S. Doctor infert, neminem ob alienam culpam actualem puniri pœna spirituali, & in anima; ita enim valde docet Diuinam bonitatem, diuinamque iustitiam. Adde, verba Ezechielis non posse verificari quoad bona corporis, & fortunæ, & vt ex historijs & scripturis patet, ergò verificari debēt quoad animam, & pœnam spiritualem.

Auctor.

50 Quarè, vel Defunctus nullum patrauit peccatum nō restituendo, siue quia erat impotens ad restituēdum, siue quia inuincibiliter possidebat alienum: vel peccauit, siue quia poterat restituere, & noluit, siue quia fuit negligens ad restituendum; si primum, nullo modo erit puniendus, & per consequens ob hæredum negligentiam non erit ipse defunctus in Purgatorio detinendus sed statim ac purgauerit peccata propria, ad cœlum euolabit; si verò dicatur secundum, & culpa ponatur mortalis, neque per pœnitentiam deleta, Defunctus tunc erit in Inferno pœnis æternis cruciandus; at si culpa fuerit tantùm venialis, tūc pro illa in Purgatorio punietur, sed post pœnam debitam solutam liberabitur à pœnis absquè vllo sanè respectu ad negligentiam hæredum, pro qua ipsi hæredes, non defunctus erit puniendus,

51 Et confirmatur, nam si Defunctus detinēdus esset in Purgatorio ob negligentiam hæredum in restituendo, vtiquè sequeretur, quòd si nūquam hæredes restituerent, nunquam Defunctus è pœnis Purgatorij liberaretur, quod asserere est error. Stet igitur, restitutionē

rei

rei alienę ab hæredib⁹exequẽdã, neq; iuuare si fiat, neque obesse ipsi Defuncto, si non fiat.

52 Ad primam autem rationẽ AA. in contrarium Dico, id communiter sentire indoctos, non autem viros doctos, & sapientes.

53 Ad secundam verò Dico, de veritate talium reuelationum non constare; sed demus esse veras; tunc dicam, tales animas impulisse hæredes ad restitutionem vel vt quid bonum ipsis hæredibus, vel quia sperabant, vel ex reuelatione certò sciebant, ex tali restitutione aliquod suffragium à creditoribus oblaturum fore pro ipsimet animabus.

54 Ad tertiam demum Dico, textum illum esse mendosum, legendum enim est, *valeant*, non valeat; itaut cadat supra hæredes, non autem supra defunctum, vt benè notat Ioannes Andreas, & adnotatur in margine illius capitis.

DIFFICVLTAS XV.

An Sepultura prosit Animabus Purgatorij?

D.Thom. Bellarm. Ba.à S.F. Lauor. Bardi.

55 D. *Thomas in 4.D.45.q.2. ar.3.q.3.Bellarm.l. 2. de Purg.C.19.Bart.à S.Fausl.l. 1. de suff.q.36.Lauor.to.1. var.tit. 2.C.14.à.n.40.Bardi p.4.tr.4.C. 1.se.3.§.3.* alijque communiter DD. docent, actionem sepeliẽdi fidelem Defunctum prodesse eius animæ. Et meritò, nam qui corpora mortuorum comitantur, dum ad sepeliendum deferuntur, plures pro ipso defuncto Deum orant, vt etiam confirmat D. Gregorius l. 4. dial. C.50. his verbis [quos grauia peccata non deprimunt, hoc prodest mortuis, si in Ecclesia sepeliantur, quod eorũ proximi, quoties ad eadem sacra loca conueniunt, suorum, quorum sepulcra conspiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt] vnde magis eisdem Defunctis proderit, si in Ecclesijs, in quibus maior solet esse populorum cõcursus, sepeliantur.

Auctor.

56 Atque hæc satis sint circa suffragia in particulari, de quibus solùm pro complemento addam, quodnam suffragium sit alio magis satisfactoriũ; pro quo sit.

DIFFICVLTAS XVI.

Quodnam suffragium in particulari sit alio magis satisfactorium?

57 D Iximus supra Quæst. 2. n.2. omnia suffragia, quæ pro Defunctis offerri possunt, ad tria generalia capita reduci, nempè ad Orationem, eleemosynam, & Ieiuniũ; quærimus ergò hic, quodnam ex his tribus suffragijs sit magis satisfactorium.

58 Et quidem *Syluesf.V. satisfac. n.8. Mendo in append.D.4.C.6.n. 45.* nonnullique alij putant, opus eleemòsynæ esse reliquis magis satisfactorium, eò quia tam in Scripturis, quàm in SS. Patribus, ait Mendo, non videtur ita encomiari ieiunium, seu oratio, sicuti & eleemosyna ergò &c. Syluesf. Mendo.

59 At *Bart.à S.Fausl.l. 1. de suffr. q.5. Bardi p.4.tr.4.C.1.se.3. §. 1. n.18.* & alij asserunt, Ieiunium esse reliquis magis satisfactorium. B. à S.F. Bardi.

Auctor. rium. & meritò, nam opus (vt supra dictum est) est satisfactorium, quatenùs pœnale; ieiunium autẽ est opus magis pœnale, quàm eleemosyna, ergò ieiunium erit similiter (per se loquendo) magis satisfactoriũ, quàm eleemosyna. Probatur minor; nam mala intrinseca corporis (per se sẽper loquendo) existimãtur maiora, ac sensibiliora mala, quàm mala extrinseca fortunæ, vnde maius peccatum est occidere hominem, quàm illum in summam paupertatem redigere: iam ieiunia, ac reliqua opera afflictiua carnis, vt flagellationes, vigiliæ, humicubationes, infirmitates si patienter sustineantur, pertinent ad primum genus, eleemosynæ verò ad secundum, ergò ieiunia sunt magis pœnalia, & consequenter magis satisfactoria, quàm eleemosynæ.

60 Dixi tamen, per se loquendo, seu ceteris paribus, nam vltrò do, eleemosynam magnæ quantitatis plùs satisfacere, quàm leuissimum opus pœnale.

61 Ad rationem autem Mendi, vt meæ consuetę breuitati cõsulem, iuuat rogare illum, vt siquid otij illi superest, legat priùs quid de ieiunio dicant S. Basilius hom. 1. & 2. S. Leo ser. 3. alijque SS. Patres; quid de Oratione B. Laurentius Iustinianus C. 12. n. 3. de grad. perfect. Granata de orat. & med. A Ponte, & alij, ac deinde videat, si pro eleemosyna, an potiùs pro ieiunio, & oratione calculum dandum sit.

62 Ex dictis etiã sequitur, Orationem esse suffragium similiter magis satisfactorium, per se loquendo, quàm eleemosyna, cum oratio sit magis afflictiua corporis; & quamuis aliquando ex exercitio orandi reddatur dulcis oratio, semper tamẽ corpus, & mentem fatigat, vnde Ecclesiastes C. vlt. ait: *Frequens meditatio carnis afflictio est.*

63 Pro cõplemento igitùr præsentis operis, solum superest dicere, an quę hactenùs dicta sunt de suffragijs tum in communi, tum in particulari, valeant etiam pro defunctis Catechumenis.

QVÆSTIO IV.

De Catechumenis defunctis.

DIFFICVLTAS I.

An suffragia particularia ex opere operantis prosint Catechumenis defunctis?

1 AFfirmant *Suar. to. 4. de pœn. D. 48. se. 6. n. 9. Vasq. to. 3. in 3. p. D. 227. C. 4. Lugo D. 26. de pœn. sc. 2. n. 18. Bar. à S. Faus. l. 2. de indul. q. 80. Bardip. 4. tr. 4. C. 3. n. 3.* alijque communiter DD. & meritò; nulla enim in hoc apparet implicantia neque ex parte applicantis suffragium, neque ex parte animę talę suffragium recipientis, quę iam supponitur nobis vnita per gratiam sanctificantem. An verò idem dicendum sit de suffragijs, quę nomine Ecclesię fiunt, dicetur Diff sequenti. *Suar. Vasq. Lugo. B. à S. F. Bardi. Auctor.*

DIF.

DIFFICVLTAS II.

An preces, quæ fiunt nomine Ecclesiæ, vtiliter applicentur Catechumenis defunctis?

2 Difficultas procedit tum de facto, tum de possibili. Et quidem videntur conuenire DD. non repugnare, posse Ecclesiam applicare huiusmodi suffragia Catechumenis defunctis.& meritò, primò quia, vt dictum est, nulla in hoc apparet implicantia. secundò quia de facto die Parasceue Ecclesia orat pro dictis Catechumenis.

3 Dubitari ergò solùm potest, An Ecclesia, dùm fundit preces pro Defunctis in communi, intendat etiam orare pro Defunctis Catechumenis.

4 Negant *Suar. D. 48. de pœn. se.6.n.9.Bardi p.4.tr.4. C. 3.nu.* 29. alijque communiter DD. & meritò, nam ipsa Ecclesia orans in sacrificio Missæ pro Defũctis, signanter solùm orat pro defunctis baptizatis; sic: [memento etiam Domine famulorum, famularum tuarum; qui nos præcesserunt cum signo fidei] signum autem hoc fidei est per omnes DD. character Baptismi, quo charactere carent Catechumeni; quarè si Ecclesia signanter non intẽdit orare pro Catechumenis in Missæ sacrificio, multò minùs intendet orare pro eisdem Catechumenis in alijs suis præcibus. *Suar. Bardi.*

DIFFICVLTAS III.

An Indulgentiæ, præsertim Cruciatæ, possint pro Catechumenis Defunctis applicari?

5 Negant *D. Anton. p. p. tr. 22.C.5.§.6.Suar.de pœnit.D.53.se.9.n.8.Præpos.in 3.p. q.14.de indul.d.3.n.28.Coninch. de sacr.D.12.de indul.d.7.Bardi p.4.tr.4.C.3.n.36.* nonnullique alij; quorum ratio præcipua est quia valor sacrificij Missæ quoad valorem ex opere operato, nequit extendi ad Catechumenos, ergò neque valor indulgentiarum, qui illis respondet similiter ex opere operato ex meritis Christi Domini; atque adeo inferunt, Catechumenos esse omninò incapaces indulgentiarum. *D.Anto. Suar. Præpos. Coninch. Bardi.*


6 Affirmant tamen *Nauarr.de Iubil.notab.31.Rodriq.§.14. nu. 6.Lud.à Cruc.D.2.d.8.n.3. Herriq.l.7.C.18.§.3. Diana p. 5. tr. 12.res.9.Bar. à S. Fausl.l.2. de indul.q.80.Fauent.in 4.D.19.q. vnic.D.38. Benzon.de Iub. & l. 5.C.15.d.28.asser.6.* alijque; & meritò, nam vt supra diximus Disp.11.Q.4.n.2. potest Sum. Pontifex concedere indulgentias etiam Catechumenis viuentibus, ergò multò magis defunctis per modum suffragij, cùm ad hoc nulla requiratur subiectio, vt ex supradictis patet. quarè, cum hæ indulgentiæ bullæ Cruciatæ concedantur absolutè omnibus fidelibus defunctis, non est cur ab illis excludantur Catechumeni sicuti neque ab alijs eiusdem Cruciatæ priuilegijs, quorum sunt capaces excludi debent, vt ex supradictis patet. *Nauarr. Rodriq. Lud.à cr. Herriq. Diana. B. a S.F. Fauent. Benson. Auctor.*

Ad

7 ¶ Ad rationem autem AA. in contrarium dico primò, non deesse DD. asserentes, sacrificium Missæ prodesse ex opere etiam operato, quoad effectũ satisfactionis Catechumenis. Dico secundò esse disparem rationem, nam merita Christi Domini nequeunt applicari mediantibus Sacramentis, nisi præuio Baptismo, qui dicitur ianua reliquorum Sacramentorũ, eò quia sic ab ipso Christo instituta sint, non autem repugnat ea applicari mediantibus indulgentijs, eò quia ad hoc nulla appareat implicantia.

8 Atque hæc satis sint circa Dilucidationem bullæ Sanctissimæ Cruciatæ ad gloriam, & honorem Diuinæ Maiestatis, ac Beatissimæ semper V. Mariæ, submittendo omnia, ac singula correctioni S.M.Ecclesiæ Amen.

FINIS.



INDEX RERVM NOTABILIVM HVIVS OPERIS.

Confeſſarius.

tus

Ex-

Irre-

Irregularitas.

Iuramentum.

Iurisdictio.

Lacticinia.

Laridum.

Opera

Sub-

FINIS.





TY.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

Mendis si satis abundè opus scatet, nemini mirum sit, Auctoris enim Alcami vitam degentis præsentia desiderabatur; his vero pro mea virili parte expurgaui, at reliquos nullius momenti, ac nominis lapsus tute corrige, maturaque mentis acie, ipsorum disijciendo caliginem, vindica; & vbi Auctoris demiraberis præstantiam, meum pati defectum ne pudeat, grandis enim operis dignitas, ac excellentia, cuncta diluit, ac refellit.

Errata		Corrige
vti	f.3.col.1.l.12.	vbi
tunc	f.3.col.1.l.vlt.	sunt
cetus	f.4.col.2.l.35.	cætus
crucis ... ex,	f.5.col.1.l.1.	crucis signo ex
Iustitiæ ..	f.6.col.1.l.31.	Iustitię,cũ obligatione charitatis.
quod	f.6 col.1.l.37.	quo ad
cõcedendi	f.6.col.1.l.41.	concedi
nempe	f.6.col.2.l.3.	neque
non	f.6.col.2.l.6.	nam
tenentur	f.6,col.2.l.27.	teneatur
D.2... Cruc.	f.6.c.2.l.pen.	Vid. si Sum. Pontifex tunc Cruc.
sui	f.7.col.1.l.20.	vi
tolerabilẽ	f.9.col.1.l.10.	intolerabilem
dubitandi.. aff.	f.9.c.2.l.25.	dubitãdi pro parte aff.
publicatione	f.9.c.2.lin.35.	publicationem
taliter	f.10.col.1.l.3.	totaliter
concesse	f.10,col.1.l 35.	concessæ
interpretamur	f.11.c.2.l.1.	dũ interpretamur
quinam	f.15.col.2.l.vlt.	quidnam
à Deo	f.18.col 1.l.7.	adeo
incipit	f.18.col.1.l.21.	incepit
furè	f.19.col.1.l.27.	fusè
electione	f.19 col.1.l.17.	electionem
occultam	f.21.col.2.l.21.	occulta
cõtineretur	f.33.col.1.l.30	continentur
nequoquam	f.33.c.2.l.38	nequaquam
An omnibus	f.34.c.1.l.36.	An de omnibus
hec	f.37.col.2.l.24.	hæc
erro	f.38.c.2.l.23.	ergo
allata	f.43.col.2 l.vlt.	allatæ
humanis,se-	f.43.c.2.l.22.	humanis seminis,se
eadem	f.46.col.2.l.34.	eandem
opponit	f.46.col.2.l.10.	apponit
cõmunionẽ	f.51.col.1.l.10.	communione
edendi	f.68.col.1.l.32.	edenda
veterentur	f.68 col.2.l.vlt.	vterentur
fatetur	f.69 col.2.l.44.	fatear
audiẽda Missa	f.78.c.2.l.26.	audiendi Missam
hæc	f.83.col.2.l.36.	hic
impendiantur	f.84.col.2.lin.15.	impediantur
racemæ	f.94.col.2.l.36	racemo
exiguumque	f.97.col.2.l 42.	exiguaque

Errata		Corrige
indulgentię	f.103.col.1.l.4.	indulgentia
iniungebat;	f.107.col.2.l.22.	iniungebant
iniunctos	f.109.col.2.l.8.	iniunctas
sum;	f.113.col.2.l.14.	sumi,
hec	f.115.col.1.l.10.	hic
imitando	f.117.c.2.l.39.	irritando
lapidem	f.122.c.2.l.11.	lapidea
in illam	f.123.col.1.l.3.	in illa
quod	f.123.col.2.l.18.	quot
Et quibus	f.123.col.2.l.28.	Ex quibus
inimicis	f.125.c.1.l.13.	inimici
visitando	f.125.col.1.l.28.	visitanda
ciuile	fo.125.c.1.l.35.	ciuili,
concessionẽ	f.126.c.2.l.25.	confessionem
implendam	f.128.co.1.l.30.	implendum
indulgentia	f.130.c.2.l.47.	indulgentiam
lapis	f.132.c.1.l.34.	lapsis
suffragium, & vnius	f.132.c.2.l.18.	suffragium vnius
diuersa	f.132.c.2.l.vlt.	diuersam
nouam	f.132 c.2.l.17.	noua
ad esset	f.138.c.1.l.17.	adesset
accedit	f.141.c.1.l.19.	accidit
fugendi	f.143.col.1.l.6.	fungendi
venialem, & mortalem	f.143.c.1.l.19.	veniale & mortale
pœnitentijs	f.143.c.1.l.31.	pœnitentis
eligibili	f.148 c.2.l.42.	eligibilis
approbatione	f.150.c.2.l.31.	approbationem
circam	f.151.c.1.l.47.	circa
inuisibiliter	f.155.c.2.l.23.	inuincibiliter
acquisitum	f.157 c.1.l.39.	requisitum
instruit	f.157.c.1.l.30.	intrusit
conueniret	f.158.c.2.l.18.	conuenire
vt sic, non sunt sic.	f.165.c.2.l.32.	vt sic, non sunt app.
sumemumq;	f.168.col.1.l.vl.	supremumque
approbatur	f.172.c.1.l.19.	approbatus
corruptio	f.173.col.1.l.29.	corruet
SESTA	f.173. li.2.	SEXTA
Quod sit pecc.	f.182.c.2 l.2.	Quid sit pecc.
reseruare	f.185.col.2.l.23.	reseruaret
inualidas	f.192.c.2.l.31.	inualiditas
ex	f.193.c.2.lin.26.	&
Episcopales	f.198.c.1.l.47.	Episcopalis

adeo

Errata		Corrige
adeo	f.198.col.2.l.17.	ideo
&	f.199.c.1.lin 18.	ex
à parte	f.199. c. 1.l.46.	à pari
edeto	f.199.c.2.l.26.	edito
tale	f.203.c.2.l.30.	tales
iudicare	f.225.c.2.l.26.	indicare
SETTIMA	f.227. . . . l.2.	SEPTIMA
cõsequẽter	f.231.c.2.l.13.	consequeretur
quauis	f.246.col.2.l.2.	quamuis
suspensionẽ	f.248.c.2.l.23.	suspensione
medicina	f.249.c.1.l.46.	medicinam
offerre	f.252.c.2.l.20.	afferens
etiam in locum	f.254.c.1.l.4.	etiam locum
absolutè dist.	f.266.c.2.l.22.	absolutè, dist
se ipsum	f.267 c.2.l.27.	seu ipsum
iura	f.268.c.1.l.18.	iurata
quia	f.271.c.2.l.vlt.	quin
docet	f.272.c.1.li.43.	decet
præuia	f.275.c.1.l.37.	præuideat
est	f.277.c.2.l.37.	esse
ipsius	f.278.c.2.l.35.	si quis
Summi	f.279.c.2.l.35.	Summo
opinionem	f.281.c.2.lin.5.	opinione
aut	f.282.c.2.lin.1.	vt
estringenda	f.283.c.2.li.10.	restringenda
immineat	f.285.c.2.l.29.	immineant
religione	f.287.c.2.l.19.	religionem
debito	f.289.c.2.lin.l.	debitor
(irregulariter	f.282.c.1.l.26.	(regulariter
quia obseru.	f.305.c.2.lin.6.	quia ad obseru
amisso	f.310 c.1.l.10.	amissio
votum	f.312.c.1.li.27.	totum
atquæ	f.317.c.2.li.34.	atque
approbatũ	f.318.col.1.l.8.	approbatam
suspẽsiones	f.332.c.1.l.42.	suspensione
ordin.Mendicant.	f.333.c.2.l.32.	ordinib.non Mendicant.
conceffit	f.333.col.2.l.8.	concessis
Quodnam	f.339.col.2.l.21.	Quandonam
contractu	f.344.col.2.l.35.	contracta
amplà	f.347.col.1.l.4.	amplè
si qui	f.348.c.1.l.32.	si quis
ad fiat	f.350.c.1.l.23.	id fiat
alioqui	f.350.c.1.l.pen.	aliqui
agens	f.356.c.1.l.24.	egens
formam	f.359.c.1.l.vlt,	forma
accidentalẽ	f.359.c.2.lin.1.	accidentalis
prodeat	f.363.c.1.li.27	prosit
summariorum	f.371.c.1.l.27	summariolum
qualibet	f.376.c.1.lin.3.	quilibet
eadem	f.437.col.2.l.28.	eandem
alia	f.483.c 2.l.37.	alio
defendet	f.485 c.2.lin.3.	dependet
da	f.489.c.1.l.17.	de
nersia	f.489 col.2.l.5.	verba
docet	f.492.col.2.l.5.	decet

IN INDICE.

Errata		*Corrige*
bis	*f.1 col 2.lin.15.*	*is*
pex	*f.3.col.1 lin.39.*	*per*
bulla	*f.6.col.1.lin.22.*	*bullam*
confessionem	*f.9.col 2 lin.4.*	*confessarium*
confessarius	*f.10.col.1 lin.2.*	*confessarios*
Summi	*f.10.col.2.lin.10.*	*Summo*
ingnarus	*f.13.col.1 lin.10.*	*ignarus*
extorgaealur	*f.13.[illegible] 20.*	*extorqueatur*
virtate	*f.13 col.2.l.pen.*	*virtute*
castitati	*f.16 col.2 lin.18*	*castitatis*
Mendicautium	*f.12.col.1.l.40.*	*Mendicantium*
eridità	*f.23.col.2.lin.32.*	*creditò*
sulutà	*f.25.col.2.lin.35.*	*soluta*

REGISTRVM.

In primo Indice Cruce signantur. Omnes sunt Duerniones.

† †† ††† †††† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ij Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt Vu Xx YyZz

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iij Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sss Ttt

